CAVSA DEI,

SEU

ALEXANDRI MORI

Eccleſiaſtæ, ac SS. Theologiæ Profeſſoris

DE

SCRIPTURA SACRA

Exercitationes Genevenſes.



MEDIOBURGI,

Ex Officinâ ANTHONII de LATER, Typographi ordinarii, Inclytæ Civitatis Middelb. 1653.

Digitized by Google

Digitized by Google

Celſiſſimo , Illuſtriſſimoque Principi

Henrico Carolo Tremollio,

PRINCIPI TARENTINO.

Gratiam & Pacem.

NOn eô tibi, CELSISSIME PRINCEPS, libellos offero meos, ut iis ab illuſtriſſimo nomine tuo patrocinium quæram. Licet enim ea ſit mea quædam veluti ſors, ut quicquid à me prodit in lucem publicam iniquiſſima hominum experiatur judicia ; tamen ubi Dei cauſam adverſus humana placita defendo, non eſt quod timeam, ne quis niſi malè feriatus & lævæ mentis propoſitum meum exagitet inclementiùs, aut meæ conatus induſtriæ maligniùs arrodet. Nec ita ſpiritu ſervitutis ducor, ut non ab ipſo Deo auxilium expetam & expectem, quo fretus adverſantium ora comprimam, & mea omnia contra quoſvis ſtrenuè tuear : neminem hominem ac ne Dæmonem quidem ullum excipio. Res dicenda eſt.

Digitized by Google

Veniunt ad Te libelli mei non ambituri præſidium, ſed gratiſſimas acturi gratias, quòd cùm primùm ad hoc nuper appuliſti Belgium, quid Marte poſſis jam olim conſcium, nullo meo invitatus obſequio, nedum provocatus officio, tamen oris ignoti hominem ultrò & ad te vocaſti, & admiſiſti, & complexus es; maximè poſtquam comperta mea tempora & explorata penitùs habuiſti. Quâ quidem conſcientiâ tuâ, & ubique gentium valituro teſtimonio ſupra omnem aleam & exceptionem poſito nihil mihi vel honeſtius ac præſtabilius, vel contra calumniæ rugitus ac latratus & ſeculi venena opportunius contingere potuit. Neque jam hic eſt commemorandi locns, quanta hìc & aliàs effulſerit ingenii tui vis; quàm ſublimis animi magnitudo; quàm blanda, ſed indeclinabilis efficaciæ, benignitas; quàm perſpicax bonæ mentis acies; quàm cœleſtis & igneus vigor; quàm limatum & acre judicium, quod nullæ artes, colores nulli fruſtrantur; quàm in ipſis oculis, in ipſo vultu tuo dimicantes virtutes variæ, ac in privato etiam homine miranda Dei munera: nedum in Principe, cujus, tot ſupremis decoribus beata Domus, propriâ virtute colluſtratur. Domus innumeris & ſtemmatibus & adoreis conſpicua; & virtutibus & triumphis peræquè fœtâ; nec, ut cæteros mille taceam, Heroïbus AVRIACIS, quorum *inclyta famâ Gloria* univerſum orbem implevit, aliena; non denique Regio carens apice, ſi jure mundus regeretur. Quæ vel ipſa ratio tibi votum approbabit, quod ſanctiſſimum concipio; ut te Deus Opt. Max. omni laude mactum Patriæ ac Regi Chriſtianiſſimo red-

dat;

dat; cujus, in hac ætatis effloreſcentis lætitiâ per varios caſus exercitam virtutem ſumma fœlicitas quaſi cœlitùs obſignavit. Vale Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps, memor non aliter iſtud faſtigium in majus provehi poſſe, quàm ſi Deo & Chriſto ſubjiciatur ac ſerviat.

Scripſi Hagæ-Comitum
Kal. Apr. Aº 1653.

Illuſtriſſimæ Celſitudini Tuæ

Addictiſſimus in Domino.

ALEXANDER MORVS.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI.

PAucis te volo. Non excultas ingenio, aut elaboratas induſtriâ lucubrationes hîc vides: at nec aliquid novi ac muſtei: ſed Profeſſionis meæ Theologicæ primitias *Geneven͏ſes*, poſtquam celeberrimo *F. Spanhemio* ſucceſſor datus ſum, hoc eſt, antè complures annos traditas myſterio pietatis initiatæ juventuti. Quas à me nunquam ſcriptas cùm excepiſſet calamo FRANCISCUS TURRETINUS auditor meus tunc ſpei maximæ, nunc ſpei noſtræ ſuoque nomini reſpondens ac præſtantiſſimus theologus, exemplari me ſuo donavit: ſimul rogavit, ut illud quicquid erat, ederem aliquando. Cùm igitur non ita pridem typographus rogitaret, an aliquid prælo maturum haberem, nihil autem haberem, has velitationes academicas ipſi permiſi, quamvis non pauca in iis requirerem. Propriæ intereà mihi fuere rationes cur, (tametſi varia currente prælo adjecta ſint) nihil omninò mutatum aut detractum voluerim. Quare factum eſt, ut nonnulla quæ ſatis providebam incommodè dicta videri poſſe, ſi fortè in pravi manus interpretis venirent, intacta reliquerim. Nam & ea non dubito quin ex aliis, quæ alibi leguntur hoc eodem in ſcripto facilè lucem accipiant, niſi quis nodum in ſcirpo quærat. Ad quæſtionem de Punctorum origine quod ſpectat, ea protuli: quæ tunc maximè veriſimilia exiſtimavi; quæ ſi quis carpit, non capit difficultatem rei. Nunc autem poſtquam viri maximi multa in publicum emiſerunt ſuper hac arduâ quæſtione, in primis autem Vir illuſtris & aureo ſeculo dignus JACOBUS USSERIUS Archiepiſcopus *Armachanus*, qui librum ad me ſuum pro ſua ſummâ humanitate miſit, (quanquam nondum accepi, neſcio quo malo fato;) longè luculentiùs talibus inſtructus præſidiis & ad guſtum procul dubio tuum accommodatiùs hoc argumentum perſequerer, & perſequar, ſi Deus otium, poſt tot turbines & tonitrua vaniſſimarum ſed immanium criminationum in capita autorum brevi recaſura. Quæ interea non impediunt, quin & alii & noviſſime, Illuſtres & Præpotentes FRISIÆ Ordines Primarii Theologiæ Profeſſoris locum obitu DD. *Cloppenburgii* longe celeberrimi doctiſſimique viri vacuum, ac inſuper concionatoris munus tùm apud ſe, tum in aula excellentiſſimi Heroïs *Guilelmi* Comitis NASSOVII offerre mihi dignati ſunt, datis ad me litteris honeſtiſſimis, ac miſſo delegato in eam rem inſigni ac præſtantiſſimo viro D. *Acronio à Buma*; quod commemorare gratus debui. VALE.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

CUm rebus meis conſultum non eſſet libri hujus, in partu tamdiu hærentis, editionem diutius differre: Viſum tandem mihi fuit eandem publici Iuris facere, multum licet reclamante Clariſsimo authore, & ſerio monente, ut Reverendorum Cenſorum Iudicia exſpectarem, quibus Provincia illa ante ſex plus minus menſes, publica Synodi GRUDANÆ *authoritate demandata fuit. Si quid hic peccatum, viderint illi, quibus ſi juſta conſtet dilationis ratio, & mihi facti hujus mea etiam non deeſt. Hæc te ſcire volui, ne quis feſtinatam hanc editionem authori per calumniam, ut multa alia, aſcribat.*

Digitized by Google

ALEXANDRI MORI DE SCRIPTURA SACRA.

FActurine operæ pretium eſſemus quòd nonnihil de Scripturâ tradere poſt tot virorum inſignium lucubrationes inſtituimus, dubitavimus aliquantiſper; ſed vicit tandem neceſſitas, ac difficultas rei, quæ nunquam nimis ſedulò inveſtigari poteſt, nec liquidò & enodatè proponi ubi cum adverſario aliquo certatur, qui dum tergiverſatur aut convitia importunè jactat, nos circumagit in diverticula & crebris avocamentis à propoſito ſeducit. quare diſputationis perturbatur ordo & dum lis ex lite ſeritur opus exit in molem: quod eorum pleriſque, qui hactenus in hoc argumento feliciter deſudarunt dolemus contigiſſe: moleſtia certè, quam nonnullorum ſcripta verſando cepimus, fore perſuaſit, ut ſi ſecerneremus quæ ſunt ἐξαγώνια, & ea modò quæ ad rem faciunt cum illuſtri brevitate, tum certa via & methodo comprehenderemus, non levis ad eos quibus hic noſter deſtinatur labor utilitas perveniret. Annue ô Deus & ritè hoc inceptum ſecunda Pater cœleſtis, Auctor Scripturarum, ut nec fallamur in iis, nec fallamus ex iis; ades nobis tuo ſpiritu dum earum auctoritatem adverſus hominum judicia defendimus, Amen. Antequam vero ulterius progredimur, origo totius hujuſce diſputationis aperienda nobis eſt. Quo tempore majores noſtri duce Scriptura Chriſtianæ pietatis cultum, ac ritus emendare inſtituerunt, non à quæſtionibus de Scriptura fecerunt initium, unde nos facimus: ſed eò res Pontificiorum aſtu deducta fuit, qui dum in Scripturâ ſatis præſidii non inveniunt, judicium transferri poſtulant ac dum Scripturæ tribunal refugiunt ad Eccleſiam hoc eſt doctores ac Pontificem ſuaviter provocant, ut ipſi ſua in cauſa

Digitized by Google

teſtes,ac judices ſedeant ſcilicet. Illi ergo nobis has lites intendunt, quibus Chriſtiani carere debuerant, quod patet ex hiſtoria concilii Tridentini legi digniſſima. verùm præfatione longiore miſſâ rectà & ſine ambitione ad rem ipſam contendimus, & hunc de ſcriptura locum in tres tribuimus partes. quarum prima de Auctoritate, ſecunda de Canone, tertia de Perfectione ſcripturæ futura eſt.

Pars prima.

De Auctoritate Scripturæ quæſtionibus comprehenſa decem.

QUæſtio I. Utrum neceſſe fuerit eſſe aliquam Scripturam Auctoritate Dei præditam?

II. Unde probari poſſit homini Ethnico divina Scripturæ Auctoritas?

III. Unde perſuadeatur homini Chriſtiano?

IV. An divina Scriptura Auctoritas per ſe innoteſcat?

V. An Scriptura obtineat Auctoritatem, quo ad nos, ab Eccleſia?

VI. An Eccleſiæ teſtimonium in Auctoritate Scripturæ dignoſcenda nullius ſit momenti?

VII. An Eccleſiæ judicium in Auctoritate Scripturæ falli vel fallere poſſit?

VIII. An teſtimonium ſpiritus de Auctoritate divinæ Scripturæ certum ſit?

IX. An Spiritus ſanctus probet Scripturam eſſe divinæ Auctoritatis præcipuè ac certò ex teſtimonio Eccleſiæ ſeculi quo vivitur nec potioribus argumentis?

X. An Eccleſia vel Pontifex ſummus ſit judex controverſiarum,ac hujus vel in primis,quæ eſt de Auctoritate Scripturæ?

QVÆSTIO I.

UTrum neceſſe fuerit eſſe aliquam Scripturam Auctoritate Dei præditam?

Videtur neceſſe non fuiſſe I. quia quidquid eſt cognobile de Deo τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ Rom. 1.19.20. manifeſtum eſt operibus creationis & providentiæ.

II. 2 Tim. 3. 16. ubi maxime laudatur Scriptura *utilis* tantum dicitur.

III. Per 2484. annos, ut chronologi rem plerique putant, Eccleſia Scriptura caruit, quidni & ſemper?

IIII. Qui ſunt omnes immediatè docti à Deo Scripturæ nihil indigent adminiculo: at prius patet, Eſa. 17. 13. & 1 Joh. 2. 20. 27. Sed contra ſcriptum eſt 1 Joh. 20. 31. Rom. 17. 4. & Chryſoſtomus homil. in Matth. ait neceſſario corruptelis per Scripturam occurrere oportuiſſe.

Status Quæſtionis geminus conſtitui poteſt, vel de verbo Dei vel de Scriptura, vel de neceſſitate revelationis alicujus cœleſtis, vel revelationis ejuſmodi quæ non viva voce modò,ſed ſcriptione etiam prodatur quorum prius philoſophi negant,poſterius Pontificiialiique ſugillant. Quæſtio ergo hunc in modum conſtituitor, Utrum neceſſe ſit homini ad bene beateque vivendum revelari verbum Dei & hoc poſito utrum conſcribi ac exarari neceſſe fuerit?

Reſpondeo Quæſtioni, omnino neceſſarium fuiſſe revelari aliquod verbum Dei; quippe cum duplex appetitus naturaliter

Digitized by Google

raliter inſit in homine, unus veritatis, alter immortalitatis, unus ſciendi verum alter fruendi ſummo bono, quod nihil aliud eſt quam vita perfecta, ut intellectus contemplatione veri, voluntas autem fructu perficiatur boni. quod agnovit Philoſophiæ princeps, cùm ita exorditur Phyſicos libros πάντες ἄνθρωποι εἰδέναι ὀρέγονται φύσει: Ethicos autem ſic: πᾶσα πρᾶξις ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι δοκεῖ. Unde colligere eſt fruſtra eſſe non poſſe hos appetitus à naturâ & numine inſitos: At nemo eſt adeò multiſcius ut non plura ſcire concupiſcat, adeóque plura quò jam plura tenet: nec adeò beatus in vitâ ullus Ethnicorum repertus eſt, quin longiorem ac beatiorem vitam quæſierit, quod omnium hiſtoria temporum comprobat: Neceſſaria igitur fuit revelatio quæ primum verum & ſummum bonum, & utriuſque viam oſtenderet: quod adumbratum fuit geminâ paradiſi arbore, unâ ſcientiæ, alterâ vitæ, in ſtatu naturæ: ſub Lege autem candelabro aureo & panibus propoſitionis: ſub Euangelio pariter Baptiſmo qui φωτισμός in Eccleſiâ veteri dictus &, ſi fortè, ab Apoſtolo Heb. 6. 4. & ſacrâ Cœnâ quæ cibum & potum vitæ tuendæ præſidia miniſtrat. Hinc eſt quod verbum dicitur *lux* & *vita* Joh. 1. 4. & à Propheta *lux* & robur *vitæ* Deus Pſal. 27. 1. & Chriſtus *veritas* & *vita* & utriuſque via Joh. 4. 6. Quod illuſtratur ejuſdem capitis verſu 19. Erat igitur omninò neceſſarium vel ex principiis philoſophorum aliquod è cœlo verbum revelari. Neceſſaria quoque ſcriptio verbi, quanquam longè minus, nec enim *abſolutè ſimpliciterque* ſed *ex hypotheſi & ſecundùm quid*, nec *in omni ævo*, ſed *hoc rerum ſtatu*, neque ſi ad Dei *libertatem* ac *potentiam*, ſed ſi ad ejus *œconomiam* cum homine agentis & *ſapientiam* reſpexeris. Quippe ita dividi poteſt ætas Eccleſiæ, ut ei ſua infantia fuerit antè Legem, ſua ſub Lege pueritia primaque juventus (quanquam Eccleſia Judaïca certo reſpectu velut ætatis maturæ ac nubilis, deſcribitur Jerem. 2. 2.3. Ezech. 16. 7.) ſub Euangelio autem quaſi bonâ fide adoleverit, & ad juſtam & perfectam ætatem pertinuerit Epheſ. 4. 13. non reſpectu æternæ vitæ in cœlis potiundæ: hoc enim reſpectu vel ſub Euangelio pueritiam adhuc agitat 1 Cor. 13. 11. ſed reſpectu ætatis in terris præteritæ Gal. 4. 2. 3. Joh. 4. 35. Sicut igitur infantes ſolent vivâ nutricum voce formari primùm, deinde tùm voce magiſtri, tùm lectione librorum doceri, ac demum ſubductâ manu ferulæ per ſe doctrinas ex libris hauriunt: ita Pater cœleſtis qui erudit populum ſuum ut aliquis filium Deut. 8. 5. Eccleſiam primò balbutientem vivâ voce (qui ſimpliciciſſimus eſt revelationis modus) ac traditione inſtituit; poſtea in pueritiâ & prima juventute ſub Lege conſtitutam, & vivâ voce docuit & ſcripto: viva voce propter *reliquias* ex imbecillitate infantili, & ſcripto propter *primitias* ætatis robuſtioris ad Apoſtolorum uſque tempora 2 Theſſ. 2. 14. ſed ab Apoſtolis provectam adultamque perfectiſſimo revelationis modo, ſcripti Euangelii luce contentam eſſe juſſit: Ergo ſcripturæ neceſſariæ fuerunt non modò neceſſitate mandati Exod. 17. 14. Jerem. 30. 2. & Jud. 3. ſed & eâ quæ fluit ex hypotheſi œconomiæ di-

vinæ, quam pro variis ætatibus decuit eſſe variam & ſapienter πολυποίκιλον Epheſ. 3. 10. Atque hinc ad argumenta patet ſolutio.

Reſp. ad Arg. I. τὸ γνωςὸν τ̃ Θεϖ̃ eſt quicquid cognoſci de Deo naturaliter poteſt, veritas, potentia, æternitas, & divinitas, ſub quâ jam ſapientia, divitiæ benignitatis, & clementiæ ac miſericordiæ illius quæ in patientiâ providentiaque Dei cernitur, ac univerſæ Dei proprietates aliquatenus continentur: hæc omnia mundus velut in ſpeculo exhibet ἀπὸ κτίσεως vel *per creationem*, vel *jam inde à creatione* per providentiam: & quæ hinc hauriri potuit cognitio vocatur γνῶσις, non vocatur πίςις, quia rationis meræ, non autem ſpiritus objectum hic ullum erat. Neceſſaria igitur omninò fuit alia revelatio, in quâ Deus omnes haſce proprietates, longè alio & illuſtriori modo patefaceret, potentiam in peccato ſuperando quod eſt pejus nihilo, ſapientiam in creatione novi ſeculi, cujus longè major admirabilitas eſt quàm prioris, quod ideo *initium viarum* Domini vocatur Proverb. 8. 22. & divitias non jam benignitatis, ſed magnæ illius miſericordiæ, quam in Filii, fideique dono explicuit. Adde quod illa quantavis revelatio ad ſalutem nihil proderat, quia Deus ei comitem ſpiritus efficaciam non addebat, quam unicè verbo ſuô alligatam voluit. Ergo cùm Dei gloria quæ poſita eſt in manifeſtatione proprietatum Epheſ. 2. 7. tùm ſalus hominum 1 Cor. 1. 21. novam œconomiam exigebat. Nam ſine Chriſto vel promiſſo vel exhibito nulla ſalus Act. 4. 2.

Ad *ſecundum*, primò eo loco Paulum de Veteri Teſtamento loqui duntaxat, ut per ſe patet. *Deinde* non tantùm utilis, ſed *ad omnia* utilis dicitur. *Denique* Utilitas interdum neceſſitatem innoluit, nempe cum de fine loquimur naturali proximo & immediato, quanquam ubi de fine remoto & per accidens loquimur, neceſſitas poteſt ab utilitate divelli. At hîc ſermo eſt de *inſtitutione, reprehenſione*, &c. qui fines proximi ſunt per ſe atque immediati Scripturæ. Non enim alia doctrina fines illos ad ſalutem valet aſſequi ulla, præter Scripturam: Eſt ergo utilis non modò ut aqua ad vitæ *commodum*, ſed ut aqua ad uſum *refrigerii*, non modò ut *opes* ad vitam, ſed ut *cibus*.

Ad *tertium*, ut obviam iretur lubrico memoriæ 1. propter vitæ modum breviorem 2. amplificatâ Eccleſiâ 3. corruptelis jam ingruentibus neceſſaria facta eſt ſcriptio verbi; ſed anteà 1. Patrum longævitas 2. credentium paucitas 3. innocentia ſeculi facilè ſcripto carebat.

Ad *quartum*, Spiritus immediatè docet, quanquam verbo velut inſtrumento utitur: hoc enim externum eſt. At ſpiritus intùs, & *in ordine ſuo* immediatè operatur: Neque tamen unctio Spiritus eſt ſine verbo: Nam ſicut anima etſi poteſt exiſtere ſine corpore, nunquam tamen exiſtit ſine corpore, dum vivit hanc vitam, quia Deus hunc ordinem poſuit in naturâ: ita ſpiritus quanquam non pendet à verbo, quod ei Deus corporis inſtar eſſe voluit, non tamen operatur ſine verbo quia Deus hunc ordinem in gratiâ conſtituit, dum Eccleſia in terris militat (nam longè aliter ſe res habebit in cœlis) ut ſicut nihil eſt in intel-

lectu,

Digitized by Google

lectu, quod non priùs fuerit in ſenſu, ita nihil reveletur à ſpiritu quod non doceatur in verbo 1 Theſſ. 1. 3. Ioh. 6. 63.

QVÆSTIO II.

Vnde probari poſſit homini Ethnico divina Scripturæ auctoritas?

VIdetur, non niſi ab Eccleſiâ. Primò, quia Ethnicus ignorat Scripturam, eam igitur Eccleſia monſtrare debet.

Secundò, Antiquitatem, miracula, conſenſionem, Martyres & quæ ſunt talia falſæ ſibi quoque religiones vendicant.

Tertiò, Tametſi omnes Controverſiæ decidi debeant ex verbo Dei, quæ de verbo Dei eſt, non poteſt ex verbo Dei decidi, ne vel illud locum habeat, *de ſe ſi creditur ipſi*, vel abeatur in infinitum, dum verbum Dei ex verbo Dei perpetuò deducitur.

SED contrà ſcriptum eſt, Scripturam eſſe utilem πρὸς ἔλεγχον 2 Tim. 3. 16.

STATUS quæſtionis eſt, non utrum poſſit homini Ethnico, aut quâ ratione poſſit veritas perſuaderi, ſed quâ viâ debeat revinci, ut nihil habeat quod reſponſet, vel quo genere argumentorum convenire liceat ac deceat Ethnicum diſputando?

RESP. QUÆSTIONI, non hîc nobis aquam ut Pontificiis hærere, qui volunt Ethnicum ἀβασανίστως excipere quod Eccleſia docet ac dictat, quæ utrum ſit id quod audit, & quod ſe dicit eſſe, nimirum Eccleſia, ignorat adhuc Ethnicus ille. Noſtram ergo viam ingredi neceſſe habent, velint nolint, ac rationibus agere deſumptis ex præſtantiâ Religionis Chriſtianæ, ac illis divinitatis indubiæ notis, quas præ ſe ferunt Scripturæ noſtræ, quod priſci Eccleſiæ qui dicuntur Patres tàm ſæpe faciunt. Sunt autem notæ illæ divinitatis duûm generum: Aliæ petuntur *ab extrinſeco*, ut Eccleſiæ teſtimonium, infelix exitus Adverſariorum, admiranda propagatio invitis adverſariis, antiquitas ſumma, perennitas perpetua, &c. Aliæ petuntur *ab intrinſeco*, & hæ rurſum in duos ordines dividuntur: Alteræ quippe ſunt communes omnium, ut ſublimitas rerum, character nihil mortale ſonans, candor, συγκατάβασις, παῤῥησία, conſenſio partium invicem: Alteræ fidelium propriæ, *lux* & *efficacia*. Illæ, quæ petuntur *ab extrinſeco* tametſi non ſufficiunt ingenerandæ fidei quæ nulla eſt niſi cum ſpiritus oculos mentis illuſtrat, ut *lucem* illam fidelis videat, & cor *emollit* ac aperit, ut *efficaciam* perſentiſcat 1 Cor. 14. 25. Hactenus tamen apud incredulos etiam proſunt primò ut ore obturato conticeſcant, & ſi minùs credant convincantur tamen & percellantur animo: *Deinde* ut adducantur propiùs ad regnum cœlorum & meliùs animati ſint in Chriſtum ut Agrippa, ἐν ὀλίγῳ Actor. 26. 28. donec Patri luminum viſum fuerit non *convincere* aut compungere modò, ſed *convertere*, ac πείθειν, quod ait Paulus, καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ.

Digitized by Google

Ad ARGUM. I. Reſp. Nemo negat Eccleſiæ teſtimonium plurimùm prodeſſe ac veluti manuducere non tamen ſi ſua teſtantis autoritate velut *inartificiali* argumento nitatur: Nec enim ſi tantùm *ſic volo, ſic jubeo*, edicat, continuò morigerum ſe dabit Ethnicus, quia ſcilicet αὐτὴ ἔφα; Quin ex adverſo ſpernet ac ridebit eam, ac ne credulitate quidem ullâ dignabitur ſuo ſibi dicto credi poſtulantem ſatis pro imperio, donec autoritatem ſuam primò *artificialibus* argumentis demonſtrârit, hoc eſt rationibus ex ipſius naturâ Scripturæ petitis. Non enim res aliter confieri poteſt.

Ad II. Non ſi falſæ religiones falſas veritatis notas præ ſe ferunt, continuò Sa vera deſtituetur veris: hoc eſt enim Satanæ ingenium, qui ſe transformat in lucis Angelum, ut mendacium, cujus Pater eſt, veritatis amictu perſonatum inducat. Novit pro vafritie ſuâ & antiquitatem ultimam, & miracula vera, & martyrum conſtantiam, &c. Veritatis illuſtria eſſe inſignia, quæ auſu nefario & pravâ æmulatione qualiacunque adſciſcit ille Dei ſimia: Nec enim antiquitas *ſumma*, cum *perenni* duratione conjuncta nec *talia* miracula, qualia Chriſtus edidit, quæ nec ab homine nec à Dæmone potuere proficiſci: non ab *Homine*, quia fuerunt opera omnipotentiæ, ut reſuſcitatio præſertim proprii corporis; nec à *Dæmone*, quia Satanæ deſtruebant regnum; & animas adducebant ad Deum: At neque Martyres *tot* ac *tales*, numero innumero, & compertiſſimæ probitatis ac ſapientiæ, nec propagatio tàm *ſubita* per *univerſum* terrarum orbem, nulla vi armorum, nullo eloquentiæ humanæ præſidio: Non inquam hæ notæ, vel eo *gradu* ſingulæ, vel *cuncta* in ullâ religione niſi Chriſtianâ comparent. Cunctas dixi; nam ſi quis adducat ſingulas (veluti milites ab exercitu ſeductos & ſegregatos facile eſt interficere ſingulos) minùs validæ videbuntur: At ſi quis ex cunctis argumentum conflet ac aciem velut inſtruat, hinc jam ineluctabile robur exiſtet.

Ad III. Scriptura, quanquam digniſſima eſt cui credatur maximè, tamen hoc ſuo jure primo congreſſu non utitur præſertim verò in quæſtione de Verbo Dei, & antequam eò progreditur, nos & Eccleſiæ relatu, & dotibus ſuis extrinſecis ad ſe ita vocat, ut nullum niſi præfractum & improbè pertinax ingenium reluctetur Joh. 8.46. Deinde gradatim lucem ingerit mentis oculis, & efficaciam indit penetralibus cordis, quæ facit ut ex operibus ſuis non ſecus ac ipſe Dominus Joh. 10.37. verax eſſe deprehendatur, & cum divinam ſe ferat, eſſe divina credatur: Atque ita in ejus autoritatem ultimò fides reſoluitur, quæ fides jam divina meritò dicitur, quando non Eccleſiæ hoc eſt hominum autoritate, quâ ſanè fides nulla niſi humana gigni poteſt ſed principio & fundamento divino & cœleſti divinæ ac cœleſtis Scripturæ nititur; Non eſt autem abſurdius ex ſcripturâ ſcripturam demonſtrare quàm ſolem in ſole contemplari, quod ſequens diſputatio docebit ampliùs.

QUÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

Vnde perſuadeatur homini Chriſtiano divina Scripturæ autoritas?

VIdetur non ab ipſa Scripturâ, primò propter dictum Auguſtini: *Ego Euangelio non crederem niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret autoritas.*

Secundò, propter dictum Pauli Rom. 10.14.15. Nam qui *mittuntur* Eccleſiam conſtituunt.

Tertiò, quia Scripturæ antiquitatem, conſenſionem, characterem, &c. quivis è plebe Chriſtianâ capere non poteſt, Eccleſia omnium optimè poteſt.

SED contrà ſcriptum eſt Gal. 1. 8. & 1 Theſſ. 2. 13. & Joh. 7. 17. hìc enim non poterant ii quos Chriſtus alloquitur Eccleſiæ teſtimonio commoveri quæ Chriſti adverſaria erat, ut patet ex ſequentibus verſ. 12. 13. 15.

STATUS Quæſtionis eſt non quâ viâ primùm ad fidem provocemur, qui verſamur intra Eccleſiæ pomæria, & adhuc Ethnicis ζῶντα πάσχομεν; Vix enim Chriſtianorum nomine digni, haud aliter quàm ipſi Ethnici conveniendi ſumus: ſed jam id quæritur ubi jam credimus quo vel uno vel potiſſimo tibicine fidem fulciamus noſtram, Eccleſiæ, quod alii ſtatuunt, an Scripturæ quod Orthodoxi ſentiunt?

Reſpondeo Quæſtioni; Chriſtianus homo ſi conſideretur *in fieri*, ut jam ſic loquamur, majoribus, præceptoribus, Eccleſiæ multùm tribuit, exemplo eorum & autoritate commovetur ac veluti frangitur, ſed adhuc humana fides eſt: Si ſpectetur autem *in facto eſſe*, jam illa fidei adminicula procul à ſe amittit & amolitur: ſpiritus enim ſibi conſcius eſt 1 Cor. 2. 11. 12. itaque teſtimonio ſpiritus arcano & autoritate Verbi Dei, quam rationibus ex ipſius natura verbi petitis agnovit, vel unicè vel præcipuè innititur. Hoc igitur Chriſtiano Ethnicus intereſt, quod hic extrinſecas notas, & intrinſecarum etiam nonnullas, quia ejuſmodi ſunt ut eas poſſit aſſequi humana ratio videat, cogaturque confiteri, at lucem quæ fulget in verbo nullus videat, certè non admittat, quia cæcus eſt, & naturâ, & voluntate ſua Epheſ. 4. 28. neque lucis filius eſt ſed inimicus Joh. 3. 19. 20. neque Verbi ejuſdem vividam efficaciam experiatur propter cordis duritiem indomabilem Rom. 2. 5. quod potius frangas quam corrigas hoc malleo Jerem. 23. 29. Quippe in confragoſis locis hoc cœleſte ſemen minimè germinat, & materiam carneam ductilem ac ſequacem ſpiritus & verbum vitæ requirit ut habitet πλουσίως Col. 3. 16. Quanquam interdum ſcintillas & ſtricturas aliquas conſpicatur hujuſce lucis etiam qui nondum credit Joh. 7. 46. & efficaciæ imperfectâ motione pertentatur Heb. 6. 4. 5. 6. At fidelis quia non modò rationis eſt compos, ſed ſpiritu etiam ſancto præditus non modò rationes extrinſecas liquidiùs & certiùs percipit, verùm etiam lucem admirabilem intuetur in Euangelio Col. 1. 12. & 2 Cor. 3. 18. nec non efficaciam ſentit in conſolatione atque ſanctificatione 1 Theſſ. 2. 3. 13. Act. 2. 37. Unde conficit ſcripturam eſſe veracem, ideóque quoties clamat ſcriptura *Deus dixit*, ejus autoritate acquieſcit, & ut illa Regina

Solo-

Digitized by Google

Solomonem, ita fidelis anima Deum alloquitur, *Major eſt ſapientia tua*, & opera quàm rumor quem audivi 1 Reg. 10. 17.

Ad Argumenta Reſp. ad I. nonnemo legit *commoneret*: Sanè quod Bellarminus de ſcripturâ, eſſe duntaxat *commonitorium*, nos longè meliùs de Eccleſiâ dicere poſſemus. Deinde Auguſtinus tametſi jam Catholicus erat, non tamen Catholicum agit ſed Manichæum & Catechumenum, quod patet ex totâ ſerie: itaque *crederem* pro *credidiſſem* accipiendum eſt, & *commoveret* pro *commoviſſet*. Sic libr Confeſſionum: *Si tunc amarem poma illa quæ furatus ſum & iis frui cuperem poſſem etiam ſolus, &c.* pro *amaviſſem, cupiſſem, potuiſſem*. Sic Retract. lib. 1. cap 3. ubi Fortunæ, Muſarum, & intelligibilis mundi vocabula reſpuit, *Nec tamen iſto nomine uteremur nos*, inquit, *ſi jam eſſemus ſatis Eccleſiaſticis litteris eruditi*. Et cap. 23. ubi quod dixerat Paulum 7. ad Rom. non de ſe ut erat Apoſtolus loqui ſed ex perſona hominis ſub Lege poſiti, (planè ut Auguſtinus hoc loco non ut Epiſcopus erat ſed ex perſonâ Manichæi) retractavit, ac meliùs adverſus Pelagium intelligi poſſe docuit; hoc præterea, quod *quia ſcriptum eſt Deus operatur non Deus credit omnia in omnibus*, ipſe adjecerat: *Quod ergo credimus noſtrum eſt, quod autem bonum operamur, illius Dei eſt qui credentibus dat Spiritum ſanctum*, hoc inquam emendat his verbis: *Profectò non dicerem ſi jam ſcirem* (hoc eſt ſciviſſem) *ipſam fidem inter Dei munera reperiri*. Sic 2 de Civit. Dei cap. 2. *Collis Capitolinus ipſe caperetur niſi ſaltem anſeres Diis dormientibus vigilarent*. At, inquies, Eccleſiam Catholicam vocare non poteſt ſi loquitur ut alienus ab Eccleſiâ; vocavit tamen, quia nempe ſic vulgò audiebat, ut hodiè interdum Orthodoxi Pontificiis Catholicorum nomen in familiari converſatione κτ̀ συγχώρησιν attribuunt ac indulgent nullo eorum certè merito, neque verò quòd eos eſſe tales in animum inducant, ſed quia ita fert uſus & conſuetudo civilis, ut cùm ipſi nos Euangelicos nuncupant, honoris cauſâ: vel Catholica dicitur quia revera talis erat etiam tùm cùm pro tali non haberetur & nunc qualis eſt agnoſcitur: loquutus igitur fuerit in ſenſu *diviſo* non *compoſito* ut Confeſſ. lib. 3. cap. 10. *Videbam illos ſanctos ſervos & prophetas tuos.* At idem præcedenti capite dixerat ſe in Eccleſiâ teneri per ipſum nomen Catholicæ? Rectè, neque id tantùm, ſed addit alia etiam: *Cùm multa ſint*, inquit, *quæ me in Eccleſia juſtiſſimè teneant, conſenſio, miracula, ſpes, charitas, vetuſtas, ſucceſſio, nomen:* Hæc igitur non ſola fuit cauſa, ſed neque præcipua fuit; nam veritati poſthabetur. Si *veritas*, inquit, tàm perfectè monſtratur, *ut in dubium revocari non poſſit, præferenda eſt iis omnibus quibus in Catholica teneor.*

Ad II. Eccleſiam eſſe medium ordinarium ac miniſterium opportuniſſimũ quo Deus utitur non inficiamur, inficiamur tamẽ perſuaderi nos à verbo quod prædicatur *propter* Eccleſiam quæ prædicat, perſuademur enim ab Eccleſiâ quæ prædicat propter verbum quod prædicatur: Neque ſi Apoſtolorum ævo vivâ voce ad conſtituendam Eccleſiam uti oportuit continuò abſurdum eſt Apoſtolis cœlo receptis Chriſti doctrinam ſcriptorum Apoſtolicorum operâ conſervari. Adde quod

quod prædicatio & ſcriptio verbo Dei accidunt, nec ad ejus pertinent eſſentiam: ſive igitur audiatur ſive legatur perinde eſt, perſuadet vi ſuâ non propter medium, per quod in ſenſus influit; Atque adeò non modò prædicatum, ſed & ſcriptum olim eſt in eundem finem Rom. 14. 4. Joh. 20. 31.

Ad ultimum, Eccleſia ut optimè capit, ita poteſt optimè docere notas verbi Dei, ſed ſi pugnet auctoritate duntaxat ſuâ, parùm poterit, niſi rationibus eam divinis fulciat. Cæterum quivis è plebe licet cætera ignoret, lucem ac efficaciam certe longè melius capiet, quàm ſeculi ſapientes Matth. 11. 22. & in Scriptura ipſa tanquam in fonte non minus quàm in fluentis, quæ ad Eccleſiam inde corrivantur: ſingillatim verò notas illas omnes perſpectas habeat non neceſſe eſt; ſicut enim ruſticus qui graphice pictam imaginem intuetur, in admirationem rapitur, tametſi non poteſt cauſas admirationis reddere niſi qui artem callet; & qui concentum jucundiſſimum audit, majorem in modum afficitur & ſumma perfunditur voluptate, neque tamen unde id fiat rite poteſt enarrare niſi muſicæ peritus; & qui cœlos & ſidera contemplatur, admirabilem corporum illorum pulchritudinem ac ſymmetriam non ſine horrore quodam laudat, neque tamen hæc poteſt ediſſerere accurate, niſi qui doctus Aſtrologiam fuerit: ita qui verbum Dei audit legitve plebejus homo penitus tangitur & perſuadetur, licet non poſſit cauſas explicatè proponere, donec ſenſus exercitatos habuerit: ſed interea uſurâ lucis illius & experientiâ blandæ cujuſdam efficaciæ contentus acquieſcit, quod ſequenti quæſtione dilucidiùs patebit.

QVÆSTIO IV.

An Scriptur divina Auctoritas per ſe innoteſcat?

Videtur non per ſe innoteſcere, primò quia tunc idem eſſet notius & ignotius ſeipſo, & vel tota toti vel pars parti lucem inferret, quorum abſurdum eſt utrumque.

II. Quod per ſe notum eſt id nemini eſt ignorabile: at Scripturam ignorant quamplurimi.

III. Quod per ſe innoteſcit, id nihil opus eſt docere: at Deus inſtituit doctores in Eccleſia Epheſ. capite 4. 11. 12.

Sed contra Scriptum eſt, quoties verbi Dei lux aut efficacia memoratur, ut cum vocatur lampas Pſal. 119. 105. candela 2 Pet. 1. 19. aut cum vocatur mel Pſal. 19. 11. & 119. 102. 103. adeps Eſa. 55. 2. lac 1 Pet. 2. 2. 3. &c.

STATUS QUÆST. eſt non utrum Scriptura ſine teſte ac duce omnium ſeſe luſtrandam oculis præbeat, nec utrum per ſe ab omnibus agnoſcatur, ſed utrum ſemel ſignificata & monſtrata ſuâ ſibi luce & ſplendore in admirationem rapiat & jam hoc uno efficaciter perſuadeat iis certe omnibus qui oculos habent non corporis aut animi, ſed ſpiritus, quibus res divinæ noſcuntur: alii negant: Orthodoxi affirmant.

RESP. QUÆST. Quædam eſſe nota ſeipſis ut philoſophi docent ut ſumma

Digitized by Google

ma rerum genera, & ultimæ differentiæ nec non prima principia, quæ aliunde non poſſunt demonſtrari, alioqui res in infinitum abiret: cùm verò ſuapte luce pateant, ſi quis ea fortè negaverit, non eſt conveniendus argumentis, ſed ad agnatos relegandus aut ſuppliciis coërcendus, quod ipſe Philoſophus agnovit qui talem ait vel ſenſu vel pœna indigere: nam ſi minus agnoſcit, quod natura ſua evidens eſt, eo ſe prodit carere ſenſu, ſi agnoſcat & tamen inficias eat, pœnâ dignus eſt ob mendacium: ſicut enim quædam corpora non indigent externæ lucis ut cernantur cujuſmodi ſunt ignis ſtellæ & præſertim Sol, ita nonnulla ſunt axiomata quæ veritatis cauſam externam non habēt. Sic autem definiuntur primi poſteriorum analyticorum, capite 10. ὃ ἀνάγκη εἶναι δι' αὐτὸ καὶ δοκεῖν ἀνάγκη, *quod neceſſe eſt eſſe per ſe ac videri tale*, id eſt quod non modò eſt αὐτόπιστον, verùm & à nemine ſerio negari poteſt aut dici aliter ſibi videri qui modò ſit rationis compos. Notabilis definitio, ex qua conficimus hoc principium cœleſtis ſapientiæ non modo in ſe obtinere auctoritatem, ſed quoad nos, quia ſi principium eſt, non modò debet eſſe indubitabile in ſe ſed tale videri etiam, certe iis omnibus quibus non deeſt idonea facultas nempe à ſpiritu colluſtrata: ſicut enim principia negare dementis eſt, ita Scripturā non agnoſcere pro divinâ inſania quædam eſt ſpiritualis, & in eos tantùm cadit, qui Spiritu Dei vacui ſunt quos ſacræ litteræ *ſtultos* appellant. Porrò ſicut intelligentia ſive ὁ νοῦς principia lucida per ſe admittit, intellectus ſive ratio concluſionibus quæ deducuntur ex principiis aſſentitur non alia ratione quàm quia veritatem ſibi amicam in demonſtratione intuetur, alioqui ratio rationis perpetuò reddenda foret: ita τὸ πνεῦμα, ſive facultas regenita Scripturam eſſe divinam principii inſtar habet quod per ſe manifeſtum eſt nec poteſt demonſtrari niſi à poſteriori ex effectu non per cauſam. Denique fidelis concluſiones elicitas ex principio tali amplectitur fide pari ob lucem quam videt eas à principio mutuari, quæ res ideò vocatur ἔλεγχος Hebr. 11. 1. & ἀπόδειξις 1 Corinth. 2. 4. & quemadmodum conſcientia communes notiones boni & mali nullo doctore ſervat, & voluntas bonum ſemel monſtratū ipſius ſpecie ac ideâ boni ſibi congruētis illecta ſequitur, ita fides quæ conſcientia quædam ſupernaturalis eſt. 1 Pet. 3. 21. & velle illud perfectum quod Deus in nobis operatur Philipp. 2. 13. Euangelium ſemel conceptum propter fulgentem in eo lucem, pulchritudinem, gloriam ſupra mortalitatis modum, pro divino agnoſcit. Adde quod novus homo non modò novam obtinet διάνοιαν, Hebr. 8. 10. & νόημα 2 Corinth. 3. 14. & καρδίαν Acto. 16. 14. Sed & ſenſus omnes ei ſpiritualiter accommodantur αἰσθητήρια Hebr. 5. 14. oculi Epheſ. 1. 18. guſtus 1 Pet. 2. 3. olfactus 2 Corinth. 2. 14. auditus Joh. 6. 45. adeoque tactus Actor. 17. 27. & 1 Joh. 1. 1. Unde Verbum Dei ſub imagine lucis admirandæ, cibi prædulcis, odoris fragrantiſſimi, vocis exaudibilis, & rei cujuſdam tractabilis exhibetur: quæ objecta omnia per ſe à facultate ſua, ſtatim ut iis appli-

cita

cita eſt, dijudicantur, imbuta qualitatibus iis, quarum appulſu facilè dignoſcuntur. Agnoſcit igitur ille divinus fidei oculus Chriſti revelati faciem picti & poſiti ob oculos in Euangelio, ſicut & mirabilia legis: guſtat anima fidelis bonum Dei Verbum & ſtatim ut appoſitum eſt deglutit, currit in odorem unguentorum & ut aquila in cadaver ſubvolat, exaudit amici vocem & Sponſi ſalientibus præcordiis, & palpando Deum invenit, neque id modò, ſed complectitur verbum ejus tenaciter 1 Tit. 9. Quæ cùm ita ſint experientiâ quaſi quâdam & ſenſu verbum Dei dignoſcitur, ac per ſe innoteſcit 1 Cor. 2. 15. Quippe cùm ea ſit uniuſcujuſque facultatis indoles, ut objecto ſe ſuo applicet ſponte, niſi vel illa pravè comparata ſit, vel illud non bene objiciatur: idque propter arcanam conſenſionem ac proportionem facultatis ad objectum, ut materiæ ad formam, quid mirum ſi mens à ſpiritu colluſtrata, θεοδίδακτος, id eſt optimè comparata cum verbo à ſpiritu revelato & θεοπνεύστῳ id eſt objecto maximè conſentaneo per ſe unitur à quo perficiatur ac veluti glorificetur 2 Cor. 3. ult. Nempe ſicut ſummum bonum non poteſt non amari, ſic primum verum non poteſt non agnoſci & apprehendi. Quod autem in genere naturaliter intelligibilium eſt ens entium, & quod in ordine corporaliter ſenſibilium eſt Sol, id eſt in ſphærâ rerum intelligibilium ſupernaturaliter, & ſenſibilium ſpiritualiter verbum Dei, primò verum, primò perſpicuum, & nobiliſſimum. Quanquam igitur multi cæcutiunt & caligant in Sole, nihilo tamen minùs ipſe radios emittit, quos per ſe uſurpant, qui valent oculis; per eum enim cætera omnia videntur, non aliena luce: ita nimis multi Scripturam contemnunt profani, & animales non intelligunt; ſicut prima principia ſcientiarum veſani homines interdum negant, & brutæ animantes non capiunt: Scriptura tamen ipſa ſuis pollens opibus quoddam veluti numen ac divinitatem ſpirat, & ſuos perpetuò radios jaculatur, & αὐτὴ δὲ αὑτῆς ἐπικρατεῖ καὶ καταγωνίζεται τὸ ψεῦδος, quod de Veritate dixit Polybius & *merſata profundo pulchrior evenit* ut ille alter loquitur, nec adverſus eam quicquam poſſumus 1 Cor. 13. 8. Atque ut in æternâ vitâ in lumine Dei videbimus lumen Pſal. 26. 10. Pſal. 84. 12. idem nobis quadam tenus, & κατ᾽ ἀναλογίαν in hac etiam vitâ contingit 2 Pet. 1. 19. Cui loco intelligendo facit quod Auguſtinus Tract. xxxv. in Joh. ſcripſit: *Lucerna*, inquit, *ardens idonea eſt & alia quæ tenebris operiebantur nudare, & ſeipſam tuis oculis demonſtrare*; Nec quicquam prodeſt, quod ajunt lucem verbum Dei eſſe non ut ſcriptum eſt, ſed ut in ore ſonat Eccleſiæ; ſcriptio enim & prolatio verbo Dei accidunt, & abſque illis divinum eſt, ac manet in ſeipſo: Longè tamen evidentiùs ac diviniore modo ſeſe habet in Scripturis, velut aqua in fonte aut lux in Sole, quæ dum percolatur ac tranſit per organa tuboſque mortalium inquinari facilè poteſt & obſcurari: Quatenus autem ſcriptum eſt, eatenus illuminare patet Rom. 15. 4. Joh. 20. 31. 2 Tim. 3. 15. 2 Pet. 1. 19. Tùm quod alii afferunt non eſſe lucem antequam cognoſcatur ſed ubi

Digitized by Google

demùm cognoſcitur, inter quos Bellarminus eſt, parùm ad rem facit: ut enim lux corporea ſive cernas eam ſive non cernas lux eſt tamen, neque enim noſtrum intelligere facit ut verbum Dei ſit lux, non magis quam noſtrum cernere facit ut Sol irradiet: ita qui ait verbum Dei ideo lucem dici, quòd, intellectum cum fuerit, mentem illuſtrat, perinde loquitur, ac ſi diceret lucem Solis, viſa cum fuerit, oculos illuſtrare. Non autem illuſtrat oculos ejus, qui differre à tenebris eam, niſi auctoritate aliorum inductus, non credit.

Reſpondeo ad primum, retorqueri poſſe dupliciter: nam primò unde ſciemus hanc eſſe veram Eccleſiam? vel tota toti vel pars conciliabit parti auctoritatem. Secundò deinde unde cognoſcit Eccleſia ipſa Dei verbum? non ex immediata revelatione, quod omnes conſentiunt: non ex ſuo ipſius teſtimonio, antè enim cognoſcere debet quàm teſtimonium dicit: at nec ex ipſo Dei verbo: nam vel ex toto vel ex parte, quæ parti lucem inferet. Secundò verbi Dei partes omnes non apud omnes pariter in dubium vocantur: unde Dominus Saducæos loco ex Pentateucho refellit, cum alii longe in ſpeciem illuſtriores peti poſſent ex Prophetis pro reſurrectione tuendâ; ſed illi Prophetas non admittebant. Sic Paulus, ſic Beroënſes, ſic nos Judæos hodie convenimus. Tertiò denique totum verbum ex toto poteſt intelligi non tanquam argumento inartificiali (nam & Mahumetis Alcoranum ſe divinum fert) ſed artificiali atque inſito, ut Rhetores vocant, cùm in eo cernantur divinæ dotes quæ in hominum reperta non cadunt, & id ingenium ſit ſapientiæ, eloquentiæ, pulchritudinis, gloriæ, lucis, ut per ſe influant in ſenſus & animum tangant. Qui cæcus non eſt novit Solem lucere quamvis teſtibus non probetur: ita fidelis certò ſcit Scripturas eſſe divinas demonſtratione, conſcientiâ, inſtinctu, obtutu veluti quodam, ut etiamſi refragentur omnes, quos hujus ſæculi Deus excæcavit 2 Corinth. 4. 4. non poſſit tamen à propoſito avocari.

Ad ſecundum, ſicut Deum eſſe, quo nihil notius, motum eſſe, nivem albam eſſe quidam negarunt, ita protervè ac improbè faciunt, qui Scripturas eſſe divinas negant: at ſi qui neſciunt, id non eſt inde quod objectum non ſit per ſe notum aut certè nobile, ſed quia facultas eos deficit ut qui Deum ignorant qui eſt maximè intelligibilis, quia mente capti ſunt; aut qui Solem non vident, qui eſt maximè viſibilis, quia ſenſu carent; planè ut capta oculis mulier apud Senecam, quæ non exoriri Solem quiritatur.

Ad tertium, doceri ab Eccleſia opus eſt, tùm quia multi neſciunt litteras, tùm quia omnium ſic cognitio promovetur: ſed prædicationem lectioni minime officere, ac meditationi patet 2 Tim. 3. 15. 1 Tim. 4. 2. 3. & excellenti loco Pſal. 119. 99.

QVÆSTIO V.

An Scriptura obtineat Auctoritatem quoad nos *ab Eccleſia.*

Videtur obtinere, primò exemplo Solomonis enſe ſtricto (viſe locum, 1 Reg. 3.) nec enim effecit ut hæc eſſet ſua huic

huic filio mater, ſed utra eſſet patefecit: ita Eccleſia non facit ſed demonſtrat Scripturam divinam eſſe: ſecundò Eccleſia non docet modò ut peritus doctor, ſed affirmat etiam ut probus teſtis 1 Tim. 1. 8. & ſe inſtar Legati habet qui litteris inſtructus vadit, quas *credentiæ* vocitant.

Denique exemplo Concilii Hieroſolymitani Act. 15. *Viſum eſt Spiritui & nobis:* nam ſola pugnat auctoritate.

Sed contra ſcriptum eſt Gal. 1. 8. Joh 5. 24. utebatur enim Chriſtus Johannis teſtimonio accommodatè ad Judæos non tamen credi propter eum volebat Joh. 1. 7. δι' αὐτοῦ non δι' αὐτὸν ita nos *per* Eccleſiam credimus verbo non *propter* Eccleſiam.

STATUS QUÆSTIONIS diligenter eo animadverti debet, quod cum ponere qui revera non ſit, falſò quidem, ac invidioſè, ſinceriſſimus Theologorum, ſed tamen inſimulatur, quaſi quæratur, Utrum Scriptura divina ſit & autoritatem *in ſe* divinam ſortiatur, quod nemo Chriſtianus homo addubitat ab auctore ſuo provenire, quanquam, quid igitur aliud ſibi volebant, aut qui *Scripturam non eſſe authenticam niſi Eccleſiæ authoritate* dixit Ekcius, *de auth. Eccleſiæ. Reſp. ad 3. ob.* Aut qui, *non poſſe nos aliter Scripturis credere niſi quia Eccleſia illis teſtimonium perbibet* Pigh. de Hierarch. Eccleſ. Aut qui *non magni ponderis fore Scripturas niſi propter Eccleſiæ teſtimonium* Hoſi. de auctoritate Eccleſiæ lib. 3. Aut qui *nihil ineſſe quicquam divinitatis in iis libris quibus ſacra Myſteria conſcripta ſunt, nec inveniri aliquid in iis libris quod nos religione aliquâ cogat & conſtringat ad credendum quæ illis continentur, ſed Eccleſiæ tantam eſſe vim & amplitudinem ut nemo ſine maximâ impietatis notâ repugnare poſſit* Andradius lib. 3. defenſ. Trident. Aut qui *ſic atteſtari Eccleſiam ut non ſecus Eccleſiæ teſtimonio credere debeamus ac Chriſti teſtimonio crediderunt Apoſtoli & non credi Deum eſſe niſi propter Eccleſiam* Stapletonus adverſus Wittaker. lib. 1. cap. 7. Aut qui *omnium dogmatum firmitatem pendere ab auctoritate præſentis Eccleſiæ* Bellarm. Tom. 2. de Sacra Script. lib 2. c. 28. Aut qui *ſi Papa erraret qui Eccleſiæ nomine plerumq; venit præcipiendo vitia & prohibendo virtutes, teneri Eccleſiam, credere vitia eſſe bona & virtutes eſſe malas niſi vellet contra conſcientiam peccare* Bellarmin. lib. 4. de Pontif. cap. 5. Aut qui *Scripturas valere quantum Titus Livius aut Æſopi fabulæ idque pio ſenſu dici poſſe* Hoſius contra Brent. Aut qui *autoritatem Scripturæ totam pendere ab Eccleſiâ, propter Eccleſiam ſolam ſeſe credere Scripturæ univerſæ* Petrus Simon. Tilet. Yprenſis Epiſcopus lib. de Verit. c. 40? Quid quæſo illi omnes aliud ſibi voluerunt, quàm quod ſibi affingi eorum conſecranei, etiam à non affingentibus, quiritari amant? Sed tandem aliquando ſapere auſi ſunt atque incœperunt, ubi rectè conſtituerunt, non quæri, unde obtineat Scriptura divinitatem ſuam, quæri modò unde nos obtineamus ut qualis eſt, à nobis agnoſcatur? quod, ut verum ſit, nihil tamen cauſam eorum adjuvat: quippe quæ res facit ut Scriptura etiam incognita divina ſit *in ſe*, facere debet eadem ut jam cognita divina ſit *nobis* & appareat, quod præcedenti docuimus quæſtione: ſi vero quæritur unde cognoſcatur à nobis Scripturæ divinitas, mutatur quæ-

ſtionis ſtatus: jam enim quærimus non *unde* aut *per quid* aut *quo inſtrumento* cognoſcatur, ſed *cur* & *propter quid* & *quo argumento* credatur? Illi nos propter Eccleſiam credere Scripturæ dicunt; Nos Eccleſiæ propter Scripturam credendum eſſe: Illi credendum Scripturæ quatenus ab Eccleſiâ teſtimonium accipit: nos contrà Eccleſiæ quatenus Scripturæ conſentanea loquitur. Optimè igitur Calvinus ille quem in hoc argumento tam inclementer accipiunt quæſtionem conſtituit, *Quæ Scripturæ reverentia debeatur?* nam quid eſt reverentia niſi auctoritas apud nos *de facto*, non *de jure*, ſive *Quis nobis fidem faciat hæc à Deo prodiiſſe?*

RESP. QUÆSTIONI; Dura & incommoda eſt auctoritatis *in ſe* & *quoad nos* diſtinctio; auctoritas quippe cum ſit τ πρός τὶ abſolutè ſpectari non debet: eſto tamen, quando nihil minus Chriſtianos decet quam νοσεῖν περὶ λογομαχίας hoc illis peccatum in voce condonamus: At non condonamus quod hanc auctoritatem quoad nos, ſive meliùs, divinitatis quam præ ſe fert veritas cognitionem ab Eccleſiâ ſuſpendunt. Primò enim verum à Laïcis prædicatum ſola vi lucis inſitæ fidem impetrabit, quod patet ex hiſtoriis Æthiopum & Perſarum, &c. qui muliercularum, captivarum, & eunuchorum voci crediderunt, qui non erant Eccleſiæ præpoſiti, tum Actor. 2. 20. de Græcis qui converſi ſunt maximam partem cum iis Cyprii quidam Chriſtum patefacerent & Act. 17. 34. de Dionyſio Areopagita & aliis apud quos Paulus de Eccleſiâ ne verbum quidem. Adde quod fidem niti humano teſtimonio perabſurdum eſt: ſic enim *de humano arbitratu divinitas penſitatur, & homo jam Deo propitius eſſe audebit*, ut ſcitè non in eodem, ſimili tamen, argumento loquitur Tertullianus Apolog. & à Pontificum & majorum auctoritate noſtra ut Ethnicorum religio pendebit: Conſule Tullium initio libri 3. *de natura Deorum*. Quòd autem teſtimonium Eccleſiæ quia Deus per Eccleſiam loquitur ſcilicet pertendunt eſſe divinum, eos fugit ratio: nam ſi divinum eſt hoc teſtimonium, verbum Dei quoddam eſt, nempe prædicatum: prædicatum verò ſit, an ſcriptum, nihil intereſt; quærimus unde dignoſcatur? cùm non magis Deus loquens per Eccleſiam quàm ſcribens per Apoſtolos appareat. Ac demùm ſic in Eccleſiam ultimum fidei reſolueretur principium: nam planè vanum eſt quod hoc ſequi eò negant, quod fidei cauſa principalis non eſt Eccleſia ſed inſtrumentalis: Fatemur habere ſeſe ut *inſtrumentum* Eccleſiam, cùm Doctoris munere fungitur, & rationes adducit: at eadem ubi teſtem & judicem agit, ſuoque teſtimonio credi ac judicio morem geri vult, jam ſeſe habet inſtar *argumenti* quod ſi fatentur non eſſe præcipuum, vicerimus nos: quæritur enim hoc, Utrum Eccleſiæ teſtimonium ſit præcipua cauſa credendi necne? Quando igitur hic non de principio *eſſendi* quod illi fatentur eſſe Deum in Eccleſia loquentem, ſed *cognoſcendi* diſputatur deque reſolutione non rerum ipſarum ſed probationum quibus fides noſtra nititur, efficitur ex iis fidem in Eccleſiam tanquam ultimum principium reſolui.

Reſpondeo ad Arg. ad primum; ſimilitudines illuſtrant non probant niſi à

Spiritu

Spiritu S. adhibeantur. Secundò ſi proles illa matrem ſic oculis totoque vultu retuliſſet ut Scriptura parentem auctoremque ſuum altè impreſſis toto corpore notis reddit ac repræſentat, nullus fuiſſet judicio aut liti locus: denique Rex non ante pronuntiavit: *hæc eſt ejus Mater*, quàm indubia ϛοργῆς naturalis ſigna edentem animadvertit: non ita Eccleſia quæ ἀβασανίϛως, & inconſultâ Scripturâ fert ſententiam.

Ad ſecundum, Eccleſia teſtis nunquam dicitur, ſed Euangelium 2 Tim. 1. 8. teſtimonium Dei, non de Chriſto ab Eccleſia, ſed potius à Chriſto de perſona doctrinaque ſuâ profectum quod nequis addubitet, conferatur cum 1 Tim. 6. 13. Deinde teſtis fuerit Apoſtolorum Eccleſia qui viderant Dominum & quæ viderant teſtabantur quæ ſane conditio neceſſaria erat muneris Apoſtolici: unde Paulus crebrò quia non viderat Chriſtum in carne, ſe vidiſſe affirmat in tertio cœlo & ab eo revelationem hauſiſſe, Gal. 1. 7. At nihil tale hodiernæ competit Eccleſiæ: Quid quod Apoſtoli etſi oculati teſtes forent, & miracula patrarent, ut de cæteris omittamus dicere, quia tamen auctoritas interdum Apoſtolica revocabatur in dubium, quid illi facerent? provocant ad inſitam in verbo Dei veritatem ac præſtantiam 2 Corinth. 3. 2. 3. Epheſ. 3. 4. Ac demùm ſi Legatus non aliter ſciri poſſe à quo Principe veniant litteræ, niſi hoc uno quod ipſe affirmat, eaſque adeò nulli legendas alii ſibi uni patere vellet, cum litteræ illæ omnem ab auctore, à latore nullam auctoritatem habeant, ſi urgeret utcunque proferendum ſibi eſſe quæ haberet in mandatis ex autoritate litterarum, nec non ſe litteris auctoritatem adimere atque aſſerere poſſe, an non deberet omnibus ludibrium?

Ad tertium, ex Actorum 15. longum latumque diſcrimen eſſe inter Concilium illud Hieroſolymis coactum & ea quæ hodie celebrantur & Eccleſiæ nomine non rarò veniunt. Primo conſtabat inter omnes, Apoſtolos qui pars magna erant hujus Concilii eſſe θεοπνεύϛους id eſt ſumma præditos auctoritate, quod ipſe Deus teſtatum fecerat. Secundò res erat illi Concilio cum fidelibus, qui Apoſtolorum agnoſcebant auctoritatem, hic verò agitur de auctoritate Eccleſiæ in eos qui ut verbo Dei credant ſunt adducendi. Tertiò nihil opus erat ut epiſtolam rationibus additis facerent longiorem, quam per eos Prophetas mittebant qui rem totam erant pluribus expoſituri 32. & Barnabas Pauluſque ſe conferebant eòdem. Quartò in vocibus βάρος & ἐπάναγκες τούτων hæc ratio apprimè notabilis includitur: quod enim eſt neceſſarium & eſt onus id non imponendum Eccleſiæ Chriſtianæ. Atqui talis eſt ceremoniarum obſervatio legalium: Ergo, &c. Denique, quod eſt huic rei caput, cùm Eccleſiæ perturbari ſoleant ſpecie *veritatis* interdum, interdum *auctoritatis* ſpecie, hoc eſt ita rixari & diſputare ut vel aliquid amplectendum eſſe pugnetur ideò quòd verum ſit, vel ideo quòd magnis in Eccleſia viris placuerit; non hîc priori, ſed poſteriori duntaxat quæſtioni locus erat: nam qui è Judæâ venerant falſi Doctores labefaciebant Eccleſiam Antiochenam non tàm ratio-

nibus

nibus & argumentis quàm prætexentes dogma ſuum auctoritate Apoſtolicâ & Eccleſiæ Hieroſolymitanæ conſenſione: itaque juerant Legati Paulus & Barnabas âliique ad Apoſtolos cogituri an ita res eſſet, ac ſciſcitaturi, quid ea de re arbitrari vellent: nihil erat igitur opus rationibus agere, ſatis erat ſi, pro eo ac fecerunt, ſimul negarent juſſu ſuo eſſe factum, ut ita illi è Judæâ docerent, ſimul judicium ſuum ſuper illa controverſiâ pronuntiarent. Adde quòd ſi quis forte ſic filium alloquatur, Deo & mihi viſum eſt ut tu, fili, fratri tuo quoties in te peccaverit ignoſcas, temerè filius inde conficiet, præter Patris auctoritatem judiciumque nihil eſſe unde id officium Deo gratum eſſe poſſit intelligere. Certè nihil impedit Patrem illum rectè & ordine loquutum eſſe, ut ſe bis peccaſſe filius agnoſceret, dum & rem quam tenebatur præſtare omittebat & obedientiam debitam ſuperioribus aſpernabatur. Ut ſit finis, Annon ſi decreti hujus Apoſtolici auctoritate tanquam præcipuo tibicine niteretur piorum fides de libertate Chriſtiana quæ nos à jugo legis exemit, Paulus oblitus ſui eſſet, cùm iis in Epiſtolis, in quibus hoc argumentum exequitur pertractatè, nullam hujuſce decreti mentionem facit?

QVÆSTIO VI.

An Eccleſiæ judicium circa Scripturæ autoritatem nullius ſit momenti?

VIdetur nullius momenti, primò quia vera Eccleſia ignoratur.

Secundò Chriſtus ab homine teſtimonium non accepit, ſed Eccleſia ex hominibus conſtituitur.

Tertiò, quoniam Eccleſia ſæpe fallit, ſæpe fallitur.

Sed contra ſcriptum eſt de Phariſæis, *ſedent in cathedra Moſis* & Eccleſia Scripturam *cuſtodit* Rom. III. 2. 2 Tim III. 19. *diſcernit* Hebr. v. 14. *promulgat* Matt. XXVIII. 19. eamque per ſeipſam *interpretatur* Rom XII. 6. 2 Petr. I. 20. Nehem. XIII. 8.

STATUS QUÆSTIONIS per ſe planus eſt.

RESP. Quæſtioni ex Auguſtino tract. in Joh. 15. ſic agi hodie cum iis qui foris ſunt necdum Chriſtiani, nuntiari Chriſtum per Chriſtianos amicos tanquam illa muliere Samaritana, hoc eſt Eccleſiâ annunciante: ad Chriſtum veniunt, credunt per iſtam famam: ille apud eos biduo manet eiſque tradit præcepta charitatis jamque multo plures & firmius in eum credunt, & jam *non propter loquelam tuam* ajunt Joh. IV. 42. jamque ipſa fide valentiores facti non jam hominibus ſed ipſo Deo mentem formante ac illuminante (quæ adhuc verba Patris illius ſunt) non ut illi dicunt, non magis crederem Scripturæ quàm Tito Livio ſine auctoritate mulieris, ſed dicunt ut illa, *ſapientia tua major eſt quam rumor quem audivi.* Miniſterium igitur Eccleſiæ publicum apprime neceſſarium & honore digniſſimum eſt, tùm propter doctrinæ cœleſtis altitudinem, tùm propter humani judicii infirmitatem in ſingulis præſertim & idiotis: & judicandi poteſtatem ſibi Eccleſia vendicat in externâ Politiâ, de ritibus, de ordine, ac decoro

1 Cor.

1 Cor. xiv. 40. de collectis die Sabbathi 1 Cor. xvi. 2. de capite virorum nudando & alterius ſexus velando in Eccleſia 1 Cor. xi. 5. Quod ſemper factitatum ab Eccleſiâ & propterea in quæſtionem vocare *non longe abeſt ab inſaniâ*, inquit ille; Sed & mutandorum *rituum* jus obtinet, quare ſublatæ ſunt mulieres electæ ac diaconiſſæ Rom. xvi. 5. charitatis feſta & Agapæ Judic. xii. oſculum ſanctum Rom. xvi. 16. trina in Baptiſmo immerſio poſtquam Ariani ea ceperunt abuti. Ac *in Doctrinâ*, quanquam non hactenus pertinet Eccleſiæ auctoritas, nova ut poſſit condere dogmata, hoc eſt eſt leges migrare veteres, ac ſancire novas in Republicâ Chriſtianâ, quod jus eſt penes principem unum, legumque conditores, hoc tamen privilegio gaudet ut legum quibus debet ſervire faciat interpretationem non arbitratu ſuo, ſed ex mente principis, & germano ſenſu legis, more magiſtratuum ſubalternorum, qui non propterea nulla ſunt auctoritate præditi, quod legibus tenentur obſequi: nec ſi Eccleſia ſecundum Scripturam judicare debet, continuò auctoritate omni eſt vacua. Joh. ix. 22. Sacerdotes excommunicant quotquot Chriſtum fatebantur Meſſiam qui tamen præcipuâ quâdam auctoritate pollebant & Eccleſiam per id temporis faciebant. Auguſtinus: *Ligas aliquem in terra ſed ut juſtè alliges vide: nam injuſta vincula diſrumpit injuſtitia.* Eccleſiæ igitur auctoritas omni humana major nobis eſt, & uni Deo in Scripturis loquenti ejuſque Chriſto inferior: atque adeo in ordine ſuo præcipua & ſumma, ſi modò principi & ſupremæ auctoritati à quâ ſuam, quanta quanta eſt, corrivat ac mutuatur, non reluctari audeat. Atque hinc ad argumenta patet ſolutio & ſequenti quæſtione patebit ampliùs.

QUÆSTIO VII.

An Eccleſiæ Judicium circa Scripturæ auctoritatem falli poſſit vel fallere?

VIdetur non ita eſſe, primo quia Matt. xviii. 20. *ubi erunt duo aut tres*, &c.

Secundò Joh. xvi. 13. *Spiritus veritatis docebit vos*, &c.

Tertiò Act. xv. 28. *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, &c.

Atque his locis probant Concilium generale non errare quæ *prima* claſſis eſt.

Deinde IV. Matth. xvi. 18. *Super hanc petram*, &c.

V. Matth. xviii. ult. *Ecce ego vobiſcum ſum*, &c.

VI. Epheſ. iv. 4. *Unum corpus, unus ſpiritus.*

VII. 1 Timoth. iii. 17. στύλος καὶ ἑδραίωμα, &c. quibus argumentis conficiunt Eccleſiam nec in credendo nec in docendo errare poſſe quæ *altera* claſſis eſto.

Tum VIII. Luc. xxii. 32. *Rogavi pro te*, &c. aliiſque locis quibus efficere volunt Romanum errare Pontificem non poſſe, quæ *tertia* veluti claſſis eſt.

Denique IX. Loca omnia congerunt in quibus officium commendatur paſtorum & honos illis debitus adſcribitur, quibus probant longe magis cunctos congregatoſque paſtores id auctoritatis habere

bere quæ claſſis eſt argumentorum *poſtrema.*

Sed contra ſcriptum eſt 1 Reg XXII. 6. ubi fruſtra excipiunt fuiſſe pſeudoprophetas: certe enim quatenus errabant, falſi erant, ſed pro talibus non habebantur à Ioſaphat pio Rege qui conſilium eorum ſequitur: & fruſtrà pariter ajunt multos prophetas & ſacerdotes in Iudæa fuiſſe alios, & Hieroſolymis: nam & hi errabant & ſeſe turpiter dabant 1 Reg. XV. 45. 2 Reg. XVI. 11. 2 Paral. XXVIII. 24. 2 Reg. XXII. 28. deinde Eſa. LVI. 10. *ſpeculatores cæci omnes*, quod firmatur Ierem. V. 30. & VI. 16.

STATUS QUÆSTIONIS eſt non utrum Eccleſia Dei Catholica & ſancta Sponſa Chriſti poſſit errare finaliter in fundamento, ſed utrum Eccleſia repræſentativa & conſpicua quæ dicitur Eccleſia & exiſtimatur errare poſſit: prius illud omnes Chriſtiani ore uno confitentur & patet ex hujus origine controverſiæ in quam ſupra digitum intendimus: quippe non quærebatur utrum Eccleſia illa ſoli Deo nota poſſet arbitrari de litibus ortis inter Chriſtianos: quærebatur an Romana quæ ſe talem ferebat vel ſimpliciter utrum illa ſocietas, quæ tali gaudet nomine ac facie dirimere controverſias deberet: Poſterius hoc Pontificii ſoli prædicant. Bellarm. 3. lib. de Eccleſia c. XIV. *Noſtra ſententia*, eſt inquit, *non poſſe errare Eccleſiam nec in abſolutè neceſſariis, nec aliis quæ credenda vel facienda nobis proponit ſive habeantur expreſſè in Scripturis ſive non*, &c.

RESPONDEO QUÆST. Eccleſiam Catholicam, de quâ Symbolum, penitus in rebus pertinentibus ad fundamentum errare non poſſe: ut enim ſuperſint pauci quidam & latitantes, qui difficillimis Eccleſiæ temporibus publice ignoti, non ignoti Deo ut pote ſui 1 Tim. II. 19. per fidem cuſtodiuntur ut ſemen & reliquiæ Eſa I. 19. & XXIV. 13. Soph. III. 27. & hoc unum probant loca objecta ex Matth. 16. & XXVIII. adde Matth. XXIV. 24. & nota εἰ δυνατὸν & 1 Reg. XIX. 18. At verò Eccleſia illa de qua eſt præſens inſtituta Quæſtio, quam volunt eſſe conſpicuam & in Concilio *repræſentativè*, inq; Pontifice *virtualiter* ineſſe dicũt, adeò errare poteſt ut prodigialiter & exitialiter erraverit, quod ſuo manifeſtum faciemus loco: atque adeo quævis Eccleſia hujuſmodi quæ humano tantùm judicio & opinione hoc ſibi nomen vendicat errare pariter poteſt; qnod omnium hiſtoria temporum affirmat. Sed vel maxime Concilium illud Sacerdotum & ſeniorum in quo Chriſtus Dominus condemnatus eſt Marc. XIV. Quid enim reſpondebunt? An uſque ad Chriſti tempora quidem non errandi viguiſſe privilegium, at non viguiſſe Chriſto jam docente? Sed quos in iis Chriſtus caſtigat errores antè adventum ejus inoleverant neque tunc demum nati aut propagati erant: ideò ab antiquitate commendantur Mat. V. 21. & Phariſæi ſedentes in cathedra Moſis Matth. XXV. 2. etiam tùm cùm Chriſtus doceret certo reſpectu audiendi erant; non fuiſſent autem, ſi acceptum non errandi privilegium nuper amiſerant: ſed uſque eò nihil eis detractum fuit ante mortem reſurrectionemque Chriſti ut ipſe homines interdum ad eos allegaret. An Eccleſiam non fuiſſe paucos illos, ſed totam

totam populi multitudinem quod Stapletonus lib. II. de Principiis Doctr. cap. XI. affirmat? Sed populus ipſe fuit ſeductus à Doctoribus non tam Paſtoribus, quam impoſtoribus, ut exclamet Marc. XVI. 13. *Crucifige.* An quod Bellarminus adjectat Ioſephum Arimathæum, Nicodemum, alios, in Iudæa, Iudæoſque orbe toto ſparſos nihil de Chriſti morte ſciviſſe? At hi certè non faciebant Eccleſiam de quâ nos loqui anteſtabamur, ſed Sacerdotes ac Pontifices: nec aſſerimus nos quidem Iudæos univerſos erraſſe, verùm eos qui audiebant Eccleſia, & eam repræſentabant. An erraviſſe illam Eccleſiam ſive Concilium in facto non in jure, hoc eſt, non in eo utrum verus Meſſias eſſet morti addicendus, ſed in eo quòd quem credebat falſò mentiri nomen Meſſiæ morti addixerit? Atqui hæc mali commatis eſt argutia & planè impia. Nam ignorantia *facti* cum nulla eſt cauſa idonea factum ignorandi, quod ſe prodit luculentis indiciis, jam pro ignoratione *juris* habetur, & ſic Paulus blaſphemus non eſſet, (quod tamen fatetur) quia fecit ignorans, ipſique Domini carnifices extra culpam ſcilicet forent, quem ſi agnoviſſent, non utique crucifixiſſent: & hodierni Judæi eâdem ſe cum ſuis patribus defenſione non incommoda tuerentur. An Concilium erraſſe mente non verbis, quando Caïphas ille illo anno ἀρχιερεὺς prophetavit, ubi expedire dixit unum hominem mori pro toto populo Joh. XI. 50. 51? Atqui dùm adeuntur Concilia, quæritur mens eorum, nec verba niſi propter mentem; deinde non hæc fuêre verba Pontificis Chriſtum calculo ſuo damnantis, tunc enim eum blaſphemaſſe dixit, ſed inuſitatô afflatu loquentis ut extaret monumentum veritatis ab ore hoſtium proditæ, planè ut cùm Pilatus cruci Dominicæ inſcribi juſſit hunc indicem *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*, ut ſæpe judicibus imprudentibus nec opinantibus extra Senatum ea excidunt, à quibus in Concilio inter ſententiam dicendum penitùs abhorrent: nec ea fuit mens Caïphæ, quam Johannes pro ſua ἐξουσίᾳ expreſſit, ſed hæc longe alia, fore ut populus totus offenſionem Romanorum incurreret, niſi Chriſtus è medio tolleretur. An Concilium illud non fuiſſe legitimum? (quanquam Hoſius lib. II. Adverſ. Proteſt. Brent. ait ei Spiritum Sanctum præfuiſſe) At illegitimum quidem fuerit quoad actum & *ab intrinſeco*, fuit tamen legitimum quoad munus & auctoritatem *ab extrinſeco*: cùm omnes ei conditiones adſint, nec potuerit ullùm eſſe majori auctoritate per id temporis. An Eccleſiam Iudaïcam errare potuiſſe, non tamen Chriſtianam cujus potior eſt conditio, & promiſſiones longe ampliores, & abſolutæ, non aptæ ſuſpenſæquè ab aliqua conditione? Sed primò Deus ut in natura, ſic in Eccleſia nunquam deficit in neceſſariis, hanc tamen iſti prærogativam ita volunt eſſe neceſſariam Eccleſiæ, ut, abſque ea eſſet, vibraret fides, & ilicet actum eſſe conclament de certitudine credendi: Porrò illæ promiſſiones ſunt abſolutæ pertinentque ad Iudæos, Eſa. XLIX. 14. ſimileſque complures: ac demùm Paulus ſcribens ad Eccleſiam Romanam olim quæ hodie dicitur errare non poſſe à Iudaïca Eccleſia ad Chriſtianam non à pari modò, ſed à majori argumentum deſumit;

mit; illiuſque potiores hactenus fuiſſe partes aſſerit ut naturalium ramorum præ inoculatis Rom. xi. 19. 1 Cor. x. 11. 2 Petr. II. 4. 12.

Ad ARG. PRIMUM, Matt. 18. 20. A minori ad majus hoc argumentum ducitur, quod tùm demùm valet, cum & minori convenit, quod volumus convenire majori multò magis: at nemo dixerit *infallibilitatem* promitti duobus aut tribus; ſed Concilio tantùm generali. Secundo non eſt hîc prædictio abſoluta, ſed promiſſio variè conditionata, *ſi conſentiant, ſi petant, ſi conveniant, in nomine Domini*: quid eſt autem *in nomine Domini?* Non ex vocatione modò, ſed animo ſequendi præſcripta Dei, & animo in Chriſtum fide ſubnixo non propriâ prudentiâ: quas conditiones utrum impleat Concilium, Deus novit.

Ad *ſecundum* Iohan. xvi. in Spiritus dono quæ ſunt *ordinaria* diſtingui debere ab *extraordinariis*: illa perpetuò, hæc ad tempus vigere in Eccleſiâ decuit Ioh. 14. uſq; ad conſummationem ſeculi promittitur Spiritus quoad operationes ordinarias, cap. xvi. promittitur Apoſtolis ut immediatè doceantur & doceant quæ Chriſtus ob infirmitatem diſcipulorum reticuerat futuraque revelent, quarum rerum neutra doctoribus competit ordinariis.

Deinde, quibus facta hæc promiſſio eſt, ad eos vel ſpectat congregatos vel ſeorſum: non priùs: conſtat enim Spiritum ſingulos ſeorſum Apoſtolos in omnem veritatem duxiſſe: ſi poſterius, aut nō pertinet hæc promiſſio ad ſucceſſores, qui putantur, Apoſtolorum, aut neceſſe eſt etiam eos ſeorſum errare non poſſe.

Ad *tertium* Act. xv. Non quicquid illi primo Conciliorum convenit & reliquis convenire oportet: quippe cujus magna pars viri eſſent extra ordinem Spiritu afflati: tùm ſi ab Apoſtolis ſingulis non valet conſequentia ad hunc aut illum Paſtorem ordinarium, cur ab Apoſtolis coactis conſequentia valeret ad Paſtores congregatos in Concilium. Quod Paulus ſeorſum docuit verbum Dei eſſe teſtatur 1 Theſſ. II. 13. Adde quod quoties conſtat ut in illo primo Conciliorum ita priorem judicaſſe Spiritum, bene eſt; at quibus non eſt compertum an Spiritus ſuorum ſit auctor decretorum, cùm ea Spiritui aſcribunt faciunt temerè, ne dicam impiè. Denique non quicquid fuit neceſſarium tempore Apoſtolorum propagandæ conſervandæque Eccleſiæ, pariter neceſſarium eſt, cùm paſſim occurrat Lydius lapis Scripturarum ab Apoſtolis traditus, quo doctrinas omnes examinare liceat.

Ad *quartum*, Matth. xvi. 18. breviter; Portæ inferorum nihil ſunt aliud, quàm ipſa mors & ſepulchrum, quod reſpectu damnatorum veſtibulum eſt inferni, qui ex hoc velut inferno in illum alterum detruduntur Eſa. xxxviii. 10. Hæc autem promiſſio de beata reſurrectione facta eſt, quæ toti Eccleſiæ collectivè ſinguliſque membris ejus diſtributivè quando convenit, planè locus hic nihil ad rem facit.

Ad *quintum*, Matth. xviii. ult. Hoc vult Dominus: Docete omnes gentes obſervare quæ præcepi: arduum id quidem opus, in quo multi labores exantlandi, multæ devorandæ moleſtiæ; verùm nihil timete, adero vobis omnibus diebus vitæ veſtræ, quamvis ad conſummationem

uſque

Digitized by Google

uſque ſeculi prorogaretur, ut ſigna edam per manus veſtras, ut efficacem reddam prædicationem verbi Dei, ut vos eripiam è manibus veſtrorum hoſtium; Promittitur ergo hîc Apoſtolus facientibus officium non prærogativa non errandi, ſed benedictio, ſucceſſus, conſolatio. Conſulatur Gen. XXXIX. 2. Jerem. I. 8. Act. II. 2. & XVIII. 10. in quibus ſimilis extat locutio. Si qui ſunt igitur etiamnum qui quæcunque præcepit Dominus docent fideliter, ad eos poteſt *κατ' ἀναλογίαν* hæc promiſſio pertinere. Ad Epheſ. IV. 4. cui adjicitur Epheſ. V. 23. ut ita colligant, Eccleſiæ corpus in Concilio regitur à Spiritu ſancto ut ab anima, gubernatur à Chriſto ut à capite, ergo ſi erraret, ipſe Spiritus & Chriſtus errores manifeſti eſſent. Reſp. Non, ſi Chriſtus caput, ideò errores ei membrorum imputandi: non ſi Spiritus anima, in eum corporis labes culpaſque continuò refundi oportet: quatenus aguntur à Chriſto membra & à Spiritu ducuntur nunquam errant, ſed quatenus abripiuntur à mundo inimico Chriſti & à carne inimica Dei & Spiritus: Deinde non magis tenetur Chriſtus ab Eccleſia errorem depellere omnem quàm omnem vitioſitatem: hoc enim ſatis eſt pro ſuæ diſpenſationis inſtituto ut eam ab omni errore lethali peccatoque regnante defendat; ut nullum dogma neceſſariæ veritatis, aut ulla virtus neceſſaria ſaluti penitùs extinguatur. At hoc vel illo tempore, in hoc aut illo Concilio veritatem citra errorem doceri non eſſe neceſſarium patet ex Ariminenſi & Epheſino Conciliis. Ac demùm Chriſtus regens capitis more, Spiritus illuminans ac informans animæ ritu, pertinent ac perlabuntur ad vera & viva membra Eccleſiæ: quotquot autem confluunt ad Concilium eſſe tales unde probabitur?

Ad 1 Tim. III. 15. Ingenioſiſſimum & ſubtile in primis, quod ſuboluit non è vulgo Theologis mutandam eſſe hujus interpunctionem loci, ut domus Dei periodum abſolvat: columna verò & fulcrum veritatis referatur ad myſterium, de quo ſequenti commate: Nam primò non ſolet à voce καὶ ſententiam Paulus exordiri, & videtur hiare parùmque cohærere locus extremo capite cum iis quæ præceſſerunt. Porrò uſitatiſſima eſt hæc Judæorum formula ut quoties de ſuis doctrinis diſſerere incæptant יסוד יסודי *fundamentum fundamentorum*, nec non & *fundamentum Sapientiæ* præſcribant, quod ex Maimonide palàm eſt, qui talibus verbis initium facit conſtitutionum ſuarùm de fundamentis Legis. Hæc autem commentatio ut magnis placuerit viris valdéque plauſibilis videatur, rationes illæ tamen quibus nititur poſſent ab aliquo Pontificio retundi. Certè quanquam nihil ſollicitetur locus, non ideo minus erit apta prioribus nec hiulca periodus: ita enim cohærebit, ut Apoſtolus Timotheum admoneat diligentiæ in officio, quòd in domo Dei hoc eſt in templo novo & ſpirituali Eccleſiæ converſatur, in quo non ut in illis Gentium delubris horribilia ſacra, & myſteria vana: non ut in Judæorum veteri Templo typi umbratiles & infirma rudimenta, ſed myſterium pietatis verè magnum doceri à ſe oporteat. Prætereà longe aliud eſt fundamentum Sapientiæ Rabbinis, aliud longè firmamentum veritatis Apoſtolo; & vereor

ut יסוד Hebræorum τῷ ἑδραιώματι Græcorum appoſite reſpondeat: ἑδραίωμα, eſt fulcrum tibicenque, non eſt proprie fundamentum: neque par fuiſſet Eccleſiam fundamentum vocare, de cujus inædificatione ſuper fundamento tàm ſæpe alibi. Accedit quòd Maimonidæ *Hilcot* & *fundamenta Sapientiæ* ſunt initia fidei, præcipua capita & articuli religionis, qui teneri ab omnibus debent & ſupponi reliquæ doctrinæ: Compertum id haberi potuit ex Abranavelis libro Commentario, qui Maimonidæ ſenſa exequitur & illuſtrat, ac ſimili planè conſilio de Capite fidei deque Radice, ac principiis religionis inſcribitur: Ipſeque Maimonides idipſum non obſcurè aperit initio libri illius, qui deſumitur ex primo volumine יד id eſt 14 librorum, ubi fundamentum Fundamentorum ait hoc eſſe, *Deum exiſtere*, ſive dari aliquod primum ens,&c. Quo ſenſu Apoſtolus Hebr. VI. 1. θεμέλιον uſurpat ubi de rudimentis ac principiis Chriſtianæ inſtitutionis loquitur. At hoc loco qui videtur opponendus illi ex Heb. VI. non de principiis agit ac elementis, ſed de myſterio magno, quod capita difficiliora & ſublimiora veterique ferè ignota populo complectitur, qui perfectorum cibus erat ſolidus, & Sapientia quam inter perfectos Pauli exemplo Timotheus docturus erat,ut nos alibi perſpicuè demonſtramus. Ergo, ut συλλήβδην dicamus, columna poteſt hîc accipi ut non uſurpetur ſignificatu *architectonico* ſicut columen tibicenque dicitur ædium, ſed ratione forenſi & uſu *Politico*, prout columnis antè Prætoria, & pro foribus Prytanæorum, Baſilicarum, in compitis, ac triviis, edicta Magiſtratus appinguntur de quo uſu Plin. lib. VI. cap. 25. Joſeph. lib. I. Antiq. cap. IV. nec malè Chryſoſtomus columnam & firmamentum veritatis umbris & ſignis Judaïcis opponit, ſubjicitque ἀλήθεια γὰρ ςύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἐκκλησίας, quod Apoſtolo verbis non mente adverſatur. Adeò non eſt vexandus hic locus. Qui rem interea curatiùs perpendet,comperiet nihil eſſe proclivius cùm ante Paulus Eccleſiam domum Dei appellando Judaïcum templum alluſerit, quàm ut ςύλον καὶ ἑδραίωμα referamus ad illam columnam quam Solomon arte commemorabili excitavit in Templo 2 Chron. VI. 13. de quâ mentio fit & 2 Reg. XI. 14. & XXIII. 3. & 2 Chron. XXXIV. 31. Quam veluti ſuggeſtum inſcendebant Reges, quoties aliquid ſolemne præſtabant, vel populum alloquebantur publicè, atque in hac innitebantur columnâ reclinato veluti corpore (ut apprimè quadret vox ἑδραίωμα) quæ *Regia* Judæis columna dicebatur: ita Solomon cum templum dedicaret, ita Joas cum Rex optaretur in vicem Achaziæ, ita Joſias cùm librum Legis populo prælegendum cultumque Dei reformandum in melius curaret: Deſcribit ergo Apoſtolus veritatem Reginæ inſtar, Eccleſiæ tanquam columnæ inſiſtentem; Non mutuabatur Solomon à columna ex adverſo altaris holocauſtorum in medio atrio quod dicebatur populi extructâ dignitatem auctoritatemque ſuam, non mutuatur pondus auctoritatemque ſuam veritas ab Eccleſiâ: fulciebat ſuſtentabatque columna Regem, veritatem conſervat propagat

propagat ſartam tectamque tuetur Eccleſia. Adde quod fieri poteſt ut electæ prædeſtinatorum Eccleſiæ hoc tribuatur elogium, quod & Thomas in hunc locum ſcripſit: certè ſic accipitur *Domus Dei vivi* 1 Petr. II. 4. 2 Tim. II. 19. adeoque hic locus aliter intelligi non debet quàm ſub conditione illa quæ viſitur Heb. III. 6. Hùc accedit quod aliis quoque de cauſis ita dici poteſt, quatenus conſervat ac tuetur concredita ſibi eloquia Dei, quatenus in ea ſola ſtat veritas, ut habet Hieronymus etiamſi mendacium cum ea interdum conjugatur; quatenus Eccleſiæ hoc officium eſt, non tamen ut officium hoc non poſſit prætermittere, taliſve ſit columna quæ nunquam labefiat: Cecidit enim Petrus qui columna dicebatur (quanquam & reſurrexit) Gal. II. 29. & illa, de quâ diximus in Templo Solomonis, hodiè ſubruta jacet. Prætereà eſt qui ſubtiliter notat contradictionis manifeſtos eſſe qui autoritatem Scripturæ in Eccleſia fundatam volunt, qui tamen iidem hoc in loco & aliis è Scriptura petitis Eccleſiæ auctoritatem fundant & conſtituunt. Denique competit hæc conditio Eccleſiæ potiſſimum Epheſinæ (nam Epheſi Timotheus erat, non erat Romæ) in quâ Epheſinâ falſos doctores extituros prædicebatur Act. xx. 29. extitiſſe probatur Apoc. II. & compertum eſt ex Nicephoro lib. IV. 47. hæreſin Eutychetis Epheſinâ Synodo fuiſſe comprobatam, ne illud quoque adjiciamus loqui Apoſtolum de congregatione fidelium oppoſitu Timothei: nolunt autem tali congregationi tribui ἀναμαρτησίαν ſed Epiſcopis atque doctoribus coactis: Ac demum jam ſatis liquet Eccleſiam Romanam adeo non eſſe columnam fulcrumque veritatis ut *Mater hæreſium & errorum* vel à ſuis alumnis prædicetur.

Ad Luc. XXII. 32. *Rogavi pro te*, &c. hoc loco nihil effecerint, niſi hæc duo ſimul probarint, unum, eo ſignificari Dominum Petro impetraſſe privilegium non errandi quoties è Cathedra doceret: alterum, privilegium hoc ad ſucceſſores tranſire debuiſſe: quorum prius cum volunt hinc elicere quòd Dominus non orarit pro Petri perſeverantiâ, quia id fecit paulò poſt, nec erat cur id bis faceret, planè nugantur: Quidni enim Domino fuerit integrum orationem geminare, qui orando pernoctavit? Atque adeo paulò poſt ter eandem orationem iiſdem verbis concepit? Quanquam nec oravit Chriſtus idem eodemque modo: eò enim hæc ſpectavit oratione in graviſſimo illo lapſu & ſingulari fides ita deficeret ut reſurgere non poſſet: Iohan. XVII. autem eò ſpectat ut poſt ſuum diſceſſum Apoſtoli toto vitæ curriculo perſeverarent: & longè aliud eſt pro aliquo nominatim orare, aliud in commune preces fundere. Impetraverit igitur Dominus aliquid Petro ſuum & proprium, nimirum ut ex illo caſu erigeretur, quod tamen ceſſit in utilitatem Eccleſiæ totius & Apoſtolorum cæterorum. Quod enim ſi contigiſſet, fuiſſet magno ſcandalo, & cribratio veluti quædam, ubi non contigit, (Petri putà defectio) majorem in modum confirmavit fratres Petri; ut omittamus aliud eſſe fidem non deficere in tentatione, aliud non poſſe inter docendum errare. Miramur meritò cur confugiant hùc Pontificii, cùm non obſcurè locus hic innuat non modò Petrum errare potuiſſe, ve-

rùm ita graviter erraſſe, ut actum eſſet, niſi Dominus interceſſiſſet: id enim & ſermonis tota ſeries & vox ἐπιστρέψας & aperta denuntiatio verſ. 34. clamat. Quicquid autem ſit quod Petro Dominus impetravit, hæſit in Petro, nullóque jure ad Romanos Pontifices pertinuit: nec enim Petrus à Domino vocatur, ſed Simon ſine ullo, ut videtur, ad munus reſpectu: deinde *pro te*, *tuo*, *tu*, inquit: quod perſonam ſingularem indigitat. Accedit quòd fides convenit Petro quà fidelis erat, non quà erat Apoſtolus, & converſio itidem perſonalis eſt, nam ſi de converſione ad fratres, ut nonnulli obſtrepunt, loqueretur, quorſum adjunxiſſet *ποτὲ* illud? ut manifeſtum ſit notari abnegationem trinam, ex quâ non ſine fletu amaro emerſit. Porrò confirmare fratres exemplo & verbo eſt officium quo par in parem fungi poteſt, ac debet.

Ad ultimum; Fruſtrà corraduntur loca: quippe jubemur quidem audire dicto præpoſitorum, at non modò coëuntium, ſed & ſingulorum: nolunt tamen ſingulos non errandi privilegio gaudere, ubi ſeorſim ſpectantur: nos igitùr tum demum obligant cum tales ſunt revera. Quid enim ſi cæci fuerint, impoſtores, lupi, ſeductores, tyranni, proditores, non verò cæcorum Duces, non doctores, non paſtores, non patres, non ſpeculatores? Quàm benè Auguſtinus, Tractatu XLVI. in Joh. *Sedendo ſuper Cathedram Moſis legem Dei docent, eos audite, facite quæ dicunt: ſua vero ſi velint docere, nolite audire, nolite facere.*

QVÆSTIO VIII.

An teſtimonium Spiritus Scripturæ Auctoritatem certò dignoſcat?

VIdetur non certò dignoſcere; Primò, quia circulus admittitur: quærenti enim unde noſti Scripturæ auctoritatem? Reſpondetur ex Spiritu & requirenti, unde Spiritum te habere noſti? tandem reſpondebitur, ex auctoritate Scripturæ.

Secundò quia hic Spiritus privatus & proprius foret, ac ita Enthuſiaſmis lymphaticorum daretur locus.

Tertiò 1 Cor. XII. 9. quia cuivis Chriſtiano non datur Spiritus interpretationis aut *ἰδίας ἐπιλύσεως* ut Petrus loquitur.

Sed contra 1 Joh. v. 6. & 10. Comma enim ſextum ita reddi poteſt: *Spiritus eſt qui teſtatur Spiritum veritatem eſſe:* itaq; ſenſus geminus erit, unus, Spiritum de ſeipſo actu reflexo conteſtari: alter, Spiritum in corde arcano magiſterio teſtimonium perhibere veracitati Spiritus qui loquitur in Scripturâ Eſa. LIV. 13. Joh. VII. 17. cui ſimillimus eſt Pſal. XXV. 14. quibus locis partim jus & mandatum judicandi, partim donum facultatemque certo dignoſcendi unicuique fidelium concedi manifeſtum eſt.

STATUS QUÆSTIONIS non hic eſt, Utrum Spiritu ſancto ſit opus ad Scripturæ divinitatem agnoſcendam: hoc nemo quiſquam negat. Ipſi Pontificii erubeſcunt. Sed neque utrum teſtimonium privati alicujus teſtimonio multorum Epiſcoporum, Eccleſiæve totius antecellat: hoc nemo ſanus affirmavit unquam:

Digitized by Google

quam: noſtri certe homines abhorrent. Sed quæſtio eſt utrum ſinguli fideles pro ſe quiſque Spiritum eo ſortiantur, ut poſſint quod à Conciliis & Eccleſiâ proponitur verbum Dei adhibito diſcrimine *dijudicare*, quod eſt prudentium 1 Cor. x. 15 quod bonnm eſt *retinere*, adeóque in rebus ad fidem pertinentibus & neceſſariis ad ſalutem, rectore illo Spiritu, non ſine regula verbi, ducantur ita certò, ut errare non queant, an vero cæca ſit opus obedientiâ, & implicitâ fide ſuique neſciâ quæ ἀβασανίστως decretis hominum morigeretur? *Poſterius* Pontificii ſentiunt *& hoc uno ſcelere meruerunt ut tanquam lupi tyrannique pellerentur*, quod Lutherus ait. Bellarmini autem verba ſunt de interpretatione Verbi Dei lib. III. c. 10. *Chriſtiani quibus conſtat Eccleſiam errare non poſſe in explicandâ doctrinâ debent eam recipere & non dubitare an hac ita ſeſe habeant:* cujus abſurditatem rei agnovit luculenter ipſe Cornelius Agrippa & profeſſus eſt lib. de Vanitate Scientiæ cap. XCVI. *Prius* ipſa eſt veritas.

RESPONDEO QUÆST. teſtimonium internum Spiritus parùm aliis quidem prodeſſe: ipſum verò in quo ineſt luce arcanâ ita perfundere, ut non magis poſſit oculus benè comparatus in Sole caligare, aut intellectus vero agnito non aſſentiri, aut guſtus nullâ pravâ qualitate imbutus calculos accipere panis loco, quàm fidelis tali lumine colluſtratus non certò dignoſcere lucem à tenebris, veritatem à mendacio, pabulum à venenis; hoc autem teſtimonium appellamus & judicium ſed *rationale* prudentiæ Chriſtianæ, non *forenſe* juriſdictionis Eccleſiaſticæ, privatæ diſcretionis, non publicæ auctoritatis: neque verò in alios ſed in temetipſum, neque proprii ſpiritus & inſtinctus, ſed ſingularis tamen, hoc eſt divini Spiritus, quem Deus homini proprium fecit, in foro ac veluti ſacello conſcientiæ, intelligimus. Quippe *judicare* interdum de Magiſtratu dicitur, ſenſibus attribuitur interdum & à Philoſophis, & ab Apoſtolis: quarum notionum hîc poſterior una locum habet: quippe niſi ſuo utantur judicio fideles, redigantur neceſſe eſt in cenſum animantium brutorum: & excuſatione veniâque digni æſtimentur quando Eccleſiam ita docentem ſecuti incidunt in errores, quam ſequi jubentur obſequio abſoluto contra Luc. VI. *ſi cæcus cæcum*, &c. quod quantumvis abſurdum, abſurdum non duxerunt boni Patres colloquii Ratisbonenſis, nec admittunt modò, ſed & hoc uno maximè urgent, quod pro ſuâ cæterâ importunitate faciunt, *ſi Prælati fallerentur in decernendo, populum vi regiminis errare poſſe imò debere* dum ſtatuunt: Adde quod non modò abſurdum, ſed impoſſibile prætereà verâ fide aſſentiri eum, qui ſuo ſibi judicio non utitur: nec enim qui vult credit, quanquam leviter opinari poteſt, atque non reluctari; non poteſt credere niſi probè intelligat: nemo enim credit aliquid eſſe verum, quia vult credere id eſſe verum: non eſt enim in poteſtate hominis apparere aliquid in intellectu ſuo verum, quando ipſe voluerit: quod Philoſophus excellentiſſimus annotavit: quomodo igitur nummos improbos & adulteros vel circumciſos diſcernit aurifaber, ita doctrinas adulteratas, & mali commatis, vel aliquâ ſui parte mutilas, à legitimis,

Digitized by Google

veris, atque integris, peritiâ quâdam ſpirituali & arte divinâ fidelis diſcernit: cùm enim ſit novus homo, vim ſupernaturalem intelligendi cœleſtia, videndi lucem Scripturarum, guſtandi panem è cœlo, olfaciendi Eccleſiæ odorem, credendi voci paſtoris, & quaſi quodam contrectatu probandi verbum vitæ obtinet, uti prædiximus: At harum operationum id ingenium eſt, ut ſenſum ſui præbeant & conſcientiam; tantóque certiora ſunt experimenta ſenſuum ſpiritualium γεγυμνασμένων, quàm naturalium, quantò divina præſtant humanis; ne quis fortè hîc ramum in aquâ fractum, vel Iridem adducat. Verùm nec obſtat quòd Apoſtolus Hebr. v. 24. videtur ſenſus exercitatos attribuere duntaxat provectioribus in fide, quos perfectos vocat: nam præterquàm quod id vitio dedit Hebræis, ex quo efficitur noſtram eſſe non Euangelii aut Spiritus culpam, quòd in elementis diutiùs immoramur; ſenſus quales memoravimus habent Chriſtiani omnes etiam pueri in Chriſto qui dicuntur 2 Corinth. III. 1. at exercitatos ii tantum qui grandeſcunt, & adoleſcunt in fide, atque πνευματικοὶ appellantur. Porro hîc ex parte *ſubjecti* cognitionem triplicem facimus pro variâ Spiritus operatione 1. *Certam* fidelium omnium, 2. *Diſtinctam* Theologorum, 3. *Diſtinctam* ſimul *certamque* perfectorum; *Certam* vocamus quæ ſibi ſatis eſt, in alios non ita facilè propagatur & ex ſanctimoniâ & operibus noſcitur hæc perſuaſio, ubi vita ſecundum cognitionem inſtituitur: *Diſtinctam* verò eam quæ cum aliis facilè communicatur & explicatur ſermonibus: hæc autem diſcernitur ex peritiâ eorum qui eam recte & ordine via certâ & methodo alios docent, quod ſignum ſcientis eſt ex Ariſtotele At hi tamen poſſunt eam in dubium revocare adeoque negare funditus: *Diſtinctam certamque* ſimul eam nuncupamus quæ apparet in fideli copioſa luce penitus imbuto, qui ſe poteſt alioſque ad ſalutem adducere non modò factis & exemplis & *citra verbum*, ut ait Petrus, verùm & verbis atque demonſtratione, quæ omnium præſtantiſſima in terris & majori etiam remuneratione donanda in cœlis: colligi autem poteſt ſimul ex vitæ probitate, ſimul ex doctrinæ copiâ & facilitate impartiendi cæteris. Nihil igitur valet, quod adferri tamen ſolet, hominem ad lapſus pronum eſſe: qui errant, eos pati rem humanam, ut inquit Juriſconſultus; ut enim concedamus hoc de homine ſibi permiſſo, aut libidini ſuæ obtemperante: negamus tamen de eo prout & quatenus à Spiritu ducitur: neque ſi unus & alter valere ſibi videtur in ægrotatione maximâ, vel ſapere ſolus in extremâ veſaniâ, continuò dicendum erit neminem de ſua valetudine, de ſua ſapientia neminem certiorem fieri poſſe. Ac demùm nonnullos melancholica ægritudo decipiat, jactentque Spiritum Dei, qui ſibi ejus non ſunt conſcii, falſò & nulla ratione: non poteſt fieri tamen ut qui ſunt eo revera præditi, aut fallant alios, aut fallantur ipſi, aut non penitùs eum in conſolatione atque ſanctificatione perſentiſcant: quod nulla unquam ægritudo corporis aut animi ἀῤῥωςία perfecit. Neque poteſt hæc res oſtendi melius, quàm exemplo dormientis & vigilantis quorum

Digitized by Google

rum ille in ſomnis viſa ingentia cernendo ſibi videtur ipſas res contemplari: alter verò non in ſpeciem duntaxat ſed reapſe contemplatur: neuter dubitat, longè tamen alterius potior eſt conditio qui verè cernit, quod ſe putat cernere Eſa. xxix. 8.

Ad *Argumenta* Reſpondeo ad I. Non poteſt eſſe circulus ubi non petitur principium, nec idem probatur, aut medio eodem, nec ad idem argumentum immediatè, nec interjectis aliis quâmlibet multis retroagimur: quippe hîc diverſa quæſtio eſt: prius enim quæritur, quo *argumento*, ſive ſub qua totali ratione in *objecto* vel *propter* quid credamus? Deinde qua *facultate* credamus, ſive ſub quâ diſpoſitione in *ſubjecto* vel *per* quid credamus id ipſum? Prior quæſtio eſt, unde norimus Scripturam divinam eſſe, id eſt quo argumento? Reſpondeo, quia quod Scriptura dicit, verum eſt. Inſtatur: at unde noſti Scripturam divinam eſſe? id eſt quo argumento? Reſpondeo propter verbi radios & cœleſtes notas quibus inſignitur, nec ultrà tendimus. Quòd ſi quis urgeat unde radios illos, & notas perſpiciamus, id eſt quo argumento? Reſpondeo eum abſurde facere: nihil enim eſt in hoc ordine argumentorũ ſive rationum in objecto ſuperius: & rationes rationum perpetuò ſciſcitari dementis eſt, non ſecus ac rogare; quâ luce videamus lucem? aut qua demonſtratione demonſtratio demonſtretur? Poſterior quæſtio eſt, unde norimus Scripturas divinas eſſe id eſt quâ vi & facultate? Reſpondeo, per Spiritum ſanctum: Inſtatur: at unde noſti te habere Spiritum ſanctum id eſt quâ vi & facultate? Reſpondeo quia Scriptura dicit unumquemque fidelem, qui Chriſti eſt, Spiritum ejus habere. Quòd ſi quis urgeat, Sed unde cognoſcis te fidelem, te Chriſti eſſe? non jam imus ad Scripturam, quæ neminem nominat, & quam ſi afferremus, quæſtioni reſponderemus *propter* quid, non quæſtioni *per* quid. Hærendum igitur eſt in operatione Spiritus, cujus præſentia non poteſt aliter demonſtrari quàm à poſteriori, quanquam operatio per præſentiam poteſt à priori demonſtrari, quâ nihil eſt in ordine cauſarum efficientium ſuperius ſive principiorum facultatumque. Cauſam verò ex effectu & effectum ex cauſâ demonſtrare, non eſſe circulum admittere, Philoſophi conſentiunt. Porrò qui nobis hoc objiciunt crimen, ejus manifeſti tenentur: nam ſi quæramus, Cur creditis divinitatem Scripturæ? quia Eccleſia dixit inquiũnt: Cur Eccleſiæ creditis? quia Spiritu ducitur, adjiciunt. Sed & hoc quamobrem creditis? quia Scriptura dicit, reſpondent, *ubicunq; duo vel tres*, &c. *Columna fundamentumque veritatis*, &c. Cur autem creditis hanc Scripturam veram eſſe? quia divina eſt, ajunt. Cur creditis divinam eſſe? quia Eccleſia dixit, regerunt. Itaque revoluuntur eò, unde fecerant initium diſputandi. Neque hæc diverſa quæſtio eſt: ſemper enim *ratio* & argumentum nunquam *facultas* aut principium quæritur & apud eos tùm Scripturæ tùm Eccleſiæ inartificialia ſunt argumenta: nos autem Spiritum ex Scripturâ inartificiali argumento & ratione objectivâ; ex Spiritu Scripturam tanquam vi & principio, quod quærebatur, per argumentum artificiale confectum ex notis in Scripturâ fulgentibus deducebamus modò.

Ad *ſecundum :* Enthuſiaſmus non fit cum verbo, nec fit ſine totius conturbatione corporis: quale neutrum agnoſcimus, qui Spiritum in corde, Spiritui, qui habet in cœlo cathedram, & in verbo doctrinam, volumus reſpondere leni afflatu, quanquam ineluctabili, & cum ratione conſentaneo, quanquam ſupra omnem rationem poſito: neque proprius appellari poteſt aliter quàm Sol, & ipſe Deus, quia ſeſe plurimis impertitur. Sed latet homonymia in voce *proprii* Spiritus, qui ſumitur interdum pro genio ac libidine cujuſque; pro Dei dono ſingulis proprio interdum.

Ad *tertium :* Duplex eſt Spiritus interpretationis, unus auctoritatis publicæ, alter intellectionis privatæ: prior eſt Paſtorum proprius, alter omnium Chriſtianorum communis. *ἰδία* verò *ἐπίλυσις* apud Petrum non debet referri ad auditores, verùm ad Prophetas, ut intelligantur non fuiſſe ducti ſuæ ſpontis quodam inſtinctu, aut imaginariâ revelatione, ſed cœleſti: vel non cucuriſſe ſine miſſione ſed jubente Deo ac mittente, juxta illud quod habetur 2 Reg. XIII. ἔτρεχον, ἐγὼ δ' οὐκ ἐπίλυον. quanquam & ἐπίλυσις accipi poteſt de interpretatione cùm τῷ פָּתַר Hebræorum non raro reſpondeat. Nec procul à veri regionibus eſt Viri maximi conjectura exiſtimantis Petrum ſcripſiſſe ἰδίας ἐπηλύσεως, unde, ut fit, ἐπιλύσεως irrepſerit, ob nullum aut certè minimum τοῦ η & τοῦ ι diſcrimen in veteri pronuntiatione: Hinc autem natorum errorum exempla paſſim ſe dant. Quod ſi quidem hîc admiſeris, quadrabit apprimè vox ἐπήλυσις quæ planè idem ſonat quod ἐπέλευσις: nam utraque vim & inſtinctum ſupervenientem ſignificat. Sic veteres Græci diſtinguebant exordia, quorum alia vocabant ἐπελευστικὰ, alia προσεκλικά: illa pro re nata oboriebantur animo & illabebantur: hæc domo afferebantur meditata. Erit igitur ἰδίας ἐπηλύσεως, motu & inſtinctu proprio. Sed quoquo modo reddatur locus, nihil Pontificiis favet.

QVÆSTIO IX.

An cuivis credenti Spiritus ſanctus probet Scripturam eſſe auctoritatis divinæ præcipuè ac certò ex teſtimonio Eccleſiæ ſeculi quo vivitur, nec potioribus Argumentis?

VIdetur ita res eſſe, I. Quia majus eſt Eccleſiæ ſimul & Scripturæ quàm Scripturæ unius teſtimonium, & longe majus privati cujuſque judicio.

II. Quia Eccleſia verbo eſt antiquior: cùm igitur verbum non erat, neceſſe omninò fuit Spiritum fidelibus perſuadere propter Eccleſiam.

III. Fides non nititur argumentis niſi ab auctoritate ductis & inartificialibus, & hoc à ſcientiâ diſcrepat: nullum autem argumentum inartificiale potius Eccleſiæ teſtimonio fingi poteſt.

SED contrà ſcriptum eſt, verbum Dei *ſemen*, *ignem*, *ſapientiam*, *theſaurum* eſſe

2 Cor.

1 Cor. IV. 7. & *gladium* Hebr. IV. 12. qui locus de perſona Chriſti non poteſt intelligi, quem ſolus Johannes, & quidem raro λόγον Θεοῦ vocat, ſed de verbo quod fluit ab ore Filii Dei quo impium perimet, ut idem ait Johannes in Apocalypſi; neque ſeries huic interpretationi obſtat, quando non eſt inuſitatum ut ad concretum ab abſtracto, & ab Euangelio ad Chriſtum Apoſtolus eat: conſule 1 Cor. II. 6. & confer cum cap. I. 22. 24. ubi ſapientia & Euangelium & Chriſtus non ſecus ac Hebr. IV. verbum Dei Chriſtus & Euangelium perhibentur. Nempe gaudet Euangelium in Scripturâ iiſdem nominibus quæ Chriſto tribuuntur, quia pictura & *programma* Chriſti eſt Gal. III. verſ. 1.

STATUS QUÆSTIONIS: hic eſt verus legitimuſque totius controverſiæ ſtatus quem poſuimus; non enim niſi Pelagiani Spiritum ſummovent: id ergo nolimus affingere Pontificiis, quanquam forte nonnullis id excidit, ex quo poſſemus efficere Spiritum apud eos nullo in numero certè non maximo in pretio eſſe, tamen verba Stapletoni diſerta ſunt *internum teſtimonium Spiritus prorſus neceſſarium eſt, ut quis teſtimonio ac judicio Eccleſiæ circa Scripturarum approbationem credat, neque abſque hoc interno Spiritus teſtimonio etiamſi millies ſcriptura atteſtetur, audienti populo perſuadebitur.* Viſe Bellarm. Concione de lumine fidei, & obſerva quod hinc neceſſariò ſequitur, quæcunque adverſus nos illi de Spiritus teſtimonio tela contorquent, adverſus eos pari jure poſſe retorqueri.

RESP. QUÆST. Peti principium: hæc enim potiſſima eſt Controverſiæ pars, ſit ne ſeculi præſentis Eccleſia quæ dicitur, Eccleſia vera, non in ſpeciem, an ſub hac larvâ Romana ſuum adulterium ſuaque veneficia occulat, & ementito nomine culpam prætexat? nos id clamamus & iis rationibus affirmamus, quas non contemnunt etiam qui minùs admittunt: Illi autem hoc uno exultant: *Nos Eccleſia ſumus Catholica Apoſtolica Romana.* Sed Catholica & Apoſtolica nomine tenus, Romana, ſed ſpuria, degener, adultera. Quantum enim ab illa diſtat, quæ Pauli ævo non dignitate ſed fide floruit? Perridiculum eſt autem Romanam ſibi tantum juris in cæteras omnes vindicare. Fateatur oportet cæterarum omnium Eccleſiarum æquas, Judaïcæ Græcæque autem partes quàm ſuas hîc longè potiores eſſe. Judæi, teſte Domino, ſedebant in cathedrâ Moſis, ipſis credita ſunt eloquia Dei, eorum erat gloria, adoptio, pacta; nihil tale ſibi Romanus vendicat. Græci hoc afferre poſſunt, omnes Novi Teſtamenti libros, ſi exceperis unam ad Romanos Epiſtolam Græcis eſſe inſcriptos: omnes autem, ne illâ quidem exceptâ, Græcè ſcriptos. Quid quòd Paulus ad Romanos ſcribens, civis ipſe Romanus, Romanos & Græcorum & cæterarum gentium Dominos Græcorum nomine conſtanter includit Rom. I. 17. &c. Quid igitur fiet, ſi quantum Romani, tantum ſibi Judæi Græcique arrogatum veniant? quid Syriis, quid Armeniis, quid Georgianis, quid Maronitis, quid Ægyptiis, quid Æthiopibus, &c. à Romanâ reſpondebitur Eccleſiâ, quorum omnes tyrannidis eam & hæreſeos & nundinationis

arceſſent, plerique eam antiquitate præcellunt, nec Antiochena modò, ſed ea quæ in Beritho, Tripoli, Laodiceâ, Cappadociâ, Ancyrâ, Niceâ, Nicomediâ, Syracuſis docente Sophronio Patriarchâ Hieroſolymitano, ſed & Conſtantinopolitana, ſeu Bizantina, confitente Baronio? Si ſemel ad Romanos, bis ad Corinthios Paulus ſcripſit, ſi fidem eorum *καταγγέλλεσθαι ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ* dixit, dixit eadem prope de Theſſalonicenſibus. Hùc accedit quòd Conſtantinopolitana, & Antiochena, & Alexandrina, quæ in primis floruerunt olim, hodie abierunt in pejus, poſtquam decolor ætas vitia & errores invexit Nec malè nonnulli Eccleſiam Lunæ inſtar eſſe prodiderunt; qui & ei faciem attribuunt virginis caſtiſſimæ pulcherrimæque Apoſtolorum tempore, laſcivientis puellæ Patrum, cadaveroſæ ac lividæ meretricis ſub tyrannico Papæ imperio, tandemque matronæ caſtiſſimæ, quando circa veſperam lux orta eſt majorum noſtrorum tempeſtate, ut Apoſtolorum ævo pulchrè ornata penituſque munda fuerit, ac poſt modùm nonnihil maculata, ſed per Pontificem Romanum in totum deformata, Dei tandem auſpiciis per viros illos, quos emendandæ religioni excitavit feliciter in melius reformata fuerit. Porro quibuſcum nobis res eſt, ii per Eccleſiam non cœtum Electorum, ſed agmen præpoſitorum, non qui olim Eccleſiæ præfuerunt, ſed qui hodiè præſunt, quorum, vi ſucceſſionis, parem auctoritatem ſomniant, intelligunt. Saltem ſi per Eccleſiam intelligerent conſenſum hodiernorum Præſulum cum priſcis Eccleſiæ rectoribus, Moſe & Prophetis; Chriſto & Apoſtolis, non haberent nos uſque adeò difficiles: at ſeipſos intelligi ſuumque Pontificem jubent, nec enim de Moſis aut Apoſtolorum, ſed de Pontificis & aſſeclarum auctoritate diſceptatur, & hoc illi ſubinde rogitant, unde norimus Moſem, unde Apoſtolos extitiſſe? Quorſum id autem? niſi ut nos fateri adigant non eſſe aliud argumentum, quam ſeculi præſentis Eccleſiam, quo Spiritus ſanctus perſuadendis nobis utatur, id quod falſum erit, donec erit verbum Dei, erit autem in æternum. Quanquam enim Eccleſia occaſionem credendi ſubminiſtrat, longè potiora tamen argumenta ex ipſius verbi naturâ genioque, ita ut loquamur, cœleſti deducuntur, & quibuſdam quaſi genitivis notis.

Ad ARG. PRIMUM, verum id eſſe quoties non diſſentiunt: at ſi forte Scripturæ aliiquid contrarium Eccleſia dicit, nemo non videt, utrius apud nos auctoritas potior eſſe debeat: Privati autem judicium certius poteſt dici vel relatè ad *tertium*, vel *ad hunc ipſum*; qui judicat: ſi *ad tertium*, Elenchi eſt ignoratio, nec enim volumus fidem noſtram cujuſquam alius ſive privati, ſive in publico munere conſtituti judicio ſuſtentari. Deinde cæteris paribus, & cùm res agitur auctoritate, concedo. At ſi privatus afferat graviſſimas rationes ac neceſſarias, Eccleſia vero nullas adhibeat aut falſas, privati præſtat judicium, non quidem ob auctoritatem judicantis ſed ob auctoritatem veritatis, cujus vis quædam ineluctabilis eſt & judicium indeclinabile, hoc eſt ob momenta rationum; Si *ad hunc ipſum*, qui judicat, concertamus de verbis: volunt enim fidem inniti judicio

dicio Eccleſiæ tanquam argumento inartificiali non ut medio Syllogiſtico, atqui ſuo ipſius judicio nemo niſi veſanus hunc in modum innititur. Denique hic vel fidelis eſt, itaque jam verbum Dei agnovit, vel infidelis; itaque ne Eccleſiæ quidem auctoritatem admittit, nec ullo modo poterit habere pro certo judicium Eccleſiæ niſi adhibitis argumentis ad quæ expendenda ſuo ſibi judicio ante utetur, quam certum aliquid circa Eccleſiæ judicium arbitretur.

Ad *ſecundum*; Lex per 2000. annos, Euangelium xxx. extitit antequam ſcripto mandaretur: ſed verbum hîc ſive ſcriptum ſive voce traditum intelligas, res eôdem voluitur: Adde quod Eccleſiæ ſemen verbum Dei ſemper fuit, quod ſobolem ſpiritualē præcedere debuit. Deniq; Chriſtus annon Johanne poſterior fuit? Annon Regis Galliæ quantumvis juvenis major eſt autoritas autoritate Senatorum maximè ſenum & ſubditorū etiam capularium?

Ad *tertium*, fides equidem nititur promiſſione, non quatenus Eccleſiam teſtem ſed quatenus Deum habet auctorem: *Novi, cui credidi*, Paulus inquit: imò fides nihil aliud eſt, quàm ratio quædam ſupernaturalis & ſpiritualis, quæ in auctoritate Dei acquieſcit velut in concluſione, præmiſſis tamen utitur ac demonſtratione, ut hancce concluſionem eliciat, *Ergo hic Dei digitus & Scriptura eſt*: nec enim Chriſtianus id credit impulſu cæco tyrannicæ obedientiæ, ſed intellectu ac ratione, quam in ſacris adhibet circa objectum ſupernaturale judicando per facultatem ſupernaturaliter illuſtratam, ſuaviſſimâ vi & efficaciſſimâ eâdem tactam, & affectam 1 Cor. II. 5.

QVÆSTIO X.

An Pontifex vel Eccleſia ſummus ſit judex controverſiarum de religione?

VIdetur res ita eſſe, primò quia Scriptura muta eſt & elinguis ergo in ore ſonare debet Eccleſiæ.

Secundò omnis judex ſupremus ita ſententiam ferre debet ut altera pars litigantium evidenter ſciat ſe viciſſe, quod Scriptura nulla facit, ſicut experientia nimium docet.

Tertiò Supremus judex poteſtate coactiva inſtructus eſſe debet.

Quartò Judex, & lex debent eſſe res diſtinctæ, ſed Scriptura lex Dei eſt ac dicitur.

Quintò Eccleſiæ ſub Veteri Teſtamento Pontifex Moſes erat judex Deut. XVII. 8. ſub Novo Concilium Hieroſolymitanum Act. XV.

SED Contrà ſcriptum eſt Joh. III. 18. & v. 45 & VII. 51. Verùm potiſſimum XII. 48. ἔχει τὸν κρίνοντα αὐτὸν. necnon Rom. II 12. & III. 19. & Heb. IV. 12. λόγος θεοῦ κριτικός. Patres accedunt. Optatus de Schiſmate Donatiſtarum lib. V. *Vos dicitis, licet, nos dicimus, non licet: inter licet veſtrum & non licet noſtrum nutant & remigant animæ populorum: nemo vobis credat, nemo nobis: de cælo quærendus eſt judex: in terris de hac re nullum poterit judicium reperiri. Sed ut quid pulſamus ad cælum, cùm habeamus hic in Euangelio Teſtamentum?* Auguſtinus in Pſalm. I. expoſ. II. *Fratres ſumus, quare litigamus? non inteſtatus mortuus eſt Pater,*

fecit

fecit Teſtamentum, &c. *Aperi, legamus, quare contendimus?* Conſule & Tom. VII. lib. 2. de Nuptiis cap XXXII. Sed inſignia ſunt præ cæteris verba Imperatoris Conſtantini ad Patres Concilii Niceni, quæ apud Theodoretum habentur. Hiſt. Eccleſiaſt. lib. I. c. 7. ubi quæ nos oportet ſentire de Deo clare in Euangeliis, Apoſtolicis, ac Propheticis libris doceri prædixiſſet τὴν πολεμοποιὸν οὖν ἀπελάσαντες ἔριν ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων λάβωμεν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν. Hoc Imperator in primo œcumenico Eccleſiæ Chriſtianæ Concilio: Quod ſi valere debuit in illo articulo περὶ τοῦ ὁμοουσίου valere debet itidem in cæteris: Nam cur magis in illo quàm in cæteris? Irenæus lib. III. cap. I. adv. hæreſ. Dei voluntatem in Scripturis traditam *fundamentum & columnam fidei noſtræ* vocat. Tertullianus adv. Hermogenem: *Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina: ſi non eſt ſcriptum, timeat illud Væ!* Cyprianus Epiſt. ad Cæcilium Chriſtum ſolum audiendum ait, nec attendendum *quid ante nos aliquis faciendum putaverit.* Clemens Alexandrinus Strom. VII. ubi Scripturam κριτήριον & principium indemonſtrabile ait, addit multa legi digna P. 544. editionis Heinſianæ. Chryſoſtomus hom. XXIII. in Actus: ποῖον ἕλωμαι δόγμα; τί αἱρήσομαι; ἕκαστος λέγει ὅτι ἐγὼ ἀληθεύω, &c. εἰ δὲ ταῖς γραφαῖς λέγομεν πιστεύειν (αὗται δὲ ἁπλαῖ καὶ ἀληθεῖς) εὔκολον σοὶ τὸ κρινόμενον. ὅστις ἐκείναις συμφωνεῖ οὗτος χριστιανός. ὅστις μάχεται οὗτος πόῤῥω τοῦ κανόνος τούτου, &c. σὺ οὖν εἰπέ μοι νῦν οὐκ ἔχεις, οὐ δὲ κρίσιν; Ubi & Judicem Scripturam facit atque arbitram ſupremam, & privatum cuique legenti judicium relinquit. Ambroſius lib. I. de Fide cap. IV. *Nolo argumento credas & diſputationi noſtræ Scripturas interrogemus*, &c. *Deum interrogemus.* Lactantius *loqui Deum ait in divinis litteris, quaſi rerum omnium maximum Judicem, cujus non eſt argumentari ſed pronuntiare*, lib. III. inſtit. cap. I.

STATUS QUÆST. non eſt utrum Eccleſiæ vel Eccleſiæ Præpoſitis omne debeat in controverſiis adimi judicium: Quod qui religionem profitentur puriorem ſibi crimen impactum, ſuâ praxi ſatis refutant; ſed, Utrum judicium ſupremum & abſolutum, cui ſtandum cadendum ſit neceſſariò, ſit penes hominem aut cœtum aliquem conflatum ex hominibus?

RESP. QUÆST. optimè Philoſophus lib. III. Polit. cap. XVI. & lib. IV. cap. IV. ait *eum qui ponit legem judicem ponere Deum, qui addit hominem addere beſtiam*, quia homines etiam optimi non ſecus ac brutæ animantes affectibus ducuntur, lex non ita: ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσιν οὐκ ἔστι πολιτεία. δεῖ γὰρ τὸν νόμον ἄρχειν πάντων. Unde duo efficimus; ac prius quidem, nos immerito culpari, quod Scripturam tum legem, tum judicem vocamus: quaſi verò non ita Euangelium loqueretur, locis jam redditis: aut Philoſophi non conſentirent, penes quos eſt ſollicita vocum æſtimatio alterum, ſicut in republicâ bene temperatâ lex auditur, tanquam ſupremus Judex, magiſtratus veluti ſervi ſunt & miniſtri

ſtri legum Plato IV. de legib. ὁ νόμος δεσπότης τῶν ἀρχόντων, οἱ δὲ ἄρχοντες δοῦλοι τοῦ νόμου: ita in Eccleſia & republica Chriſtianâ Scripturæ tanquam ſummi principis dicto nos audire par eſt; Paſtores, ac Scripturæ interpretes, velut magiſtratus quoſdam factos à Deo, ſed ſuo loco & ordine infrà legem à Deo latam colere, ac obſervare. Adde quòd idem Ariſtoteles Rhetor. I. bene, ut ſemper, diſtinguit inter νομοθεσίαν & συμβουλὰς πολιτικάς: priori enim docet inſervire Geographiam, ſive hiſtoriam *periodicam* cujuſmodi eſt Strabonis. Poſterioribus vero hiſtoriam, quæ *pragmatica* dicitur, qualis eſt Polybiana; Prior pendet à legum conditoribus, *ut* Dracone, Lycurgo, Solone, quorum plurimi vixerunt ἰδιῶται ut nullam ſuæ vel alienæ reipublicæ partem attingerent; At reipublicæ adminiſtratio, quæ conſiliis politicis continentur, fuit penes Politicos, cujuſmodi fuere Themiſtocles, Pericles, alii, qui leges non tulerunt, ſed ex legibus reſpublica, temperarunt: ita in populo Chriſtiano, quando uti placet hoc ſimili, debet judex quidam ſummus, & legiſlator; debent judices alii, & interpretes legum conſtitui: Hos autem quis ferat ſi contra legem à Summâ poteſtate dictam inſurrexerint? habendos tamen magno in numero, ſi Princeps lege ſuâ, & ἐν τοῖς καθ' ὅλου duntaxat præſcribit, hi ſuo judicio, & interpretatione ſingularibus rerum circumſtantiis, quæ τὰ καθ' ἕκαστα dicuntur, accommodatum veniant. Triplex eſt igitur judex primo, qui legem tulit, & per legem id quod judicat, judicat αὐτοκρατορικῶς per modum ſupremi principis; Ab hoc non datur provocatio, Act. IV. 19. auctoritate legiſlatoriâ & abſoluta: hic unus Deus judex & legum lator eſt Eſa. XXXIII. 22. Jac. IV. 12.

Secundò, qui legum interpretationem facit per modum miniſtri publici præconis & magiſtri: unde magiſtratus fluxiſſe videtur appellatio & ſubordinata poteſtas eſt aſtrictaque legibus Eſa. VIII. 20. Sophon. III. 3.

Tertiò, qui tùm de legibus, tùm de interpretatione judicat, per modum privatæ diſcretionis: actus intelligendi enim non eſt ſine actu judicandi; alioqui homines in belluas transformabuntur, & quamvis ab hoc ultimo judicio proprie judex nemo quiſquam denominetur, hoc tamen judicium eſt omnium fidelium commune 1 Cor. X. 15. Porrò cùm ſolum Deum dicimus eſſe ſupremum judicem, Deum in verbo ſuo loquentem vel ut in Sacris Axonibus intelligimus, & cùm verbum Dei judicem ſtatuimus, non aliquid à Deo diſcretū aut diviſum intelligimus, nempe Scripturam, vel typis cuſam vel calamo in atramentum intincto exaratam, ſed mentem Dei ac voluntatem harum ſignificationum præſidio ac interventu generi humano revelatam: hoc verbum vivum, & animatum Spiritu Deoque veluti gravidum, & plenum, quod habet auctoritatem vim actumque Spiritus ſibi aptum & colligatum, & à Deo ſi fas ita loqui *actuatum* conſcientias inſtruit, arguit, condemnat, abſoluit, fidelium corda obſignat, pertinaces reatu obſtringit apud animum in hoc ſeculo,

donec actu damnentur apud inferos in futuro. Non eſſe autem ſummum Judicem Pontificem aut Eccleſiam patet, quia talibus viribus deſtituitur, ac deinde quia ſummus judex de tota latitudine credendorum pronuntiare debet infallibilem ſententiam toti Eccleſiæ, quæ perpetuo duratura ſit, quod Pontifex non facit; facit autem verbum Dei: nam quis mortalium poteſt de toto ambitu fidei abſolutam ferre ſententiam, cùm ex parte cognoſcamus omnes, vel ſi qui cum Paulo digni eſſent contendi? *Nos*, inquit, ſeipſum includens, ex parte cognoſcimus Aut quis mortalium queat ſuam ritè communicare ſententiam Eccleſiæ toti, cùm nec Eccleſia tota illum adire, aut ille totam compellare poſſit? Aut quis poſſit edere ſententiam aut perpetuò aut ſemper valituram, omnibuſque controverſiis dirimendis, cùm pro re natâ modò hæreſes ſingulorum examini ſubjiciantur, quod tamen erat univerſalis & abſoluti judicis officium? At hoc Scriptura facit, qua Deus Eccleſiam totam, de totâ fide inſtruit: Nam ubicunque reperitur Eccleſia, reperitur & Scriptura, quæ vitam fidelium ad conſummationem uſque ſeculi gubernat. Præterea ille ſupremus eſt judex, qui condidit leges & religionem inſtituit, & cujus ſententiam ſubalterni judices tenentur conſulere ac admittere, vel inviti, ut ſi propriam libidinem ſufficiant in illius vicem gravi ſe noxæ dedant, atque ejuſmodi Scripturam eſſe patet exemplo Pauli, Rom. IV. 3. & ipſius Domini Matth. XXII. 29. & Joh. IV. 39. Denique cum Zepherinus Pontifex Montanizaverit, fatente Beato Rhenano ad Tertullianum, cùm Liberius Filium non eſſe Patri ὁμοούσιον cum Arianis profeſſus fuerit Alphonſo de Caſtro lib. I. cap. IV. adſtipulante, *Conſtat*, inquit, *fuiſſe Arianum*, cùm Honorius Monothelita & eapropter anathemate ictus fuerit, quod Canus lib. VI. capite ultimo, necnon Adrianus & ipſe Pontifex actione V. Synod. octavæ generalis confitentur, ut ſexcentos omittamus alios in graviſſimos errores flagitiaque prolapſos, annon præſtat Scripturam quæ nunquam fallit, aut errat, quàm Pontificem, qui tam ſæpe falſus eſt, & fefellit, ſupremum Judicem conſtituere?

Ad Argumenta. Ad primum, Patres in ſcriptis ſuis, Eccleſia in Conciliis, Concilium Tridentinum in decretis ſuis, non aliter loquitur, quàm Deus in Scripturis: attamen ſingulis applicatio permittitur, & obſequi tenentur omnes. Deinde nonne recte Pater in Teſtamento, Rex in edictis atque Diplomatis, loquitur, & auditur? Dei vocem autem in eo fœdere, quod verbo & jurejurando ſancivit, quod Spiritu obſignavit, cui Jeſus Chriſtus proprio ſanguine ſubſcripſit non agnoſcimus? Pilis ac porticibus appenſa Senatus conſulta & plebiſcita pro voce accipimus, neque cauſamur hæc muta eſſe non vocalia inſtrumenta: puderet nos excuſationem tàm putidam prætendere; Cœleſtia oracula, quæ verbum Dei, vox Dei, quaſi è cœlo edita, toties dicuntur, mutos veluti lapides & mortuaria gloſſaria traducere non erubeſcimus? Denique memorabilis eſt præ cæteris & nunquam nimis expenſus locus Luc. XVI. 21. ex quo efficitur idem pariter Abrahamo Chriſtoque dici potuiſſe, quod nobis hodiè, adeoque nos, æquè atque illi reſponderunt,

derunt, reſpondere poſſe, *Moſem habemus & Prophetas.* Adde Joh. v. 46.

Ad *ſecundum :* Fecit officium Iudex ubi litem ita diremit ut poſſit ac debeat litigantium pro ſe quiſque ſcire ſe juſto abſolvi aut damnari niſi αὐϑαδείᾳ vel ambitione, vel ingenii tarditate præpeditus hanc à ſe conſcientiam procul amittat, & abjiciat. Deinde ſatis eſt, ſi modò fideles in omnibus neceſſariis, quorum reſpectu oculos mentis à Spiritu collu ſtratos obtinent, certò agnoſcant vim ſententiæ à Scriptura pronuntiatæ, quod & ſemper faciunt: Cæteros, quos hujus ſeculi Deus occæcavit, nihil moramur, qui ne Deum quidem cœlitus intonantem audirent. Porrò quæ non poſſunt à verbo Dei decidi, nunquam auctoritate decidentur humanâ: non minùs enim de legitimâ dubitabitur auctoritate, quàm de vero intellectu: Scilicet oportet ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω Rom. XIV. 5. Denique id opus eſt Judicis ſubalterni, qui non alios in uſus conſtituitur, quàm ut Legum faciens interpretationem lites componat, qui cùm ex parte modò cognoſcat, non ſecus ac litigantes, futuro demum ſeculo reſervatur omnium controverſiarum definitio, neque modus Eccleſiæ militantis patitur, hoc ut privilegio in terris perfruatur. Adde quòd Scriptura quidem nominatim hæreticos non judicat: id enim pertinet ad magiſtratum non ad Legiſlatorem, qui contentus eſt veritatem conſtituere in univerſum, ex qua poſſit Judex inferior, & hunc, & illum ſingillatim condemnare, quippe rectum & ſui regula eſt & obliqui. Ita Dominus Ioh. v. 45. ait *Moſem accuſare Judæos,* neque tamen Moſes Iudæos nominatim compellabat, ut eos hîc errare diceret.

Ad *tertium :* hic non de Iudice loquimur terreno, vel de foro externo, ſed de Iudice ſpirituali, deque foro conſcientiæ: Ut igitur ſuum quæque locum decenter ſortita teneant, non *corporea* coactio, ſed *ſpiritualis* & interna intelligenda venit: Atqui Deus in Scripturis loquens corda piorum trahit, blandâque vi cogit, & ſuaviter compellit Ioh. VI. 44. & incredulorum conſcientias torquet ac vexat, neque modò ut à Magiſtratu Politico plectantur facit, ſed in poſtremi die judicii coget ad inferos Rom. II. 12. Iac. II. 9. 12. Quî Pontifex autem corda cogere potis eſt aut flectere, qui bruta fulmina jacit, cujus magnam partem Chriſtiani anathemata rident & nihil pertimeſcunt?

Ad *quartum*, & Scriptura & Philoſophi legem Iudicem appellant ut prædiximus. Deinde jus diſtinguendum eſt univerſale, abſtractumque à conditionibus caſuum ſingularium, ab illo, quod ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα poſitum eſt: Ad prius quod attinet, Lex una Iudex ſit oportet, quanquam in ejus applicatione ad circumſtantias & incidentia, quæ lex non poteſt omnia, cum ſint innumerabilia, complecti, Magiſtratus Iudicis officio fungitur; dicatur ergo Scriptura Iudex quatenus non mortuam litteram, ſed verbum Spiritu & vitâ præditum auribus animoque inſinuat: Lex dicatur eadem, quatenus omnia mortalium Iudicia corrigi debent ad ejus amuſſim, ſed quid opus eſt verbis? Clara eſt vitilitigatio in voce *Iudicis*: quaſi nos legem dicamus Iudicem

 eodem

eodem quo Paſtores modo, aut quaſi Paſtorum ſecludamus judicium, quorum operam & miniſterium in judicio de doctrinâ faciendo commendamus ut doceat idem atque redarguat 1 Timoth. III. 1. Tit. I. 9.

Ad *quintum* patet ſolutio ex prædictis Ea præcepta homines officium facturos præſupponunt, quod ſi minùs fecerint, jam neceſſitate parendi ſolvimur. Sanè ſi ſummus Sacerdos vetuiſſet circumciſionem à Deo inſtitutam, vel inſtituiſſet veſci ſanguine, non fuiſſet audiendus: deinde in ipſo loco reſponſio incluſa eſt, *& docuerint te jûxta legem*; quæ verba innuunt libertatem facultatemque judicandi, & *vir qui ſuperbierit*, &c. Quæ oſtendunt de eo tantùm Legem loqui, qui contra rationem pertinax, & aliquo animi vitio, & perturbatione reluctatur. Tum non ſolus Summus Pontifex dijudicabat, ſed alii etiam Sacerdotes Deut. XVII. 8. Ac demum alia eſt ratio Veteris, alia Novi Teſtamenti, ſub quo jam propter ampliatam, & fuſam per orbem univerſum Eccleſiam fieri neutiquam poteſt ut ad hominem unum omnes controverſiæ ſine ludibrio deferantur. Moſis autem Cathedra ea eſt in quâ Moſes explicatur, hoc eſt ejus doctrina, in quâ qui ſedent audiendi non ſunt niſi quatenus Moſaïcæ doctrinæ conſentanea docent, ut docebant Phariſæi quadamtenus, nullatenus Sadducæi. At Moſes fuit Summus Sacerdos, inquies, etiam Aarone major, inquiunt, ex Pſal. XCVIII. R. notum eſſe כהן non modo Sacerdotem, ſed Levitam quemlibet, non modò Levitam, ſed Principem, Ducem, Conſiliarium eſſe. Deinde Moſes Sacerdos quidem fuerit antè conſtitutionem Sacerdotii Aaronici, ſed poſt illam Moſem ſummum Sacerdotem fuiſſe abſurdiſſimum eſt. Nec ſi fuiſſet Moſes ille tot à Deo donis extraordinariis ornatus controverſiarum Iudex, continuò ſequeretur ab eo ad ſucceſſores id privilegii fuiſſe propagatum non certè magis quàm à Petro, etiam ſi tale tale quid ſibi vendicaſſet, ad Pontifices hodiernos. Moſes Princeps fuit Politicus Deut. XXXIII. 5. Deus Aaronis Exod. IV. 15. Non autem vocantur Dii Pontifices, ſed Reges. Nec Pontifices Oratores habent ſuos, ſed labia eorum cuſtodiunt, ſeu cuſtodire debent, ſcientiam. Tùm non erat Sacerdotum legem condere de leproſo exempli gratiâ quam Deus condiderat, ſed judicare inter lepram & lepram, hoc eſt legem interpretari & applicare nec tàm *Judicare* quàm *Indicare* ut ſolent prudentes juris quorum reſponſa non ſunt judicia. Deuter. XVII. *indicabunt*, non judicabunt, *tibi Judicii veritatem* הגידו. LXX. *ἀναγγελῶσι*. *renuntiabunt*. Non igitur de Sacerdote loquitur uno ſed de pluribus, deque conſeſſu; ſicut Hagg. II. *Interroga Sacerdotes*, non *Sacerdotem*. Adde quod agitur in loco Deuteronomii de Judicio, in quo pœna capitalis ex decreto Iudicis infligi debet, ut ex contextu patet: Ergo de Iudice Politico, quatenus ejus judicio ſubſunt perſonæ ac res religioſæ. Denique idem fuit hoc Iudicium quod poſtea *Sanhedrin* dictum eſt: In hoc autem non magis Sacerdoti qui præerat in rebus religioſis, uti par erat, nec nos nolumus, quàm ei qui præerat in rebus Regiis conceditur id de quo jam diſputamus *non errare*. Quod ſoli convenit Iudici omnium

Deo.

Digitized by Google

Deo. Nam & Aaron, & Urias, & Caïphas graviſſimè ac turpiter errarunt, Aaron in vitulo Exod. XXII. 2. Urias in arâ Domini 2 Reg. XVI. 3. Caïphas in Chriſto, Marc. XIV. 64. In Concilio Hieroſolymitano, & Apoſtoli erant, & de ritibus quæſtio erat, & nihil erat cum Scripturâ ſacrâ non conſentaneum. Quòd ſi talia hodie Concilia forent, nos illis lubenter, ſicut illa Dei verbo, faſces ſubmitteremus. Atque hactenus quantum ſatis eſt, præſertim poſt tot aliorum volumina, de Auctoritate Scripturæ diximus. Iuvat intereà, Scripturæ cauſam ſuam agentis ac judicantis, Patrum ei ſuffragantium, adeóque Pontificiorum veritati manus dantium loca ſub unum veluti conſpectum reddere, ac ut plenior tractatio noſtra ſit, vice *Coronidis* attexere.

CORONIS

In *quâ* Judex, Teſtes, Rei confitentes.

Judex *Deus,* Teſtes *Patres,* Rei confitentes *Pontificii.*

JUDEX.

IN hac ipſâ controverſiâ de ſummo Iudice controverſiarum quando nobis cum iis res eſt qui Scripturæ ſi non *auctoritatem* ſupremam, certè *veritatem* agnoſcunt, Scripturam hoc ſibi nomen Iudicis ipſumque judicium vendicantem audiamus, & quidem clariſſimis & minimè ambiguis oraculis.

Eſa. VIII. 20. *Ad legem & teſtimonium: ſi non loquantur juxta verbum hoc, non erit iis matutina lux.* Noli conſulere Pythonis oracula ſed oracula Dei, Dei legem quæ extat Deut. XVIII. de non conſulendo Pythone. Scriptura enim Dei teſtimonium, vera Dei Arca eſt. Quod ſi ſuper eventu belli Syriaci non loquendum niſi juxta hoc verbum, quantò minùs orietur matutina lux iis qui non loquuntur juxta verbum hoc ſuper æternâ pace? Si tanta fuit Legis Moſaïcæ dignatio & auctoritas, quanta debet eſſe loquentis è Cœlo? *Ad Euangelium & Chriſtum.*

Ioannes clarè detonat idipſum. *Scrutamini Scripturas.* Quærebatur an Chriſtus verus eſſet Meſſias. Eccleſia tota condemnabat Chriſtum. Chriſtus provocat ad Scripturam. Quod non potuit niſi hac veritate innixus: Non eſſe audiendam Eccleſiam ubi Scriptura loquitur. Non perfunctoriè ut ſoletis ô Iudæi adhærentes ad corticem ac litteram, ſed

ſollicitè

Digitized by Google

ſollicitè ac attentè legite Moſem veſtrum, qui de me teſtatur non in *Cathedrâ* ſed in Scripturâ, Ioh. v. 39. 40. & 46.

Ioh. III. 18. *Qui non credit judicatus eſt.* Ioh. v. 4. *Moſes accuſat* Ioh. VII. 51. *Lex judicat* ſed potiſſimum Ioh. XII. 48. *Qui non recipit verba mea, habet Judicem ſuum,* ἔχει τὸν κρίνοντα, nempe *verba mea*, ut patet ex ſequentibus; *ſermo quem loquutus ſum, ille judicabit eum ultimo die.* Nam licet Iudicii actus & proceſſus differatur in ultimum diem, vim ſuam tamen exerit judiciariam in conſcientiis etiam nunc iuxta illud, ἔχει τὸν κρίνοντα. Quod ſi Deus olim judicabit ſecundum verbum ſuum, neceſſe eſt verbum illud in hac vita Legem, Canonem, ac regulam eſſe fidei & operum.

Johanni accedat locus inſignis è Luc. XVI. 29. 31. *Si non auſcultant Moſi & Prophetis, nec perſuaderentur ſi reſurgeret aliquis mortuorum:* Quantò minùs perſuadebuntur ſi ſurgat aliquis mortalis & peccator, & è Cathedrâ pronuntiet! Habent inquit Moſem & Prophetas, non vivos, & videntes, ſed elingues & mortuos, ſic tamen loquentes & auſcultandos in Scripturis, & in Eccleſiæ ore pariter, modò Eccleſia non ſeipſam tinniat, ſed Moſem loquatur & Prophetas.

Paulus etiam in eam rem diſertus eſt. Rom. III. 19. *Scimus autem quæcunque lex dicit iis qui in Lege ſunt dicere,* &c. *ut obnoxius fiat totus mundus condemnationi.* Lex loquitur, & condemnat, hoc eſt facit officium Iudicis.

Idem Paulus 1 Corinth. x. *Judicate vos metipſi.* & 1 Corinth. II. *Spiritualis dijudicat omnia.* & 1 Theſſ. v. 21. *Probate omnia.* Sed huic præcepto minùs paruére Theſſalonicenſes, apprimè paruére Beroënſes εὐγενέστεροι Actor. XVII. 11. Quotidie Scripturas ἀνακρίνοντες ut ſcirent an ita eſſet. Nempe ſi non ita fuiſſet in Scripturis, ne Paulo quidem credere debuerunt: Laudatur enim hoc in illis. Adde Luc. XII. 57. Τί δὲ καὶ ἀφ' ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον; Ovis paſcua tondens judicat de gramine ſibi conſentaneo, nec noxiis herbis veſcitur inſtinctu diſcretionis à natura indito: non judicabit Fidelis πρόβατον λογικὸν ut Chryſoſtomus ait, in Eccleſiæ Paradiſo de fructibus vetitis, & doctrinis alimoniæ ſpirituali conſentaneis, & Heterogeneas non ſpernet ſpiritu diſcretionis & inſtinctu ſupernaturali? εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα Phil. I. 10.

T E S T E S.

SUccedunt Patrum teſtimonia, quorum ea quæ recitavimus antehac, non reponemus. Magna enim eorum ſeges eſt.

Auguſtinus, De Unitate Eccleſiaſt. cap. III. *Sunt certè libri Dominici quorum auctoritati utrique conſentimus, utrique ſervimus. Ibi quæramus Eccleſiam ibi diſcutiamus cauſam noſtram.* Quibus verbis Pontificios nobis affari liceat. De Scripturarum divi-

divinitate neutri dubitamus : Ibi quæramus Eccleſiam, non Scripturam in Eccleſiâ, de qua maximè inter nos controvertitur.

Idem De Gratia & lib. Arbitr cap. XVIII. *Sedeat ergo Judex inter nos Apoſtolus Joannes & dicat nobis :* An vult Ioannem Hieroſolyma, vel Romam, ubi certum eſt fuiſſe quondam, è ſummo Cœlo redire? ſed nihil opus eſt. Tonat in Euangelio. Sedeat ergo Iudex inter nos etiam in Quæſtione de gratia & libero arbitrio: Iudicat enim ſecundùm nos Ioh. v. 44. & VI. 44. & XV. 15.

Idem Auguſtinus lib. III. contra Petil. cap. VI. *Si quis de Chriſto ſive de ejus Eccleſiâ ſive de alia quacunque re quæ pertinet ad fidem vitamque noſtram non dicam ſi nos ſed omninò quæ ſequutus adiecit, ſi Angelus de Cœlo vobis annuntiaverit præterquàm quod in Scripturis Legalibus & Euangelicis accepiſtis anathema ſit.* Nos hic de *Eccleſia* diſputantes ex Scripturis non ferit Auguſtinus, eos ferit qui de Eccleſiâ extra Scripturam, vel de Scriptura diſputant ex Eccleſiâ. Idem Auguſtinus lib. III. contra Maximinum c. XIV. *Scripturarum auctoritatibus non quorumque propriis ſed utriſque communibus teſtibus utamur, res cum re cauſa cum cauſâ ratio cum ratione concertet.* Accipimus quidem nos conditionem : At Pontificii propriis pugnant auctoritatibus.

Conſulatur & Lactantius Inſtitut. lib. I. cap. V. Ubi Scripturæ divinitatem probat optimis argumentis hoc eſt non ab auctoritate ductis Eccleſiæ.

Hilarius ad Conſtant. Aug. *In tantum te Domine Conſtanti Imperator admiror fidem tantùm ſecundum ea quæ ſcripta ſunt deſiderantem.* Si quis hodiè Pictavienſis Epiſcopus Regem Chriſtianiſſimum iiſdem verbis compellaret, delituo ſuo & mitrâ periclitaretur.

Ambroſius vel Auctor de Vocatione Gentium lib. II. cap. III. *Scripturis non loquentibus quis loquetur ?* Loquitur hodiè invito illo Mediolanenſi Romanus Epiſcopus. Loquitur, præſcribit, diſpenſat, præter, extra, ultra, contra Scripturam omnia pro libidine, omnia pro commodo ſuo.

Hieronymus in Micheam lib. I. cap. I. *Eccleſia Chriſti quæ habitat bene & in toto orbe Eccleſias poſſidens Spiritus unitate conjuncta eſt & habet urbes Legis Prophetarum Euangelii & Apoſtolorum, non egreſſa eſt de finibus ſuis id eſt Scripturis ſacris.* Hoc magiſtro finium regundorum uti non vult hodierna Eccleſia Papæ: habet alias urbes, neque tam exiguis finibus ſe circumſcribi patitur ut Romæ Presbyter Hieronymus. Idem ſuper Matth. cap. XXIII. *Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem eadem facilitate contemnitur quâ profertur.* Et in Jerem. cap. VII. *Nec parentum nec majorum error ſequendus eſt, ſed auctoritas Scripturarum & Dei docentis Imperium.*

Tertullianus de præſcript. adverſ. hæreticos cap. III. *Nobis curioſitate non opus eſt poſt Chriſtum nec inquiſitione poſt Euangelium.* Contrà hodierni Patres ajunt : Curioſitate nihil opus eſt poſt Concilium, nec inquiſitione poſt Patrem ſanctum aut Eccleſiam.

Idem de Reſurrect. carnis cap. III. *Auſer hæreticis quæcunque Ethnici ſapiunt ut de Scripturis SOLIS quæſtiones ſuas ſiſtant & ſtare non poſſunt.* Auſer Pontificiis

ficiis quæcunque Traditio, Eccleſia, Concilia ſapiunt, &c.

Veniamus ad Græcos. Origenes in Cantic. Homil. III. *Scias Jeſum ſemper in montibus & collibus apparere, ut te doceat ne uſquam eum niſi in Legis & Prophetarum montibus quæras.* Habent alios montes quàm ille in montibus genitus juxta nomen ſuum Origenes, habent alios colles hodierni Pontificii, habent Eccleſiam, Doctores, habent urbem ſepticollem ubi Chriſtus quæritur, & requiritur. Conſulatur & idem Origenes περὶ ἀρχῶν, lib. IV. cap. I. ubi præclara multa.

Cyrillus Hier. Catech. IV. *Neque mihi ſimpliciter dicenti credas*, inquit, *niſi demonſtrationem annuntiatorum ex ſacris litteris accipias.* οὐδ' ἐμοὶ τῷ ταῦτα σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν. ἡ σωτηρία γὰρ αὕτη τῆς πίστεως ἡμῶν οὐκ ἐξ εὑρεσιλογίας ἀλλὰ ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστὶ γραφῶν.

Baſilius Magnus non alium *arbitrum* conſtituit quàm Scripturam. Epiſt. VIII. & ſermone de Fidei Confeſſ. φανερὰν ἔκπτωσιν πίστεως vocat, ſi quis eorum quæ ſcripta ſunt aliquid retinere velit aut eorum quæ non ſunt ſcripta introducere. vide & breves Quæſtiones quæſt. XCVIII.

Clementis Alexandrini notum illud quod Petro tribuit dignum χριστομαθεία Theologorum omnium & veri Chriſtiani Symbolum, οὐδὲν ἄπερ γραφῆς.

Chryſoſtomus in 2 Cor. homilia XIII. extrema. Πῶς γὰρ οὐκ ἄτοπον ὑπὲρ μὲν χρημάτων μὴ ἑτέροις πιστεύειν ἀλλ' ἀριθμῷ καὶ ψήφῳ τοῦτο ἐπιτρέπειν, ὑπὲρ δὲ πραγμάτων ψηφιζομένους ἁπλῶς ταῖς ἑτέρων παρασύρεσθαι δόξαις. καὶ ταῦτα ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων ἔχοντας καὶ γνώμονα καὶ κανόνα τῶν θείων νόμων τὴν ἀπόφασιν; Inſignis locus ubi primò quidem exprobrat ignavis Chriſtianorum quod in pecunia numerandâ & probandâ diligentiam adhibeant, in rebus autem longè majoris momenti, aliorum opinionibus abripi ſe patiantur. Deinde majori eos in culpâ eo eſſe quod iis in promptu ſit examinare omnia, quippe qui habeant Scripturam ſacram, quam vocat *trutinam*, *regulam*, *canonem exactiſſimum.* Adeò non vult nos Eccleſiæ dicto audire citra ſcrutinium ac examen ullum. Videatur ejuſdem Homilia IX. in Epiſt. ad Coloſſ. & alibi paſſim: Nam exſcribendus nobis eſſet Chryſoſtomus, ſi ejus omnia aurea dicta quæ faciunt ad auctoritatem Scripturæ inculcandam vellemus producere, Aurea, perpetuâ ſemper digniſſima curâ, ut eſt illud: Προσέχετε μετὰ ἀκριβείας. ἡ γὰρ τῶν γραφῶν ἀνάγνωσις τῶν οὐρανῶν ἐστὶν ἄνοιξις, & ejuſmodi ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε. Sed teſtium ſatis, præſertim ubi reos habemus confitentes, quod ex ſequentibus liquebit.

Digitized by Google

REI CONFITENTES.

BIPERTITA erit eorum Confeſſio: Prima pars loca exhibebit ea, in quibus Veritas eos adegit nobiſcum ſentire ac loqui: Altera dicta eorum producet, quibus quàm contemptim Scripturam habeant, palàm faciunt, nequis forte putet ſtudio partium querimonias ea de re noſtros homines adhibuiſſe. Primò igitur eos audiamus qui bene ſcripſerunt, quicquid demùm ſenſerint.

Thomas Aquinas ſecunda ſecundæ quæſt.8.art.4. *Donum intellectus nunquam ſe ſubtrahit Sanctis circa ea quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem ſed circa alia interdum ſe ſubtrahit ut non omnia ad liquidum penetrare poſſint*, Idem Quæſt. diſput. de Magiſtro artic. 1. *Non certificatur aliquis ex hoc quod audit hominem loquentem: certificatur autem ſolùm ſecundùm quod audit interiùs veritatem loquentem quam conſulit etiàm de his quæ ab homine audit, ut certus fiat.*

Picus Mirandul. de Fide & ordine credendi Theoromate tertio: *Aſſenſus qui ex acquiſito provenit habitu infirmus eſt, & cum formidine; qui autem ex infuſo firmus & ſecurus, Deo juvante cujus eſt opus. Certitudo fidei non tàm ex objecto eſt quàm ex aſſenſu, inclinante ſcilicet Spiritu ſancto & magnam certitudinis lucem ſuggerente.* Idem præſtantiſſimus Picus Theor. XVI. *Simplici ruſtico potiùs quam Pontifici Maximo credendum ſi contra Euangelium iſte, ille pro Euangelio verba faceret.*

Gerſon parte prima de Prob. Spirit. *Quemadmodum dormiens non poteſt diſtinguere inter viſionem ſomnialem & illam quæ fit in vigiliâ, ſcit nihilominus homo vigilans ſe certitudinaliter videre: ſimiliter homo ſpiritualis in vigilia veræ lucis divinæ poſitus ſcit verè ſe videre & ſapere divina quæ videt & ſapit.* Idem Gerſon: *Scriptura Sacra tradita nobis eſt tanquam regula ſufficiens & infallibilis pro regimine totius Eccleſiaſtici corporis & membrorum ejus uſque ad conſummationem ſeculi*, de Exam. Doctr. I. Part. II. num. 17.

Gerſonem vel hinc poſſis agnoſcere diſcipulum Petri de Alliaco cujus hæc verba ſunt in I. Sentent. quæſt. I. *Principia Theologica ſunt ipſæ ſacri Canonis veritates quoniam ad ipſas fit ultimata reſolutio Theologici diſcurſus & ex eis primò ſingulæ concluſiones Theologicæ deducuntur.*

Idem Petrus de Alliaco ibid. *Per auctoritatem Auguſtini non habetur quod ipſe crediderit Euangelio per auctoritatem Eccleſiæ tanquam per principium Theologicum ex quo Euangelium Theologicè probetur eſſe verum ſed ſolùm tanquam ex cauſa movente ipſum ad fidem Euangelii.*

Lyran. Præfatione in Tob. *Sicut in Scripturis Philoſophicis veritas cognoſcitur per reductionem ad prima principia per ſe nota: ſic in Scripturis à Catholicis Doctoribus traditis veritas cognoſcitur quantum ad ea quæ ſunt fide tenenda per reductionem ad Scripturas Canonicas, quæ ſunt habita revelatione divinâ, cui nullo modo poteſt falſum ſubeſſe.* Idem Lyran. in IV. Deuter. *Lex divina vocatur intellectus, quia ejus veritas eſt certiſſima certitudine adhæſionis, licet non certitudine evidentiæ.* Idem, *ſicut ea quæ manifeſtiſſimè ſequuntur ex principiis per ſe notis, abſque hæſitatione tenentur tanquam per ſe vera, quæ autem repugnant repudiantur tanquam falſa: ſic ea quæ ſequuntur*

quuntur ex divinâ Lege debent tanquam vera approbari & quæ repugnant tanquam falſa repudiari.

Bellarminus de Verbo Dei lib. I. c. 1. *Prophetici & Apoſtolici libri ſunt certa & ſtabilis regula fidei* contrarium verò De Verbo Dei lib. IV. cap. 12.

Emanuël Sa de Princ. num. 30. *Scriptura ſacra eſt quæ fontem veritatis retinet, ipſa eſt domicilium fidei & templum Dei quò ſi quis non intraverit vel à quo ſi quis exiverit à ſpe vitæ & ſalutis æternæ alienus eſt.*

Petrus à Soto cap. XLVII. Defenſ. Cathol. Confeſſ. *Hoc pro certo habemus, quod omnis revelatio quæ à Spiritu S. procedit SUBJICIT ſibi Eccleſiam, Quicquid enim vel verbo vel ſcripto Deus loquitur ſuperius eſt omni humanâ & Angelicâ ratione Scripturam verò Sacram oſtendimus à Spiritu S. ſcriptam eſſe, non itaque dubitandum eſt quin illi Eccleſia ſit SUBDITA.*

Andradius Defenſ. Fidei Tridentinæ p. 194. agnoſcit *credendi actionem & fidem quâ Scripturæ credimus, & myſteria intelligimus eſſe Ex Interna Spiritus impulſione & cœleſti munere atque afflatu.*

Idem Andradius ibid. fol. 196. *Eccleſiam* ait *approbare ſacros libros & cœleſtem doctrinam: Neque enim approbandi vocabulum novam aliquam divinis rebus vim auctoritatemque tribuere.*

Idem Andradius ibid. fol. 192. diſtinguit inter *proponentis officium* & *edicentis auctoritatem*: prius Eccleſiæ, poſterius autem tribuit Spiritui ſancto.

Idem ille doctiſſimus inter Pontificios Luſitanus Concilium Chalcedonenſe (quod unum tamen fuit ex illis quatuor, quæ recipi velut quatuor Euangelia voluit Gregorius) dicit erraſſe ac *temere & nulla ratione* decreviſſe contraria Niceno: poſſe quippe Concilia errare cùm *non afflatum Spiritus ſancti, ſed rumoris auram inanem & hominum opiniones fallaces ſequuntur.* ibid. Fid. Trident. lib. I.

Durandus de dicto Auguſtini: *Euangelio non crederem niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas:* ait ſolam Eccleſiam intelligi oportere quæ fuit tempore Apoſtolorum Diſt. 24. quæſt. I. lib. III. ſentent.

Idem ſentiunt Gerſon & de Alliaco, ut ſuprà.

Occamus dictum idem Auguſtini non de Eccleſiâ ſeculi quo vivebat, ſed de credentibus omnium ſeculorum intelligit, in quibus includuntur & Apoſtoli. Dialog. lib. I. p. 1. cap. 4. ubi ait, *totam multitudinem viventium non eſſe majoris auctoritatis, quam Euangelium ſanctum, quia debet defendere illud uſque ad ſanguinem.*

Idem Occamus Tract. II. p. 2. c. 10. *Dicendum quod ſimplices non debent præſumere, ſed Scripturæ firmiter inhærere: ut quod ex ea evidenter conſpexerint inferri hoc explicitè credant, ſive fuerit ſive non fuerit à Papa & Cardinalibus declaratum: ratio hujus eſt, quoniam Papa & Cardinales non ſunt regula fidei noſtræ.*

Idem Occamus optimè Dial. lib. V. part. cap. 28. *Eſt judicium certæ & juridicæ cognitionis quo unuſquiſque bene judicat de iis quæ noſcit, & illud judicium pertinet ad quemlibet in qualibet arte peritum: eſt aliud judicium auctoritatis ſeu judicialis ſententiæ: primo modo judicium eſt ſemper certum in Eccleſia militante de iis, quæ neceſſe eſt credere explicitè, &c. Judicium verò auctoritatis non eſt ſemper certum in Eccleſiâ ut patuit tempore Liberii.*

Cornelius

Cornelius Janſenius Epiſc. Gandav. Concord. Euang. cap. cxx. *Si eſt eis obediendum quia in Cathedrâ ſedent, non eſt ergo obediendum, quando contra eam Cathedram aliquid vel docent vel præcipiunt.*

Maldonatus in Matth. XXIII. 2. 3. *Cùm jubet ſervare & facere quæ Scribæ & Phariſæi dum in Cathedrâ Moſis ſedent dicunt, non de ipſorum, ſed de legis ac Moſis doctrinâ loquitur.*

Waldenſis doctrinal. Fid. lib. 2. cap. 20. & 21. negat auctoritatem Eccleſiæ ſupra Scripturam, & inter alia & præclara quidem, affert exemplum Nathanaëlis quem Philippus induxit ad credendum in Chriſtum *quemadmodum, nos inducunt parentes & pædagogi: nec tamen ſunt majoris auctoritatis quàm Chriſtus.*

Idem ibid. lib. II. art. 2. cap. 22. ait *Eccleſiam non poſſe condere novum articulum fidei cùm jam creverit in perfectum.*

Gregorius de Valentia Analyſ. Fid. lib. I cap. 15. *Scriptura ſuâ neſcio quâ admirabili vi divinè prorſus hominum afficit animos, &c.* & addit, *ut à Clemente Alexandrino, Lactantio & aliis eſt obſervatum*, & multa in laudem Scripturæ ſubjicit, quæ teſtantur eam dotibus inſitis divinam ſeſe prodere.

Melchior Canus lib. II. loci Theolog. 1. 8. *Tertium fundamentum ſubjiciendum eſt rationem formalem noſtræ fidei non eſſe Eccleſiæ auctoritatem hoc eſt fidei ultimam reſolutionem non fieri in Eccleſiæ teſtimonium. Eorum hic errorem diſſimulare non poſſumus qui aſſerunt fidem noſtram eò tanquam ad ultimam credendi cauſam reducendam eſſe, &c. quod ſi verum eſſet fides noſtra non inniteretur tanquam ſuo fundamento divinæ veritati ſed humanæ.* Quod & aliis argumentis valdè bonis ibidem demonſtrat.

Idem doctiſſimus Epiſcopus Hiſpanus lib. II. cap. 2. *Sicut guſtus benè affectus differentias ſaporum facilè diſcernit, ſic animi optima affectio facit ut homo doctrinam DEI ad ſalutem neceſſariam diſcernat ab errore contrario qui ex Deo non eſt.*

Panigarola Lect. parte I. Lect. II. p. 40. ſcribit *nec Deum Patrem nec Chriſtum poſſe eſſe ſolum illum Dominum de quo loquitur Paulus.* Os Monachi! Quem igitur? Papam eſſe ait UNUM DOMINUM Chriſtianorum. Nempe non alium agnoſcunt Monachi Dominum Deumque.

Agmen claudat Adrianus VI. Trajectenſis, Romæ Pontifex, qui cùm Lovanii Profeſſorem ageret, ſcripſit hæc Quæſt. de confirmat. ad 3. artic. *Dico ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur caput ejus, puta Pontifex,* CERTUM EST QUOD POSSIT ERRARE ETIAM IN IIS QUAE TANGUNT FIDEM, *hæreſim per ſuam determinationem aut decretalem aſſerendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici.* Non ſibi fortè cùm hæc ſcriberet pollicebatur quod poſtea contigit, ſe Cathedram umbraticam ſanctæ Sedi mutaturum, & Romæ Lovanium.

ATQUE hactenus Pontificiorum certè ſaniorum loca memoravimus, per quæ demonſtratur eos omnes quibus aliquid ſupereſt ingenui ſanguinis præcipua ſententiæ noſtræ fundamenta profiteri, quæ prima pars eſt Confeſſionis, quam vis veritatis ex eorum calamis expreſſit: ſequitur Contradictio, ſive Confeſſionis altera pars, in quâ quicquid à noſtris accuſari ſolent adverſus Scripturam ſacram

 ſcripſiſſe,

Digitized by Google

ſcripſiſſe, ultrò agnoſcunt, manuque propriâ ſubſignant. Nempe ubi ſeſe ex Scripturis revinci ſentiunt, in accuſationem convertuntur Scripturarum, ut ait Irenæus lib. III. adv. Hær. cap. 2. Non neſſcimus quidem è Pontificiis cordatum quemque diſpudere talium: At quia cùm talia iis exprobramus, ita mira ſunt & incredibilia ne dicam horrenda dictu, fidem ut omnem ſuperet, Chriſtianis hominibus excidere potuiſſe, curæ pretium duximus, quæ ſparſim alibi pleraque reperias, cuncta ſub unum conſpectum hîc reddere.

Contumelioſè dicta Pontificiorum in Scripturam.

Bellarminus claſſem ducat de Verbo Dei lib. IV. cap. 4. *Etiamſi Scriptura dicat libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe divinos, tamen non credam eſſe niſi prius hoc credidero Scripturam quæ hoc dicit eſſe divinam: Nam in Alcorano Mahumetis paſſim legimus ipſum Alcoranum de Cælo à Deo miſſum & tamen ei non credimus.* Hinc certè Bellarmino-Turciſmum nolimus excudere. Quid tamen pro ſe Mahometis cultor ſtudioſiſſimus dicat plauſibilius nihil habet. Quovis oblinantur hæc verba tectorio, non poſſunt non dura, niſi & dira quoque, ad Chriſtianas aures accidere. Bailius 1 Tract. Catech. non abſimiliter dixit, *Se non magis crediturum S. Matthæo quã T. Livio abſq; auctoritate Eccleſiæ.*

Hoſius Cardinalis Tridentum Legatus: *David Pſalmos aliquot, ſi quid Athanaſio credimus quinque tantùm ſcripſit. Quidni ſcriberet? Ne nunc quidem Regi prohibetur aut Principi quominus aut rythmos aut Pſalmos aut carmina ſcribat: Scribimus indocti, doctiq; poëmata paſſim:* Ergo Prophetam velut unum è multis Poëtam cenſes? jam non miramur quod Eccleſiæ Scripturam poſthabeas. Licuerit Angelo Politiano Poëtæ, Philoſopho, Philologo, Davidem contendere cum Pindaro. Sed Epiſcopo, Cardinali, Legato neſas id eſſe debuit.

Hermannus ait *Scripturas valere quantum fabulas Æſopi, ſi deſtituantur auctoritate Eccleſiæ*, referente Brentio, nec abludente Bailio tract. I. quæſt. 17. Repugnare quidem videtur Hoſius, ſed videtur tantùm: revera enim comprobat. Verba Hoſii hæc ſunt: *Potuit illud pio ſenſu dici* nempe Scripturam valere tantùm quantum fabulas Æſopi. *Nam revera niſi nos Eccleſiæ doceret auctoritas hanc Scripturam eſſe Canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet.*

Idem Hoſius de expreſſo Dei verbo pag. 97. *Quod Eccleſia docet expreſſum Dei verbum eſt*, quod contra ſenſum & conſenſum Eccleſiæ docetur *expreſſum Diaboli verbum eſt.* Porrò Papam per Eccleſiam & Cardinales (Horreſco referens) intelligit.

Carranza Controv. I. *Scriptura debet ab Eccleſia regulari & non contrà.* ô Impia barbaries!

Stapletonus tamen perpolitè dixit idem planè, de auct. Scrip. lib. II. c. 11. *Dixi & dico non tàm ipſius fidei regulam in ſe eſſe Scripturam, quàm ipſarum Scripturarum regulam eſſe fidem Eccleſiæ.*

Viſatur & Bellarminus lib. IV. de Verbo Dei cap. 12. ubi Scripturam propriè regulam fidei negat, & *commonitorium utile* vocat. Næ fallitur quiſquis

Bellarminum de ſcriptis ſuis ſenſiſſe humilius putat, quàm de Scripturâ loquitur. Ipſi nos inter ejus ſcripta ***commonitoria eſſe utilia*** quædam candidè agnoſcimus & ingenuè profitemur. Scripturam verò cum Apoſtolo utilem ſed ad omnia utilem nec tantum ad commonitionem, *πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος.* Ad omnia omnibus, ad omnes doctrinas, ad omnia opera, etiam viris Dei ac Doctoribus. 2 Tim. I. 17. Eccleſiam verò ***utile commonitorium*** agnoſcimus nos.

Idem Stapletonus ibid. lib. I. cap. 10. ***Ne quidem Deum credi niſi propter Eccleſiam*** docet ac probat non eſſe abſurdum. & priori capite: ***Ipſis Prophetis***, inquit, ***è medio ſublatis eorum Prophetias à Deo eſſe credendum non eſt niſi id Eccleſia confirmet.*** Annon hîc apprimè quadrat illa Tertulliani vox? ***Homo jam Deo propitius eſſe audebit, niſi homini placuerit Deus non erit.***

Idem ibid. lib. III. cap. 3. ***Eccleſiam à Deo & Chriſto*** ait ***auctoritatem ſuam accepiſſe non à Scripturis.*** Sed quæ malùm hæc anti-theſis eſt, Dei, nec non Chriſti, & Scripturarum? Nos contra ſic diſputamus: Non à Scripturis, ergo non à Deo & Chriſto.

Idem ibid. cap. 16. ***In ipſo Symbolo profitemur nos credere Eccleſiam non item Scripturas quarum in Symbolo nulla ſit mentio.*** Nempe ſicut ille Cardinalis animæ immortalitatem negat è Scripturis probari poſſe, quia ſcilicet ubique præſupponitur. Ita & in Symbolo verbum Dei. Quid autem eſt ***credere in Deum*** niſi fide acquieſcere in verbo Dei? At ***credere in Eccleſiam*** nullus legis in Symbolo.

Idem Stapletonus lib. III. c. 15. ***Paſtores quantum ad auctoritatem docendi quâ funguntur in verbo non fundantur, nec ex verbo eam accipiunt ſed à Chriſto à quo mittuntur.*** Paſtorum Eccleſiæ Romanæ auctoritatem in verbo Dei non fundari facilè credimus: Chriſtus nec mittit quenquam niſi loquendo, nec loquitur extra verbum ſuum.

Baronius ad an. 1076. deciſionem affert Concilii ſub Gregorio VII. ***Quod nullum capitulum nullusque liber Canonicus habeatur abſque Papæ auctoritate.*** Quid ſi Papa Chriſtum habeat (& habuit aliquando) pro fabulâ?

Alphonſus de Caſtro lib. I. contra Hær. cap. 8. ***Salvator ad Scripturas nos miſit ut ab eis peteremus teſtimonium non autem judicium.*** Nempe ut nugator ille alter: ***Nunquam auditum, teſtem eſſe Judicem:*** Contrà Scriptura de Deo utrumque pronuntiat: Polychronius in Catenâ ad illud Job. XVI. 10. ***In Cœlo Teſtis eſt meus:*** Jobum ait appellare Dei judicium. Sed mittamus has nænias.

Coſterus Enchirid. cap. I. ***Chriſtus nec Eccleſiam ſuam à Chartaceis ſcriptis pendere, nec membranis myſteria ſua committere voluit.*** Idem vaginæ comparat Scripturam quæ quemvis, gladium, æreum, aureum, &c. admittit. Sed an non ſunt decreta Pontificum & Conciliorum volumina ſcripta *Chartacea?* Annon eſt Scriptura, λόγος Θεοῦ penetrabilis uſque ad membrânas & animæ ac medullarum diviſionem *διικνούμενος ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, ἁρμῶν τε καὶ*

μυελῶν καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας; Quàm aliter Apoſtolus, aliter Jeſuita de Verbo Dei ſentit ac loquitur!

Melchior Canus, ille candidus antehac Scripturæ laudator, tamen habet illud Loc. Theol. lib. III. fund. 4. *Scriptum verbum ſi verè & propriè loqui velimus non eſt Verbum.* Contra Judæis commiſſa oracula Dei ſcripta ſunt, Rom. III. 3.

Eckius referente Kemnitio *Euangelium nigrum* dixit, & *Theologiam atramentariã.* Non ita Paulus: ἐγγεγραμμένη οὐ μέλανι ἀλλὰ πνεύματι Θεοῦ ζῶντος ἐν πλαξὶ σαρκίναις 2 Cor. III. 3.

Ludovicus Romæ Canonicus oratione habitâ in Conventu Tridentino: *Eccleſia eſt vivum pectus Chriſti: Scriptura autem eſt mortuum atramentum.*

Epiſcopus Pictavienſis apud Sleidan. lib. XXIII. *Scriptura eſt res inanimis & muta ſicut ſunt reliquæ leges Politicæ.* At, utut muta, Lex Imperat. Ariſtoteles Polit. III. c. 12.

Pighius controv. 3. de Eccleſ. *Communis te ſenſus ignarum eſſe comprobas; ſunt enim Scripturæ muti judices nec loqui poſſunt.* Rem judiciariam *ex mutis magiſtris* cognovit Aulus Gellius Noct. Attic. lib. XIV. cap. 2. Philoſophus Ethic. V. cap. 6. οὐκ ἐῶμεν ἄρχειν ἄνθρωπον ἀλλὰ τὸν λόγον. Ita & nos. Scriptura *loquitur* Rom. III. 19. *dicit* adeoque *clamat* Rom. IX. 17. 27. Et quiſquam mutam dicet præterea? Vide locum inſignem Hebr. XII. 25.

Tapperus de Scripturâ: *Quaſi muta ſilet & injuriam ſuſtinet patienter*: Orat. Theol. 3 Falleris & fallis ô bone! ſurdus es. non te dimittet impunem poſt ſpretas divitias patientiæ ſuæ. Hebr. II. 3. & XII. 25. *Quo modo effugiemus qui tantam ſalutem, qui eum qui eſt è Cœlis loquentem averſamur*, ubi loquentem autem niſi in Scripturis?

Cuſanus Cardinalis ad Bohemos Epiſt. II. *Hæc eſt*, inquit, *omnium ſanè intelligentium ſententia qui Scripturarum auctoritatem & intellectum in Eccleſia approbatione fundant, & non è converſo Eccleſiæ fundamentum in Scripturarum auctoritate locant.*

Idem ibid. *Dico nulla eſſe Chriſti præcepta niſi quæ per Eccleſiam pro talibus accepta ſunt.* Sed hoc non dicit Chriſtus, *Neminem vocate magiſtrum*, hoc non dicunt Apoſtoli, *Ad quem iremus?* hoc non dicit Eccleſia vera, *Trahe & curremus.*

Albertus Pighius jam laudatus non ſemel appellat Scripturam NASUM CEREUM. At Propheta Legem non cum cerâ ſed cum favis & melle contendit Pſal. XIX. At Apoſtolus non *naſum* Euangelium ſed *odorem* vocat, vitæ ad vitam, mortis ad mortem. *Scriptura* inquit Pigh. *horſum illorſumque velut cereus naſus aliquis trahi ſe accommodarique in diverſam & ad eam quam quis ſecum antè præſumpſit ſententiam callida cautaque expoſitione etiam facilè eludi permittunt.* Indice argument. lib. I. cap. 4. Vide eundem lib. I. Eccleſ. Hierarch. cap. 4. Permittunt te hoc facere, ſed non permittunt tibi hoc facere, Alberte. Ipſum Concilium Tridentinum, ipſos Patres alii aliter explicant. Idem Hier. lib. III. cap. 3. *Sunt Scripturæ ut non minus*

Digitized by Google

minus verè quàm feſtivè dixit quidam velut naſus cereus, qui ſe horſum illorſum trahi retrahi ſingique facilè permittit. O blaſphemam feſtivitatem!

Quintinus hoc ipſum antè dixerat referente ac utroque pollice laudante Pamelïo ad Tertull. de Præſcript. *Poſteri,* inquit, *gratâ ſanè & perelegantimetaphorâ Scripturam vocarunt ceream ejuſque naſum cereum dixère quia poſſit ad libitum quocunq; flecti. Tam facile eſt enim, imò faciliùs ad res prophanas & impias detorquere Scripturam ſacram quàm facilè ex pedibus ac ſemipedibus aut penthimimeribus Virgilianis Epithalamia ſeu quidvis aliud in unum congerere.* Quod de Conciliis meritò dixeris: Cerea enim ſunt in vitium flecti, ut ille loquitur, dum alterum alteri contradicit ac repugnat, ut patet ex Conſtantienſi & Lateranenſi, ne jam de Chalcedonenſi & Niceno, aliiſque dicam. Detorqueri Paulinas Epiſtolas jam olim Petrus admonuit, ſed à quibus? Ab indoctis & levibus, qui ſunt ipſis ἀμαθεῖς & ἀςήρικτοι & ad propriam perniciem. Sed Fundamentum Dei firmum ſtat 2 Tim. II. non cereum, quippe opus Rupis perfectum. Hanc ipſam cerei naſi comparationem amplectuntur Cromerus lib. de Falſa Relig. Luther. & Jeſuitæ Colonienſes in Cenſur. Catech.

Idem Pighius lib. I. cap. 2. Scripturas ait eſſe, *veluti plumbeam quandam Leſbiæ ædificationis regulam*: Nos putabamus auream ædificationis divinæ ac cœleſtis in ſanctiſſimâ fide regulam. Fundamentum eſt pretioſum, lapillis pretioſis conſtans, 1 Cor. III. ſtipulæ, fœnum, ſtannum & plumbum à vobis ſuperædificata ſunt. Oracula Scripturæ clara ſunt & fidelia, non Apollonis Loxiæ. Gladius eſt Scriptura δίςομ&, à dextris & ſiniſtris potens, non Delphicus. Regula eſt recta, ſui & obliqui norma, non Leſbia.

Idem Pighius de Hierarchiâ lib. I. c. 2. *Apoſtoli quædam conſcripſerunt, non ut ſcripta illa PRÆESSENT Fidei & religioni noſtræ ſed potiùs ut SUBESSENT.* Nempe Cœlum ipſum petimus ſtultitia Gigantea, manibus magnum reſcindere cœlum aggreſſi, & Apoſtolos de Thronis duodecim deturbare ut judicemus nos illis ſedentibus ad pedes noſtros duodecim tribus Iſraëlis.

Gregorius de Valentia qui ſupra commodè ſatis loquebatur lib. IV. Analyſ. cap. 2. dicit *Scripturam arcano Dei judicio eſſe velut lapidem offenſionis & in tentationem pedibus inſipientium, ut qui velint eâ ſola niti facillimè impingant & errent.* Liber ſeptimus ejuſdem operis hunc titulum præfert: *Pontifex Romanus ipſe eſt in quo auctoritas illa reſidet quæ in Eccleſia extat ad judicandum de omnibus omninò fidei controverſiis.* Non igitur temerè ſupra diximus, plerunque per Eccleſiam intelligi Papam.

Andradius ille quem alibi multa non malè confitentem habuimus, & cui debemus hanc laudem, ipſum de auctoritate Scripturæ multa dixiſſe alia meliùs quàm alii multi: Nam & à Deo eam ſortiri auctoritatem ſuam non ab homine docet, nec ab Eccleſia ſed à Spiritu ſancto, & propoſitionem hanc deteſtatur quam Pighius, Cuſanus, alii, concoquere valuerunt, Eccleſiam & Epiſcopos facere per ſe librum Canonicum, qui non erat, & qui erat Canonicus, eum repudiare, quorum prius impudentiam: alterum impietatem

vocat:

vocat: Idem tamen Andradius Defenſ. Concil. Trident. lib. II. p. 675. NIL QUICQUAM DIVINITATIS INEST SCRIPTURAE, ait, *quæ nos ad credendum quæ in illis continentur, religione aliquâ conſtringat, ſed Eccleſiæ tanta vis eſt atque amplitudo.* Sed Apoſtolus ex adverſo clamat: TOTA SCRIPTURA DIVINITUS INSPIRATA EST. Atqui per Eccleſiam Papam intelligunt: Ille igitur Unus divinus eſto. In illo habitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Scriptura omni Religione vacua vox ſit, præterea nihil. Age divina humano arbitratu penſitetur auctoritas. Qui ſemel verecundiæ limites tranſiliit eum ſtrenuè impudentem eſſe oportet. Nobis religio tota in Euangelio, quod ſolum eſt vis Dei ad ſalutem.

Omnium autem vicit veſaniam Prierias contra Lutherum Leoni Papæ in hunc modum ſcribens: *Indulgentiæ auctoritate Scripturæ non innotuêre nobis, ſed auctoritate Eccleſiæ Romanæ Romanorumque Pontificum quæ MAJOR EST.*

Atque hic faciamus finem bipertitæ Confeſſionis, in qua *Reos* hinc veritatem noſtram, inde mendacia & contumelioſè dicta ſua confitentes habuimus. Quid ſupereſt quàm ut hanc primam Partem de *Auctoritate* Scripturæ claudamus Auguſtini locis eximiis: *Contra rationem nemo ſobrius, contra Eccleſiam nemo pacificus, contra Scripturam nemo Chriſtianus* contra Donat. lib. II. & de Civit. lib. XXII. cap. 8. *Apponamus ſtateram divinam & noſtras ratiunculas divinis ſubmittamus affatibus.* Et ad Hieronymum Epiſtolâ, quæ decima nona eſt SANCTAM SCRIPTURAM IN SUMMA & COELESTI AUCTORITATIS CULMINE *collocatam de veritate ejus certus & ſecurus legam.* Nempe *quæ non à quibuſlibet ſed ab ipſis Apoſtolis commendata, ac per hoc in Canonicum* AUCTORITATIS *culmen recepta ex omni parte vera & indubitata perſiſtit.* Ibid. *Huic ſerviat omnis fidelis & Pius intellectus.* Item de peccatorum meritis & remiſſ. lib. I. c. 20. *Cedamus & conſentiamus Scripturæ ſacræ quæ nec falli poteſt nec fallere.* Item de unitate Eccleſiæ contra Petilian. lib. III. cap. 6. *Auferantur de medio quæ adverſus nos invicem non ex divinis Canonicis libris ſed aliunde recitamus. Quæret fortaſſe aliquis cur vis iſta auferri de medio? quia nolo humanis documentis ſed divinis oraculis Eccleſiam ſanctam demonſtrari.* Ac ne quis cauſetur eum ita loqui duntaxat reſpectu quæſtionis illius de Eccleſiâ, Idem ibidem: *ſive de Chriſto, ſive de ejus Eccleſiâ ſive DE QUACUNQUE RE ALIA quæ pertinet ad fidem vitamque noſtram non dicam ſi nos ſed ſi Angelus de Cælo vobis annuntiaverit præterquàm quod in ſcriptis legalibus & Euangelicis accepiſtis anathema ſit.* Idem Auguſtinus in Pſal. LVII. *Auferantur de medio Chartæ noſtræ: procedat in medium codex Dei: Audi Chriſtum dicentem, audi veritatem loquentem.* Idem Auguſtinus Epiſt. XLVIII. *Audi, dicit Dominus, non dicit Donatus, aut Rogatus, aut Vincentius, aut Hilarius, aut Ambroſius, aut Auguſtinus, ſed dicit Dominus.* Atque hæc mantiſſæ loco adjecta ſunto. Nunc ad alteram de Scripturæ *Canone* ſeu *integritate* veniamus partem.

PARS

PARS ALTERA

De Scripturâ, quæ VI. Quæſtionibus abſolvitur.

Quæſt. I. *An totus Canon extet, nec ullus è Canone liber perierit?*

II. *An Canonici & Apocryphi libri à Pontificiis rectè putentur?*

III. *An fontes Hebræi Græcique integri & incorrupti ad nos pervenerint?*

IV. *An in Hebræo vel Græco codice dentur exempla corruptelæ alicujus, ex quâ doctrina ſalutis detrimentum inſigne patiatur?*

V. *An verſio Græca* LXXII. *Seniorum in magna quadam dignitate eſſe debeat?*

VI. *An Latina & Vulgata Canonis verſio pro authenticâ exiſtimanda ſit?*

Digitized by Google

PRÆFATIO.

HÆc diſputatio cum præcedenti cohæret ideò quod Pontificii ſoleant bifariam *integritatem* Scripturæ ſanctæ ſugillare: Ac primò quidem cùm eam inficiantur nos habere totam; deinde cum eandem inficiantur nos habere puram: dicunt enim & mutilam & inquinatam eſſe: Utrumque autem illud inficiantur & hoc utrumque dicunt, ut quod ſibi putant inprimis opportunum obtineant, non eſſe ad Scripturæ ſacræ ſed ad Eccleſiæ Romanæ tribunal confugiendum: cujus magna eſt, ſcilicet, integritas; quaſi non & ipſa variè mutila & impuriſſima foret. Ad eam pertinere jus volunt ſtatuendi de numero Canonicorum librorum, & eam quæ præ cæteris placuerit verſionem ut ita loquar, Canonizandi, ac fontibus ipſis præferendi: Quod ut pervincant, quaſi membra Virbii disjecta, vel tabulas è naufragio ſuperſtites pingunt nobis Corpus illud perfectiſſimum pleniſſimumque divinorum Voluminum: Eſt igitur nobis in hac Parte ſecundâ gemina inſtituenda diſputatio: prior de Integritate partium: altera de Integritate lectionis: prior ad quantitatem Canonis, poſterior ad qualitatem ſpectat. In priori docebimus nihil è Canone deperditum eſſe, quod ejus integritatem violet, ac plenitudini obſtet: In altera demonſtrabimus nullum in Canone ſacro inoleviſſe vitium, vel temporum injuriâ, vel Judæorum corruptelâ, vel hæreticorum perfidiâ, quod ſalutaris doctrinæ Fundamenta convellat. In utraque Dei Providentiam ſartam tectamque Scripturam ſuam, & ab omni labe puram conſervantis admirabimur. Nam quæ periiſſe partes, aut obrepſiſſe labeculæ videntur, ad rei ſummam nullius momenti ſunt. Atque hinc liquidò patebit nec LXX. Interpretes, nec Vulgatum, Hebræo fonti æquiparandos eſſe; *Juvet integros accedere fontes Atque haurire*, non Eccleſiæ ciſterninas aquas è rivulis Verſionum lutulentùm fluentibus bibere.

QVÆSTIO I.

Digitized by Google

QUÆSTIO I.

An totus Canon extet nec ullus è Canone liber perierit?

VIdetur non extare primò quia cap. IV. lib. III. Regum id eſt I. ſecundùm Hebræos agitur de 3000. parobolarum Salomonis & 7000. carminum, quæ nunc temporis deſiderantur.

II. Libro I Chronic. mentio fit libri Prophetæ Natanis, & voluminis Gad videntis.

III. Chryſoſtomus id affirmat, aitque adeò in toto Veteri Teſtamento, deſiderari, quod laudatur Matth. II. ult. *& Nazarenus vocabitur* & I Cor. II. *quæ oculus non vidit*, &c. ex libris amiſſis fuiſſe decerptum opinatur.

IV. Epiſtola ad Laodicenſes in eâ ad Coloſſenſes extremâ laudari videtur: tùm, Epiſtolam ad Corinth. deſiderant Cajetanus, Aquinas, & ipſe venerabilis Beza, nitentes I Cor. V. 9.

V. Liber Enochi, Epiſtolæ Jud. XIV. commemorari videtur.

VI. Direptâ urbe dirutoque templo Hieroſolymitano omnia ſacra exemplaria igni data ſunt, & Eſdras illuminatus præter ordinem ea memoriter reſtituit Eſdr. IV. 14. & in hanc ſententiam deſcendunt Tertullianus & alii.

Sed contra ſcriptum eſt I Tim. VI. 20. *Depoſitum cuſtodi*, Eccleſia verò fidelis debet eſſe cuſtos, quam Dei præſidium nunquam deficit in neceſſariis.

STATUS QUÆSTIONIS eſt, non utrum aliquid à ſanctis viris conſcriptum perierit, ſed utrum aliquid ab iiſdem, quatenus à Deo fuerunt inſpirati, profectum perierit? Potuerunt enim aliquid Marte ſuo & induſtriâ non probum emittere, neque id quæſtionis eſt, An ſacri aliqui libri perierint? Potuerunt enim eſſe ſacri, non autem Canonici, hoc eſt Eccleſiæ totius perpetuis uſibus à Deo deſtinati, ejuſque acri cuſtodiæ traditi: hoc autem quæritur, An perierint aliqui libri, & probi & ſacri, & afflatu divino perſcripti ad id ut non modò auctoritatem apud ſuos divinam obtinerent, ſed etiam ut ad totum Eccleſiæ corpus in ævum omne pertinerent, & eapropter in Canonem inſerrentur? Bellarminus, & alii affirmant: nos negamus; & hîc animadvertere eſt ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς & immoderatum contranitendi ſtudium in Stapletono, uſque adeò ut à ſuis maluerit diſcedere, quàm cum Wittackero aliquid conſentire, qui affirmare non dubitavit Canonica periiſſe nonnulla.

RESPONDEO QUÆST. Multa potuére οἱ θεόπνευστοι humanâ meditari diligentiâ & in iis pati ἀνθρώπινόν τι, quod liquidò patet in Epiſtola, quam David Joabo in cauſa Uriæ ſcripſit, nec enim hanc certè divino afflante Spiritu ſcripſit. Porro ſicubi Apoſtoli novo Teſtamento inſerunt, quæ in Apocryphis inveniuntur libris, non tamen continuo Apocryphis in Canone dandus eſt locus; nec enim ſi Apoſtoli Spiritus ope ſecernere ſciverunt, quid eſſet ex illis libris admittendum, quid refutandum, idem nos poſſumus, qui longe minorem Spiritus copiam ſortimur. Alia igitur ſcripſere ſicut homines hiſtoricâ lucubratione, alia ſicut Prophetæ inſpiratione divinâ, quorum illa pertinent ad ubertatem cognitionis, hæc ad auctoritatem religionis, illa cum libertate judicari poſſunt, hæc verò cum neceſſitate credi debent. Conſul. Auguſt. de Civit. Dei lib. XVIII. cap. 38. quanquam, ſi verum amamus, nihil in N. Teſtamento citatum reperias, quod neceſſe ſit ad Apocryphos libros referri: cùm verò ex Canonicis omnibus aliquid excerptum inveniamus in Novo Teſtamento, clara hæc ſignificatio eſt non fuiſſe vere Canonicos illos alteros, de quibus nihil decerpitur. Non eſt autem prætermittendus abſque nota, quantum vultis acer & copioſus veritatis aſſertor Wittackerus, ubi diſtrictè pronuntiat *neminem doctum dubitare Canonica quadam periiſſe.* Fidem hominum! ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων Vir doctiſſime, quo excepto pauci admodum è doctioribus id neceſſario ſtatuendum arbitrantur. At multæ Scripturæ mutilatæ ſunt à Chaldæis? fuerint; ſed inde non efficitur omnia ſimul exemplaria fuiſſe combuſta: noſtrâ enim tempeſtate ſacra Biblia fuerunt aliquando flammis tradita, neque tamen in totum perierunt: neque verò ſi Solomonis libri multi, cum libris legis, quos Eſdras non reſtituit in integrum, uti proditur à Joſepho *vernaculo* rerum Judaïcarum ſcriptore, quemadmodum Tertulliano dicitur, continuò ſequitur hos libros Solomonicos in Canone fuiſſe Scripturarum, quidni potuerit enim fieri ut probi ac utiles non Canonici tamen unà cum Canonicis uno, eodemque incendio conflagrarint? Verùm hic auctor cætera laudatiſſimus, & Stapletono triumphato inſignis πολλοῖς ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπώσεται ψόγον. Quanquam ne ſic quidem adverſus nos aliquid promovebitur; eſto enim, perierint libri Canonici multi, ſatis eſt alios manſiſſe ſuperſtites, qui ad ſalutem ſufficiunt omnino 2 Tim. III. 17. necnon Luc. XVI. 29. & ſequentibus: hic enim quæritur, quo ſufficienti medio poſſent divitis fratres ad ſalutem adduci; atque Actor. XVI. 22. ubi nota οὐδὲν ἐκτὸς λέγων; Atqui plenam ſalutis viam integramque Chriſtus docebat. ſed non periiſſe tamen ullum è Canone librum videtur manifeſtum eſſe Luc. XXIV. 27. ubi nota πάντων τῶν προφητῶν, nec non ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς, tùm & illud ἀρξάμενος ἀπὸ Μωσέως nam quid attinebat obſervare principium, aut bis appellare totum, aut principem facere Moſem Prophetarum, quem alii tamen multi præceſſerunt, niſi mens fuiſſet Canonem Scripturarum perſequi? Nec minus liquet id ipſum 1 Cor. x. 11. Unde Athanaſius

Digitized by Google

naſius in Synopſi de Scripturâ verba faciens *ὠβελισμένα καὶ κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία.*

Ad ARGUMENTA RESP. Ad primum, non negamus periiſſe libros quoſdam etiam pios, etiam, ſi fortè, à divino Spiritu profectos, at non eâ voluntate ut univerſali Eccleſiæ inſervirent, & ea fini ut referrentur in Canonem, ſed ut illi duntaxat ſeculo prodeſſent. Solomon *locutus* eſt 3000. parabolas, non *ſcripſit* notante Dionyſio Carthuſiano, qui plurimùm Scripturæ non malus eſt interpres. Carmina verò 7000. aut magis 1005. ut Hebraïca veritas conteſtatur unde conſtabit Canonica fuiſſe? nihil eſt veroſimilius, quàm hæc in eodem cenſu eſſe deputanda, cum iis, quæ de plantis, & naturâ rerum ingenioſè ſcripſerat.

Ad *ſecundum*, ut perierint, leve hic detrimentum res Chriſti capiet. Verùm periiſſe nulla juſta ſuſpectio eſt, quando quicquid de iis traditur poteſt ac debet referri ad res Davidicas inſertas Samuëlis & Regum libris. Viſatur Sixtus Senen. Biblioth. lib. II. cap. 22. nam quod objicitur in illis Nathanis & Gad libris ſcripta fuiſſe geſta non ſub Davide modò, ſed ſub omnibus regnis terrarum hoc autem intelligi non poſſe de Samuele res tantùm Iſraëliticas commemorante planè nulli rei eſt, ut patet ex capite VIII. lib. 2. nec non idiomate Scripturæ, quæ ſic interdum loqui amat, Hieronymo teſte, ut per omnem terram illius provinciæ, de qua ſermo eſt, confinia deſignet. Sic omnia regna terrarum ſunt regna omnia finitima Iſraëliticæ regionis, de quibus in illis libris mentio reperitur. Liber bellorum Domini & cæteri, Faſti videntur fuiſſe Annaleſque Politici non divini ac ſalutares libri.

Ad *tertium*: hîc profectò accidit Chryſoſtomo, quod ſolet hominibus; nemo quippe non videt alterum ſatis commode referri poſſe ad Eſaiæ prophetiam, *Egredietur* יצא, ne jam de variis Nazaræi acceptionibus diſſeramus, quod ratio inſtituti noſtri non patitur hoc tempore: alibi autem facimus non indiligenter. Alterum extat apud Eſaiam cap. LXIV. 6. nec ullatenus defendi poteſt aureum illud os, quando per Apoſtolorum tempora libros illos tunc cùm eos Apoſtoli laudabant ipſi, extare neceſſe fuit: at periiſſe ab Apoſtolorum ævo librum aliquem ne ipſi quidem Pontificii quantumvis importuni aſſeverant.

Ad *quartum*, *τὴν ἐκ Λαοδικείας* reddendum eſt, eam quæ Laodicenſium eſt, hoc eſt à Laodicenſibus ſcripta: nam & Epiſtolas Pauli cùm dicimus à Paulo ſcriptas intelligimus, & cum Romanorum Epiſtolam Paulinam vocamus ad Romanos, ineptè, ac barbarè loquimur: itaque Syrus interpres reddit *eam quæ ſcripta eſt ex Laodicéâ*. Eſto tamen: fuerit à Paulo ad Laodicenſes aliqua perſcripta: manum propterea non verterimus: quamvis enim perierit, non periit quod in ea pertinebat ad fidem, hoc enim abunde nobis aliæ reddunt: At nec periit, nec ulla fuit. Nam ejus quam Faber Stapulenſis protulit, fucus undique pellucet: Atque hæc tamen, opinor, ipſiſſima eſt, quam veteres confictam fuiſſe ab hæreticis prodidére. Marcion quidem ad Laodicenſes dici volebat, quæ dicitur à nobis ad Epheſios.

Digitized by Google

Tertullianus autor. *Eccleſiæ veritate Epiſtolam iſtam ad Epheſios habemus emiſſam non ad Laodicenos: ſed Marcion ei titulum aliquando interpolare geſtiit. Nihil autem de titulis intereſt, cùm ad omnes ſcripſerit Apoſtolus dum ad quoſdam.* adv. Marc.lib.v.c. 17. Unde arbitratur Hugo Grotius præf. ad Eph. eandem fuiſſe à Paulo & ad Epheſios & ad Laodicenos ſcriptam. Quicquid id eſt, levis jactura eſt.

Quod attinet ad Corinthios tertiam, quod Paulus ait 1 Corinth v. 9. ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ Græci Patres de hac ipſa eum loqui cenſent, in qua paulò ante juſſerat excommunicari eum qui ſe inceſto coïnquinarat, ut Coloſſ. iv. 16. cùm lecta fuerit apud nos ἡ ἐπιστολὴ id eſt hæc Epiſtola, vulgatâ editione hunc in modum reddente.

Ad *quintum* liber ille nunquam fuit in Canonem relatus, quod patet ex Joſephi, & Hieronymi ſilentio: ſecundò nec ſcripſiſſe dicitur ſed prophetaſſe: tertiò non fuerit in codicem relatus, verum potius lapidibus inciſus ut illorum ferebat conſuetudo temporum, ſi quidem falſo nomine dictus Berozus verum renuntiat. Denique videtur Auguſtinus, cautim legendus tamen libro xv. de Civit. cap. 13. unde apparet extitiſſe iis Eccleſiæ temporibus librum Apocryphum cujus index Enochum mentiebatur auctorem, cujus & bene longum fragmentum debemus illuſtri Scaligero in animadverſionibus Euſebianis. Cæterum ſicut Arati, Epimenidis, Menandri verſiculos à Dei viris fuiſſe ſanctificatos, & in ſua jam ſcripta transfuſos vim Canonicam obtinere proditum eſt ab antiquis: ita & ex Apocryphis maligni commatis libris potuére nonnulla vera & proba in ſacrorum derivari voluminum fontes, quæ jam authentica facta ſunt ab iis & pro Canonicis habentur.

Ad *ultimum*, privati homines ut Jeremias, Daniel, &c. aliquod exemplar ſine dubio ſibi aſſervarunt; De Daniele videtur planum ex Daniel. ix. 2. Quid quòd lib. II. Reg. cap. xxv. enumerantur exactè quæcunque Chaldæi captis Hieroſolymis, aut incenderunt, aut Babylonem aſportarunt: de combuſtis libris ſacris altum ſilentium: Conſulatur 2 Macchab. cap. II. Eſdras igitur tantùm emendaverit, concinnaverit, redegerit in ordinem certum ac ſtatum, non ſine viris Synagogæ magnæ, quos habuit laboris ſui conſcios ſocioſque, ſicut narrat Elias Levita in præfatione. 3. lib Maſſoreth. Adeatur & Bellarminus lib. II. de Verbo Dei cap. I. hîc enim optimè ſentit.

QVÆSTIO II.

An rectè libri Canonici à Pontificiis putentur?

VIdentur benè numerari, I. Quod Auguſtinus libr. II. de doctrina Chriſtiana pari plane modo libros illos enumerat, nec non Concilium Carthaginienſe III.

II. Quia Hieronymus Synodum Nicænam librum Judith in numero ſacrarum Scripturarum computaſſe & Epiſtolam Judæ vetuſtate meruiſſe ut inter ſacras Scripturas computaretur, ait.

III. Quia citantur, qui nobis Apocryphi

Digitized by Google

cryphi ſunt, tùm à Patribus, tum in Novo Teſtamento.

IV. Quia publicè in Eccléſia legebantur olim.

SED contra ſcriptum 2 Petri I. 19. & ad Heb. I. 1. Atqui Malachias fuit noviſſimus Prophetarum, & Apocryphorum autores omnium poſt eum ſcripſére, nempe alii poſt reditum è Babylone, alii temporibus Ptolomæi Evergetæ.

STATUS QUÆSTIONIS non eſt de libris Novi Teſtamenti: quanquam enim nonnulli è noſtris hominibus videntur addubitaſſe de nõnullis Epiſtolis, hoc idem contigit adverſariis quoque, Cajetano in primis. Quæritur ergo utrum veteris Teſtamenti libri, qui nobis ſunt Apocryphi, rectè & ordine in Canonem referantur Scripturæ Veteris. Nos negamus; affirmant Pontificii. Concil. Trident. ſeſſ. IV. Apocryphos, & Canonicos in unum faſciculum compingens, *Si quis pro Sacris & Canonicis non receperit*, *anathema* dicit.

RESP: QUÆSTIONI, non videri adeò neceſſarium hoc quicquid eſt controverſiæ, ut eo facile carere Chriſtiani non potuerimus, nedum ut grandia ſuper hac re volumina condi oportuerit: nam quæ petunt ex Apocryphis Pontificii cauſæ ſuæ præſidia, vel adverſus nos argumenta, & admodum pauca, & parùm valida deprehendet, quiſquis attentè conſiderabit: Hæc intereà veritatis eſt prærogativa, ut eam omnes admittant etiam hoſtes, licet venena & offucias ſuperinducant. Ac ut in aliis fidei Chriſtianæ cardinibus à nemine Chriſtiano, retrò ſeculis, ac ne Pontificiis quidem hodiernis negatum eſt unquam, quod Eccleſiæ noſtræ fide retinendum affirmant, ac profitentur; Quis enim adeò væcors ut Deum vel Chriſtum Mediatorem orandos adorandoſque, aut ut fide manducari ſpiritualiter corpus Domini, &c. ſuſtinuerit inficias ire? Sic neque, quos habemus nos pro Canonicis libris libros pars ulla repudiavit unquam Chriſtianorum, tametſi varios ſpurios inſuper adjecerunt. Verùm Dominus cùm Scripturam totam dividat in Moſem, Pſalmos, & Prophetas, nec ad horum ordinum aliquem Apocryphi revocari poſſint: non enim à Moſe traditi, non vinctâ oratione verſibuſque conſcripti uti Pſalmi, non à Prophetâ denique ullo profecti, quorum fuit extremus Malachias, poſt quem intereà conſtat Apocryphos omnes prodiiſſe, hinc efficitur à Canone amoliendos eſſe, quotquot Apocryphi vulgò numerantur. Adde quod Canonem Veteris Teſtamenti cùm non potuerimus aliunde quàm ab Eccleſiâ recipere Judaïcâ, quæ 22. dumtaxat libros juxta numerum elementorum ſuorum numerat; non conſtaret autem ratio ſi Apocryphi pro Canonicis haberentur, quippe ad 29. numerus excreſceret: cùm etiam plerique librorum de quibus controvertitur Græco ſint idiomate ſcripti, mirum ſi Eccleſiæ Judaïcæ uſibus deſtinati fuére, quæ Græcè nondum ſciebat. Viſatur Joſephus contra Appion. lib. I. ubi docet à Moſe ad Artaxerxem tantum 22. libros eſſe Canonicos & poſt Artaxerxem qui compoſiti ſunt, non eſſe Canonicos. Nimis autem infrunitè loquuntur, qui Canonem Judaïcum, à Chriſtiano diſtinguunt, quum Judæi noſtri fuerint librarii. Rom. III. 2. Scitè Auguſtinus, qui capſarios

noſtros eapropter eos vocat: *Qui propter ſe non habent hæc in cordibus propter nos habent in Codicibus* contra Fauſt. Man. libr. XVI. cap. 21. Adjici poſſunt carmina Latina apud Tertullianum lib. IV. cap. 7. adverſ. Marcion. nec non Græca apud Gregorium Nazianz. totidem nec plures nobis libros putantia: ſed in primis eſt memorabile Melitonis Epiſcopi Sardenſis qui anno Domini 160. in vivis fuit nobiſcum facientis ſuffragium apud Euſeb. in Hiſt. lib. IV. cap. 25. nec non & reſponſio Hieronymi ad Porphyrii malè feriati objectionem præfatione in Daniel. Cùm enim Porphyrius objiceret librum Danielis eſſe confictum, quia nonnulla paronomaſiæ in modum è Græcis deducerentur nempe ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, quæ ſermoni non conveniunt Hebræo, non ſequi negarunt Euſebius, vel Apollinarius, ſi Græcè ſcriptus hic liber Suſannæ, minùs eſſe Canonicum: id largiter concedunt, ſed in Hebræo reperiri negant: *Et miror*, inquit Hieronymus, *quoſdam μεμψιμοίρους indignari mihi, quaſi ego librum decurtaverim, quòd has viſiones obelo notavi ſignificans eas in Hebraico non haberi, nec reſpondere debemus Porphyrio pro his quæ nullam Scripturæ ſacræ auctoritatem præbent.*

RESP. ad I. Concilium illud Carthaginienſe in Spiritu ſancto fuiſſe legitime congregatum à quoquam prudente dici poſſe negat ipſe Baronius, & verò particularis in Africâ Synodus hæc fuit quantumvis approbetur à Trullianâ, quæ ſimul Patrum ſcripta nonnullorum approbavit, neque tamen hæc ideò ſcripta vim Conciliorum obtinent, & Canonem XLVII. de quo nunc quæritur, ementitum eſſe fatetur Surius Monachus, qui collegit; Validiùs nos premit Auguſtini auctoritas qui & illi Concilio interfuit. Verùm longè aliter Auguſtinus loquitur, aliter Hieronymus. Auguſtino Apocrypha ſcripta ſunt adulterina, falſa, improba de Civit. Dei lib. V. cap. 24. *Fabulas* vocat Scripturarum, quæ Apocryphæ dicuntur; facit igitur duos modò librorum ordines, unum Canonicum, qui aliter Eccleſiaſtici dicebantur, id eſt omnium, qui ſolebant ex Ambone legi, Apocryphorum alterum, id eſt falſatorum; Quippe Canonicorum duos gradus facit; primum eorum, qui ab omnibus admittuntur Eccleſiis, quos anteponendos exiſtimat alteris: ſecundum eorum, qui à nonnullis tantùm admittuntur, & hos judicat non eſſe faciendos, quanti priores. Hieronymus ab Auguſtino loquendi formâ non revera diſſidet, quando *ad ædificationem plebis non ad confirmationem dogmatum* legendos exiſtimat, quos Auguſtinus Canonicos ſed inferioris notæ ac ſecundæ dignationis arbitratur, latiùs accipiendo Canonici vocem, quàm Hieronymus, qui vocem Apocryphi latiùs accepit, quàm Auguſtinus. Cùm enim Euſebius quædam pronuntiet eſſe legitima ſcripta γνήσια, ἐνδιάθηκα, ἀναμφίλεκτα, de quibus nihil addubitatum eſt unquam: altera dubiæ fidei: tertia manifeſtò falſata; priora duo Canonica vocat Auguſtinus, tertia dumtaxat ei Apocrypha ſunt: poſteriora duo Apocrypha vocat Hieronymus, prima dumtaxat ei Canonica ſunt. Porrò aliud eſt computari inter Scripturas Hieronymo, aliud recipi in Canone Scripturarum: de Judith enim tradit in Præfatione computari in

numero

Digitized by Google

numero ſanctarum Scripturarum, idemque in præfatione libri Solomonis ait Judith, Tobiam, Macchabæos in Eccleſiâ legi quidem, verùm non tamen in Canone Scripturarum recipi.

Atque hinc ad II. patet Solutio.

Ad III. Ne Apoſtoli quidem laudando falſos aut humanos libros, continuò eos Canonicos faciunt: alioqui Aratus, Menander, Epimenides, & libri Talmudici è quibus Jannis, & Jambris nomina petuntur, divini forent. Viſe Auguſtinu n quæſt. in num. XLII. Deinde iidem Patres, quos expungunt ex cenſu Canonicorum, eoſdem laudare minime dubitant, Sapientiam Origenes, Nazianzenus Eccleſiaſticum, ſed & Hermetis Paſtorem Tertullianus, quartum Eſdræ Ambroſius, tertium Auguſtinus, alii: quos nemo Chriſtianus homo jam pro Canonicis agnoſcit: hinc ergo teſtimonia petuntur, non ad confirmationem, ſed ad illuſtrationem, cùm etiam in ſcriptis falſis vera multa ineſſe potuerint.

Ad ultimum, Legebantur etiam Apocryphi, ſeu Eccleſiaſtici, modò nihil fidei adverſum continerent; adeóque paſſiones Martyrum quas nemo unquam retulit in Canonem. Adde quod non fuit hic mos Eccleſiæ univerſæ, non antiquæ Græcæ, ut patet ex Cyrillo in Catecheſin. non Syriacæ ut patet ex Concilio Laodiceno Canone LVIII. ubi cavetur, ne *ἀκανόνιϛα βιϐλία* prælegantur, & Athanaſius in Synopſi libros eſſe ait quoſdam non Canonicos, qui Catechumenis tantùm, non fidelibus leguntur. Atque hic obiter Canonicorum & Apocryphorum originatio, & nomenclatura obſervanda eſt: quanquam enim *κανὼν* regula eſt fidei, vero tamen propior eſſe videtur ea ſententia, quæ Canonem pro Catalogo, ſive laterculo accepit: Apocryphi autem non ideò dicuntur, quòd eorum ignoratur autor: ſunt enim & Canonici, quorum ignoratur, & Apocryphi nonnulli quorum ſcitur: neque verò, quaſi *οἱ ἀπὸ κρύπτης*, quod non eidem thecæ, atque conditorio cum Canonicis includerentur, quod nemo non videt eſſe paulò durius, ac ſalebroſius; ſed neque quòd abſcondi ſolerent, & clàm haberi: Permittebantur enim Catechumenis etiam ut modò notabamus: ergo longè potius reliquis: Catechumeni enim celabantur quicquid erat reconditius: Niſi fortè hæc temporibus commodè dividenda ſunt, ut olim dicamus fuiſſe clanculum lectos, poſtmodum verò in Eccleſiâ ex Ambone prælectos: At videtur tamen vero propius eſſe, dictos Apocryphos, quod eorum origo ambigua, & occulta foret, & incertum an pro divinis habendi eſſent: Autor Auguſtin. de Civ. Dei libro XV. cap. 24. cui Apocryphi ſunt, *quorum occulta origo non claruit illis* quorum teſtificatione auctoritas verarum Scripturarum ad nos pervenit. Qui ſingulorum Apocryphorum flagitia, mendacia, peccataque varia denotare voluerit, adeat Rainoldum Anglum, qui & eleganter & copioſè, paulò tamen operoſiùs, quàm pro ſuſcepti negotii momento, hanc controverſiam enucleavit.

Quod autem inſimulamur, Siracidis Eccleſiaſticum, Macchabæos, alióſque ideò ex Canone depuliſſe, quod parùm nobis faveant, ſumma fit nobis injuria. Nam primò patet eos ne ab auctoribus quidem ſuis eâ mente fuiſſe ſcriptos,

ſcriptos, ut in Canone locum obtinerent: Quippe ſuis in exordiis adhibent *ἰατρεύματα* & excuſationes quibus Lectorem propitient, quod non eſt pro dignitate ſcriptoris *θεοπνεύστου*, veniam petunt, vigilias ſuas loquuntur, ita denique ſeſe adhibent, quaſi cavere voluiſſent, ne pro Canonicis unquam eos poſteritas exiſtimaret. Vanitas igitur eorum facit, (præſertim cum falſa nonnulla veris permixta ſint) Ut *nullo modo ſacratiſſima Canonicarum Scripturarum excellentia coæquentur & in quibuſcunque eorum invenitur eadem veritas, longè tamen ſit impar auctoritas*: Quæ verba ſunt Auguſtini contra Manich. lib. XI. cap. 5. Deinde verò quos Apocryphos habemus eos Univerſa ſemper Eccleſia vel in Canone omiſit, vel etiam expunxit ac exertè rejecit è Canone. Denique ſtylus & character eorum eſt hujuſmodi, ut ſuo ſe prodant indicio, minimeque ſagacem oporteat eum eſſe, qui non ſentiat eos ab humanâ profectos induſtriâ, licet ex iis alios aliis præſtabiliores, nonnullos verò, exceptis excipiendis, fructuoſiſſimos, miniméque aſpernandos eſſe libenter agnoſcamus, & ſuo haberi loco exoptemus. Locus eſt in Eccleſiaſtico qui nobis adverſari quidem videtur; ſed videtur. Nam res aliter eſt. cap. XV. 14. *A principio Deus fecit hominem ac reliquit eum in manu conſilii ſui.* Quæ vox quamvis cœlitus eſſet edita, nos de Cœlo minimè tangeremur. Illam enim libertatem, (ſi libertas eſt dicenda) quâ peccare poteſt homo & non peccare, ſoli vendicamus Adamo, *à principio*: Solus ille hominum primus eam obtinuit: nemo poſt illum, ne Chriſtus quidem. At controverſia tota noſtra eſt de libertate voluntatis in ſtatu naturæ non integræ ſed corruptæ. Pluribus hunc excuſſimus locum adverſus Dionyſium Petavium, qui ſibi placebat in eo, in libellis iis, quorum titulus eſt, Victoria gratiæ.

Fruſtrà Joſephus adducitur qui ſecundo adverſus Appionem libro verba illa, *Γυνὴ χείρων ἀνδρός εἰς τὰ πάντα, καὶ πονηρία αὐτοῦ ὑπὲρ ἀγαθοποιοῦ γυναικός*, quæ deſumuntur ex Eccleſiaſtico citat ſub nomine Moſis ut probet ipſum Gentium Legumlatoribus antiquiorem. Siracidem autem conſtat eſſe multis Ethnicorum Legiſlatoribus ætate poſteriorem: Siracidis verò nullus meminit Joſephus. Quare igitur Moſis? An memoriæ lapſu? An ut Moſis ſenſum verbis alienis exprimeret? Quod non inſolens facit: nam & alibi Solonis illam legem, *Quod quis non depoſuit, ne attollito*, Moſi adſcribit, nempe ut Moſis ſenſui Solonis verba deſerviant. An locus in mendo cubat? ut eſſe mendis obſitum Joſephum negare poteſt nemo, qui vel obiter tractaverit. An in exemplaribus MSS. deſideratur hic locus? Certè Gelenius omiſit, quanquam forte hîc, ut alibi, culpa hæc typothetarum fuit? Exemplar Heidelbergenſe MS. *πονηρολογίαν* habet *ἀντὶ τῆς πονηρίας.* (quod admonuit V. Præſtantiſſ.) Prior pars apud Moſem Gen. III. 16. extat, poſterior interpretatio prioris eſt. Nec eſt gloſſema, ſed eâdem ratione Flavius totam Legis *οἰκονομίαν* interpretatur, ut patet ex lib. 3. & 4. Sed quid opus eſt verbis? Quid ſentiat in hacce quæſtione Ioſephus dubitare non ſinit Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. III. cap. 10. Quid quod ipſe Ioſephus luculentis verbis aperit mentem ſuam cùm

Digitized by Google

cùm ex libris apud Hebræos receptis tantum XXII. approbat primo adverſus Appionem libro, excluſis cæteris omnibus ab ætate Artaxerxis ad ſuam ætatem, quorum ait parem non eſſe fidem, quia non fuit certa ſucceſſio Prophetarum: Nemo igitur non videt Machabæos à Ioſepho, qui tamen auctor eorum à nonnullis creditur, exactos è Canone.

Nam ut ad Machabæos veniamus, novimus eſſe Viros magnos qui primo haud malè favent: nos fatemur ſecundum longè minori habendum eſſe in pretio: Nam quale illud quæſo eſt, quod ita ſe demittit, ut ſi benè ſcripſerit καὶ εὐθίκτως τῇ συντάξει, *aptè ut hiſtoricum decet*, ſibi gratuletur, ſin minùs, *hoc eſt*, inquit, *quod potui*? Non ita ſe abjicit Spiritus Dei. Non hac alternatione utitur Omnipotens. Nec nobis denuò Concilium illud Carthaginienſe oggeratur: cur enim Machabæos recipiat in Canonicorum cenſum, non aliam rationem adducit, quàm *quia eos libros à Patribus accepimus in Eccleſiâ legendos*. Quaſi verò non Apocryphi etiam legerentur. Canonicos igitur latè dixit, ἐν πλάτει. Hieronymi certè tempore (niſi fidem ipſi non adhibemus) etiam non Canonici legebantur. Jam verò, ſi Pontifex ſummus eſt Judex controverſiarum, cur tamdiù fluctuantem reliquit Eccleſiam, legitimo Scripturarum Canone deſtitutam? donec Concilium Carthaginienſe tertium oſcitanti Chriſti Vicario ſuccurrens id ſibi dari credidit negotii, Canonem ut ex vago & incerto firmum ſtatumque faceret. Pontificibus temporum quàm Scripturarum cura major fuit. Anni Gregoriani conſtitutio iis debetur. Qui tamen Eccleſiam quadringentos per annos incertam reliquerunt de numero Sacrorum librorum. Auguſtinus certè alios à paucioribus, alios à pluribus Eccleſiis recipi teſtatur. Quid profuit Eccleſiæ Romanæ Caput habere in terris viſibile, ſi tanto rerum cardine ceſſavit ejus auctoritas? At Concilium, inquies, litem denique decîdit. Non decîdit. Nam Laodicenum δὶς διὰ πασῶν repugnat Carthaginienſi. Gregorius Pontifex Romanus non minùs reluctatur, qui poſt Concilium illud habitum lib. XIX. Moral. c. 3. Machabæos poſuit inter NON CANONICOS. Quod ſi nos idem facimus quia nobis adverſantur ſcilicet, quare Papa ille Gregorius fecit idipſum ante nos, etiam poſt Concilium Carthaginienſe tertium, niſi quia ueritas eum coëgit? At nobis adverſari falſum eſt, niſi ubi aliis Scripturæ locis adverſantur: Nam quod ait Autor capitationem bis mille argenti drachmarum Hieroſolyma fuiſſe miſſam à Judâ, ut offerrentur ſacrificia pro mortuis, adverſatur Moſi, apud quem nihil tale ſancitum eſt, adverſatur ipſi textui, velut improba gloſſa. Cùm enim Hiſtoria proderet 2 Mach. cap. XII. 43. 44. miſiſſe Judam ut offerretur ſacrificium pro peccato, ille non jam Epitomator, ut profeſſus erat, ſed amplificator de ſacrificio pro peccatis mortuorum jubet intelligi. Satis autem liquet nihil tale Judam in animo habuiſſe, qui pecuniam eam viventium ergò à quibus redacta erat, offerri voluit, ne idem contingeret exercitui ſuo quod exercitui Joſuæ poſt Hacani ſacrilegium Ioſ. VII. 10.

QVÆSTIO III.

An fontes Hebræi Græcique integri & incorrupti ad nos pervenerint?

VIdentur non perveniſſe. Primò propter lectionum varietatem.

II. Quia prototypa, Autographa, & exemplaria nobis perierunt.

III. Quia Iudæi Scripturas depravarunt & falſarunt.

IV. Propter puncta, & apices à Maſſoretis additos, qui cùm poſſint varie conſtitui, ut pote ab humana induſtria profecti, varia hinc, & ambigua reddetur in ipſo fonte lectio.

SED contra Scriptum eſt Matt.v.18. κέραια cave puncta ſubſcripta intelligas: adagio eſt enim & parœmialis loquendi formula; ſi quid autem debet hic notari ſcrupuloſius, non puncta, ſed cornicula erunt, hoc eſt aculei, & acumina, quibus Hebraïci characteres in ſummo armati quibuſdam veluti cornibus cernuntur; & hic locus conferri debet cum Rom.xv.4.

STATUS QUÆST. non utrum levis aliqua mutatio curioſorum hominum aut perfidorum obrepſerit in exempla: nimis id manifeſtum eſt ex variis lectionibus, quas & Robertus Stephanus & venerabilis Beza diligenter obſervarunt in Græcis; & in Hebræo quàmplurimi propter affinitatem conſonantium aut varietatem punctationis: hoc jam quæritur, Utrum talis, tantaque mutatio contigerit ut fundamentum ſalutis intactum, integrumque non maneat, vel ut neceſſe habeamus *Incerti, quò fata ferant ubi ſiſtere detur*, tandem confugere ad conſpicuum Eccleſiæ tribunal? Pontificii credunt: inficiantur Orthodoxi.

RESPONDEO QUÆSTIONI Longè majorem admirabilitatem videri Divinæ Providentiæ, ſi ſtatuimus eam invigilaſſe veritati conſervandæ hactenus ut Fundamenta integra illibataque prorſus permanerent, ſed paſſam tamen labefieri nonnulla levicula, ac vix ne vix quidem alicujus momenti, quàm ſi opinemur nihil planè ſive quoad rem, doctrinæq; corpus, ſive quoad verba & apiculos ab exſcriptoribus & male feriatis hominibus vel temporum injuriâ per tot ſeculorum decurſus potuiſſe vitiari. Hoc enim poſterius aut caſui aut certè ſuperſtitioni Iudaicæ poſſet attribui: cùm prius illud ſatis ſuperque doceat non ſtetiſſe per hominum vel ſocordiam, vel perfidiam, quin rationes veritatis omnes conturbarent; quando, ubi per Deum licuit, ſtrenuè id fecerunt, nempe in levioribus; in iis autem, quæ pertinebant ad fundamenta fidei quòd abſtinuérunt manus ſacrilegas, aut quod nihil per oſcitantiam peccatum eſt, non debemus eorum ingenio nimis protervo, aut induſtriæ nimis ad peccandum pronæ, ſed arcano Numini oracula ſua cuſtodientis Dei. Ad Græcos quòd attinet codices, nihil vetat quin integritas eorum à nobis aſſeratur, quanquam nemo dubitat in variis exemplaribus varia irrepſiſſe menda operarum vitio vel amanuenſium ſupinitate, niſi ſi quis Typographos aut exſcriptores cœleſti quoque Spiritu donare velit: addo & Hæreticorum perfidiâ, qui

qui vel ambitione vel partium ſtudio vel alio mentis morbo calebant. At verò nunquam Deus Eccleſiam neceſſariis in rebus deſtituit ut neque naturam: ſemperque viros Eccleſiæ commodavit, qui retundere, atque arcere à Scripturâ libidines Hæreticorum potuérunt. Quæ igitur parùm commoda leguntur, non magis lucem Scripturæ dehoneſtant, quàm Solem illæ, quæ per Teleſcopium in eo animadvertuntur, labeculæ obſcurant, adeoque fontium integritatem non corrumpunt, ut magis originem ſuam cœleſtem inde Scriptura Dei prodat, quòd nunquam in re alicujus momenti Sacris libris, eorum aliquid quorum aliquid humanis fere omnibus ſolet, acciderit, vel ut interciderint injuriâ temporum tot præſertim & falſis Doctoribus & tyrannis, ipſoque Satanâ magno molimine id ſatagentibus, vel ut aliquâ ſui parte defectum noſtris hodie manibus verſetur ſacrum Volumen, quod ſine admiratione cogitare nunquam poſſumus: ac præſertim quando quid profanis Scriptoribus longe recentioribus ut Cornelio Tacito & aliis benè multis contigerit, animadvertimus. Neque verò quoties aliquid nobis videtur, aut incongruum, aut minùs aptum exire, continuò ad Criticos eundum, qui locum veluti depoſitum arte ſuâ leviter mutando reſtituant: Multa enim ſtylum Orientis reſipiunt, eóque minùs videntur Græca: multa pro ſolœcis Grammaticorum Filii habent, in quibus *τὸ πνεῦμα θεῖον ὑπερορᾷ μικρολογίαν συγγραφικὴν, οὐ γὰρ μέλει Θεῷ θεοφορήτου λέξεως*, ut loquitur eleganter Syneſius. Quam ſui fiduciam & minutiarum contemptum in Scriptoribus ſacris non mirabitur, qui norit Chryſippum apud Plutarchum permittere homini Philoſopho ellipſes, ac cætera orationis flagitia, *καὶ νὴ Δία σολοικισμοὺς*, propter quos alii erubeſcunt: aut qui notârit apud Ciceronem ac Terentium, apud Homerum ac Pindarum, apud Thucydiden, &c. eos occurrere ſolœcos, qui nullâ poſſunt excuſatione purgari ac defendi, nec non apud Epiphanium & alios è noſtris, ne aureum quidem illud orationis flumen excipio, Chryſoſtomum: aut qui denique non ignoraverit LXXII Interpretes, Chaldæumque Paraphraſtem generoſo Spiritu calcare Grammaticorum ſcita, & nullis famelicæ artis legibus obligari, ut cum Eſa. cap. LIII. 4. Uzielides ille Magiſtrorum facilè optimus אנהנא חשיבין *æſtimamur* quod nec eſt cum Hebræo conſentaneum, & Analogiæ repugnat, quæ formam paſſivam ejuſmodi non admittit. Sed hæc alibi fuſiùs perſequemur *σὺν τῇ ἄνωθεν ῥοπῇ*. Quoties autem aliquod irrepſiſſe videtur mendum, non eſt cujuſvis hîc ſuum interponere Iudicium, quod ſibi pro ſua ſummâ verborum rerumque peritiâ venerabilis Beza, parcè quidem ſatis ac ſobriè, ſed tamen ſuo veluti jure vendicavit. Matth. VIII. 30. ubi negativa ſuppletur. Marc. II. 26. vox *Abiathar* deletur. Luc. II. 14. additur σ. *ἀνθρώποις εὐδοκίας*. Luc. III. 24. Iudæos depravaſſe Genealogiam opinatur. Actor. VII. 43. Ρεμφὰν pro Ρεμμὰν ſupplevit. Luc. XXII. 20. *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον* ex orâ irrepſiſſe, ſicut Hebr. XI. 37. ἐπειράσθησαν. At 1 Corinth. XV. 5.

τοῖς δέκα reſcribendum eſſe pro τοῖς δώδεκα. Hæc Beza noſter. Sed quis non videt in iis omnibus nihil eſſe quod magni ad fidem ſalutemque momenti ſit? Nullus eſt Scriptor profanus ac ne Verſio quidem ulla Sacrorum librorum, in quo non occurrant ἀπροσεξίαι plures, & σφάλματα multo graviora. Hæc de Græcis. Ad Hebræos quod ſpectat poſtmodum videbitur.

Ad primum Reſpondeo varietatem lectionum, quam Robertus Stephanus & Theodorus Beza diligenter annotarunt, nec non interpunctiones & diſtinctiones capitum, atque commatum, ſolœcorum etiam ſi fortè obſervationem integritati non officere. Ne Deus enim ſirit, ut in vocum apicibus poſitæ ſint Chriſtianorum fortunæ: Porrò nihil tale in rebus momentoſis facilè reperias, non ſine Providentiâ Numinis, quæ ſuperſtitione ſcrupuloſa Judæorum hinc, inde LXX editione in totum orbem invulgatâ ſatis cavit ne fraus ulla gravior fieri poſſet: Nam Judæis oracula ſua primùm crediderat, qui religione obſtringebantur ſummâ, ne quid in ſacro Volumine permutaretur, & adeo non erat pro moribus gentis pervertere aliquid, ut omnia elementa, & libros, & quoties in ſingulis ſingula libris, & quodnam elementum librum dimidiatum conſtitueret accuratâ putarent diligentiâ; & ſi forte procideret in terram liber, id grande nefas & piaculum Jejunio procurandum exiſtimarent; deinde Ptolomæo, ſive is Evergetes ſive alius fuit, cupidinem injecit ſuam librorum ſupellectilem inſtrumento vetere colloc upletandi; Quam in curam incubuere acciti LXXII. viri, quorum operâ in omnes orbis angulos cùm didita fuerit editio Græca, non potuerunt conſpirare in hanc mentem, tam diverſi, tamque procul diſſiti mortales, ut aliquid in ſacris litteris labefacerent, quod non aliorum Cenſura illicò redargueret. Nempe ſic Deus inſtinctu vario, quem inolevit in hominibus, opera ſua perficit: Judæi, ut potuiſſent, noluiſſent tamen, quia ſuperſtitione uſque ad ludibrium ducebantur: Cæteri, ut voluiſſent, non potuiſſent tamen, propter copiam exemplarium paſſim extantium.

Ad *ſecundum*; Sed neque extabant; qua tempeſtate dixit Apoſtolus totam Scripturam Divinitus inſpiratam 1 Tim. III. & quam laudabant Apoſtoli, & ipſe Dominus Scripturam non Moſis exarata manu ſed verſio LXX fuit ut patet ex Apoſtolo ad Hebræos. Diſtinguamus igitur *eſſentiam* Scripturæ Divinam ab *accidentibus* induſtriæ humanæ: nec enim in ſcriptione rectâ vel exemplorum, vel exemplarium, ſive originum, ſive verſionum poſita eſt vis, & efficacia verbi, ſed pendet à ſcriptione in cordibus Hebr. x. 16. 2 Corinth. III. 3. quorum locorum ex priore patet, quod eſt inſcriptum cordibus, non eſſe Græcum, aut Hebræum ſed abſtractum ab omni origine ac verſione: ſicut igitur non impediunt σφάλματα typographica vel prava concionatoris recitatio, quin verbum fructuoſum ſit; vel librorum inopia, vel ignoratio litterarum quin ruſtici ac idiotæ ſpiritum & vitam recipiant Johan. VI. 45. ita nec impedire poteſt originum jactura, vel facta verſionibus labes, quin eſ-

ſentiam

ſentiam ſuam virtutemq; vivam verbum retineat, quam non habet à litterâ ſed ſpiritu, nec à vocibus ſed ſenſu, nec à ſuperficie ſed medullâ, nec à ſermonum foliis, ſed radice rationis, ut habet Hieronymus: Ex poſteriori efficitur Euangelium inſcriptum cordi carneo non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, eſſe longe pretioſius, & auguſtius tabulis ipſis, in quibus Deus Legem digito ſuo exaravit, (qui procul dubio textus fuit in origine prima integerrimus) adeóque nihil officere, vel originum amiſſionem, vel verſionum depravationem: nam Hebræi Græcique codices & verſio quantumvis mendoſa, ſi verſionis nomen tuetur, quidquid eſt ſaluti neceſſarium affatim complectitur: nec enim ſi diſtincta maculis manus ſemen humo mandavit, ideò minùs exiſtet, aut meſſem reddet; ita ſe res habet in hoc ſemine, cui nihil perit exſcriptorum culpâ, & ad lapſus proclivi manu; ideóque *incorruptibile* vocatur 1 Pet. I. 23. Neque verò ſi aqua per quos canales, ac tubos corrivatur, ii ſordium aliquid contraxerunt, niſi ſint penitus diffracti, vel obturati (non patietur autem Deus) continuò aquam vitæ de qua Joh. VII. haurire certò non licebit. Si Solem non impediunt nebulæ quæ vaporibus è terra formantur, quin radios ſuos emittat, non impediet vaſis fictilis, in quo theſaurus latet 2 Cor. IV. terrena infirmitas aut vitium, quin Sol juſtitiæ, ac Euangelium gloriæ cordibus affulgeat, ut loquitur Paulus eodem jam jam laudato capite. Quod Auguſtinus Confeſſ. lib. XI. cap. 3. luculenter docet; *Scripſit hoc Moſes, ſcripſit & abiit, tranſivit hinc ad te: nec enim nunc ante me eſt. Nam ſi eſſet, tenerem eum, & rogarem, ut iſta mihi panderet, &c. & ſi Hebraâ voce loqueretur fruſtra pulſaret ſenſum meum, &c. ſi autem Latinè, ſcirem quid diceret, ſed unde ſcirem an verum diceret? Quod ſi & hoc ſcirem num & hoc ab illo ſcirem?* Adde quod retorqueri admodum bene poteſt ad verſus Concilia iſtiuſmodi argumentum: quippe tùm variæ Lectiones, tùm jactura nonnullorum exemplarium hic pariter locum habent, ut patet ex Epiſtolâ Concilii Africani ad Pontificem Romanum, poſtquam ex Oriente allati eſſent libri non dubiæ fidei: tunc enim Concilium illud reſcripſit provocationes ad Romanum tribunal quas ipſe vehementer urgebat non extare in hujuſmodi exemplari; ne jam in aliis Patrum locis immoremur quibus hoc ipſum comprobatur.

Ad *tertium*, non fieri veriſimile Iudæos corrupiſſe ſacra Biblia ut Origenes, Hieronymus, Auguſtinus agnoſcunt, ipſeque adeò Bellarminus confitetur. Conſulatur hic de Verbo Dei libro II. cap. 2. ſub finem, ubi cordatè loquitur; Id enim Iudæi attentaſſent, vel antè, vel poſt Chriſti οἰκονομίαν & apparitionem: Si priùs; unde tandem factum eſt, quod neque Dominus nec Apoſtoli hoc eis facinus unquam exprobraverint? Si poſterius, cur quotquot Chriſtus & Apoſtoli teſtimonia produxerunt cum Hebræorum libris prorſus conſentanea ſunt? Deinde rectè arbitratur Auguſtinus noluiſſe Iudæos veritatem ſuam amittere, ut Chriſtianis auctoritatem adimerent.

Sed ut hoc ſemel clarè plenéque oſtendamus, geminâ utemur demonſtratione. Altera τὸ ὅτι demonſtrabit, nempe

non ita eſſe;nihil falſaſſe Judæos in Scripturâ ſacrâ ſtudio ac de induſtriâ. Altera τὸ διότι; quæ bimembris erit, nempe idcirco nihil falſaſſe Iudæos, quia *noluerunt*, etiamſi facilè ac impunè potuiſſent;Deinde quia *non potuêre*,tametſi voluiſſent maximè. Priorem quod attinet, ſive τὸ ὅτι, certè ſi falſarunt Iudæi Scripturam, vel id perpetrarunt, antè Chriſtum, vel poſt Chriſtum: Si ante Chriſtum vel antè Eſdram,vel poſt Eſdram: Si poſt Chriſtum, vel antè Hieronymum vel poſt Hieronymum: Atqui abſurda ſunt hæc omnia. Nam ſi antè Eſdram, cur id feciſſent cùm nondum odia cum Chriſtianis exercerent? deinde verò quicquid injuria temporum perierat, (autographa verò periiſſe vix dubitandum) quicquid in apographis mendorum inoleverat,id omne conſtat Eſdram reſtituiſſe in integrum: Si poſt Eſdram, cur igitur Iudæis credita dicuntur τὰ τοῦ Θεοῦ λόγια? & quidem cum elogio, ſine cenſurâ. Rom. XIII. 2. II. Cur adeò indulgenter Iudæos habuit Dominus, ut nunquam propter hoc tàm indignum facinus in eos invehatur? quibus tamen in longè minoris momenti rebus non perpercit. III. Cur adeò parum ſollicitus fuit Dominus de ſalute ſuorum, ut falſatos eſſe Moſis & Prophetarum libros nec per ſe nec per Apoſtolos unquam ſuos, verbo ſaltem admoneret? cùm intereà & ex libris illis revincat Iudæos (quorſum autem, ſi corrupti erant & adulterati? & diſcipulos ſuos ad eorum librorum, quaſi ad auri effoſſionem, ſcrutinium invitet ac urgeat; & qui legunt ac explicant eos, ipſos Scribas, Phariſæos ipſos, adiri ac audiri jubeat, ſine ullâ, ut vocant, modificatione, nulla contra corruptelas adhibitâ cautelâ & præmunitione. Ioh. v. 39. Matth. xx. 2. Act. xv. 21. Si poſt Chriſtum ſed antè Hieronymum; cur igitur quæ loca citarunt Chriſtus & Apoſtoli ex Moſis & Prophetarum libris, eodem pacto & nullatenus depravata leguntur? Deinde cur ipſe Hieronymus, ut erat oculatiſſimus, hoc non vidit? Cur ille ſagaciſſimus Origenes, cui, ſi cui mortalium, fuit odora vis, hoc nuſquam olfecit? Cur uterque, cùm tamen uterque linguæ Sanctioris peritiâ excelluerit, tàm diſertè Iudæos ab hoc tanto crimine abſoluit? Si denique poſt Hieronymum; primùm quæro, cur tùm demùm id attentarint? Quia,fortè inquies, antè Hieronymum vix quiſquam Chriſtianorum ſciebat Hebraïcè; itaque nihil opus erat inquinare fontes ignotos: At, inquam ego & poſt Hieronymum qui propè Phœnix hac in parte fuit in Latinâ Eccleſiâ, ut Origenes in Græcâ, viri magni verſabantur in magna Hebrææ linguæ ignoratione; non Auguſtinos non Lactantios, non Gregorios, non Chryſoſtomos licet excipere. Deinde cur non antè Hieronymum id feciſſent,cauſa hæc eſſe non potuit,quod nulli tunc Hebraïcè ſcirent. Quin erat hoc maximè opportunum huic rei tempus, quo tempore fraus impune fieri, & à nemine potuit deprehendi. Sanè per id temporis conſtat eos cum Hæreticis corrupiſſe Græcam verſionem τῶν LXX. cùm tamen Græcè ſcirent omnes: ideò neque clàm eſſe potuerunt. Patuit fraus à Patribus Græcis non ſemel deprehenſa, qui dicam Iudæis propterea ſcribunt, quòd Scripturas corruperint, Græcam nempe verſionem, non fontes Hebræos, quibus & commodiùs

diùs intuliſſent ſacrilegas manus & te-ctiùs, ac eadem operâ Septuaginta verſionem tanquam cum Hebræâ origine parùm conſentientem, infamaſſent. Ac demùm ſi poſt Hieronymum Iudæi Scripturam depravarunt, quid cauſæ dici poſſet, ut rectè quidem Bellarminus obſervat, cur interpretatio Hieronymi cum textu Hebraïco qui nunc extat, in omnibus conveniret? & tamen de Pſalmorum depravatione præcipua querimonia eſt. Num ita Hieronymus vertit, ſicut Iudæi falſaturi erant? Hactenus τὸ ὅτι; Veniamus ad τὸ διότι & Demonſtrationem alteram hinc ductam quod nec id voluerint Iudæi nec potuerint; cùm tamen id ad actionem quamlibet concurrere utrumque debeat; poſſe cum velis. Quorum igitur alterum ſi defuerit, planè nihil efficitur, ſi defuiſſe probemus utrumque Iudæis, neutiquam eos falſaſſe Scripturam obtinebimus, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Ac primò quidem *noluiſſe* inde patet, quod adeò blennos ac ſtupidos fuiſſe minimè ſit veriſimile, ſi quidem odio Chriſtianorum id feciſſe dicuntur, ut ea vafrè loca falſaverint, ex quibus nihil adverſus Chriſtianos emolumenti capiunt; ea verò intacta prætermiſerint, in quibus tanquam palmariis veritatis Euangelicæ firmamentum Chriſtiani conſtituunt. Atqui res ita eſt; in iis propemodum omnibus locis quæ depravata ideò dicuntur à Iudæis, quòd in iis Hebræa origo, verſionibus quæ putantur incorruptæ, non reſpondeat, vix ne vix quidem quicquam reperias, quod rationibus Chriſtianorum vehementer obſit. Obſit autem quid dixi? quin reperias, quod vehementer proſit. Certe nulla datur à Chriſtianis hominibus elaborata verſio, ex quâ faciliùs Iudæi ac magnificentiùs quàm ex Hebræo textu convincantur.

Exemplum tralatitium illud ſed luculentum eſt, Pſal. II. 12. ubi Latinus interpres *Apprehendite diſciplinam*, ita reddidit ut ad Meſſiam nihil pertineat, cùm in Hebraïco fonte dulciſſimum illud reperias, *Oſculamini Filium*. Talia ducenta dari contra Lindanum Johannes Iſaacus affirmat. Cùm intereà vix unum afferre liceat, quod à Iudæis partium ſtudio falſatum eſſe videatur. Unum illud Pſal. XXII. כארו *foderunt* objicitur, ubi Iudæi legunt כארי *ſicut leo*; Verùm id quod à nobis legitur, ad oram libri à Maſorâ obſervatur, à magnâ inquam Maſorâ in exemplaribus Venetis p. 898. col. 4. Tom. ult. ut vel hinc eos de fraude faciendâ minimè cogitaſſe intelligas. Hùc accedit, quod Prophetiæ apertiſſimæ, quas tamen oportuit expunctas; alioqui nihil agebatur; intactæ in eorum libris comparent; atque adeo Pſalmo jam laudato, cur non & ea quæ præcedunt & ea quæ ſequuntur pariter interpolarunt, cùm expreſſiſſima toto illo Pſalmo de Chriſto ſonent oracula? ut *Deus meus quare me dereliquiſti*, *ſum vermis & non vir*, & *Partiuntur veſtimenta mea*, &c. Deinde ſi falſare voluerunt ſacra Biblia, unde factum, quæſo, eſt, quod abſtinuerunt tagaces manus à Paraphraſte illo ſuo laudatiſſimo Ionathane, qui toties pro nobis ſententiam dicit? Quàm operoſe atque anxiè hodierni Judæi *oracula* duo nobiliſſima Gen. XLIX. 10. *de Schilo* & Eſa. LII. & LIII. *de ſervo Dei* Meſſiâ conentur nobis eripere, Jarchi, Kimchi, Abravaniel,

Abravaniel, dum de Meſſia vetant intelligi, ſatis notum eſt. At optimus Uzielides dare poteſt ipſos in ruborem, apud quem utrobique משיחא legitur. Hoc prius eſt argumentum, ex quo conſtat eos *noluiſſe* depravare Scripturam. Nempe non egiſſent adeò ſupinè; poſtquam verecundiæ ſemel limites tranſiliiſſent, ſtrenuè impudentiæ totos rudentes laxaſſent; donec aliquem fructum inde percepiſſent: nam nemo gratis eſt malus, nedum ſacrilegus. Alterum argumentum ducitur à curioſâ & ſollicitâ ſuperſtitione quâ tenentur in Scripturam, ut eos à lege ac ſectâ ſuâ deſciſcere oportuerit, ubi præſertim opus erat multorum in eandem rem conſenſione, ſiquidem voluérunt ſacras litteras conſtuprare. Teſtes damus Iudæos duos, Ioſephum, & Philonem; quorum ille poſt tot ſeculorum decurſum neminem auſum ait ex propriis Iudæorum libris quicquam vel addere vel demere vel immutare οὔτε προσθεῖναι, οὔτε ἀφελεῖν, οὔτε μεταθεῖναι, atque adeò innatum ac σύμφυτον ipſis eſſe, *Dulce & decorum pro Scripturâ mori*, ὑπὲρ αὐτῶν εἰ δέον θνήσκειν ἡδέως. Philo autem ulterius provehitur, cùm poſt plures quàm bis mille annos nihil eos mutaſſe ait, ne verbum quidem, adeóque paratos eſſe antè mori millies, ἀλλὰ καὶ μυριάκις αὐτοὺς ἀποθανεῖν ὑπομεῖναι θᾶττον. Loca integra petuntor ex Euſebio lib. III. c. 9. Hiſt. & Euſeb. præp. Euang. lib. VII. cap. 2. Tanta porrò Iudæos inceſſit Codicis Scripturarum, tamque præpoſtera veneratio, ut ſi liber Legis emendatus ceciderit in terram indicant jejunium; & metuendum dicant ne tota rerum univerſitas in choas & תהו ובהו revolvatur, nec eum ſub aliis libris unquam collocent, nec illotis manibus attrectent, nec in eodem in quo poſitus eſt, ipſi ſcamno ſedeant, nec niſi oſculando claudant & aperiant: ut retinere ultrà trigeſimum diem codicem non emendatum nefas exiſtiment; ut vel propter tria quatuorve menda rejiciant atque adeò vel propter unius vocis aut litteræ defectum tanquam profanum פסול habeant; ut rejectitios ejuſmodi libros inſtituendis modò puerulis adhibeant, vel cum aliquo Sapientum ſepeliant: niſi quis inops Iudæus dari ſibi poſtulet: datur enim poſtulanti hac lege atque omine ut nec ad Synagogam afferat, nec cuiquam mortalium copiam faciat.

Hos tales, quis credat unquam temerare voluiſſe, quamvis potuiſſent, ſacra Biblia? Sed neque potuerunt quæ fuit altera pars demonſtrationis noſtræ. Hoc autem probatur I. ex multitudine diffuſâ exemplarium. *Abſit*, inquit Auguſtinus, *ut prudens quiſpiam vel Iudæos cujuſlibet perverſitatis atque malitiæ tantum potuiſſe credat in codicibus tàm multis & tàm longè latéque diſperſis.* Nam vel pauci quidam Iudæi hoc fecerint, vel omnes: ſi pauci, quî potuerunt in omnes codices jus illud ſibi vendicare? ſi omnes conſulto conſilio, & conjuratione veluti quâdam, nonne proclive fuit, ut quod tàm multis commune fuit conſilium, unius certè indicio diſpaleſceret? II. ex Patrum Chriſtianorum vigilantiâ: Non enim Iudæi, ne cuncti quidem, horum exemplaria corrumpere potuére. Quæ ſanè licet multùm non verſarent Patres illi primores Chriſtiani nominis, tamen ut fit, in

Bibli-

Bibliothecis ſuis acri cuſtodiâ, & in ſanctiori conditorio ſervabant, quæ non verſabant. III. ex Maſoretarum diligentiâ planè incredibili, qui ſibi dederunt id negotii, ut totam Legem redigerent in formam ſtabilem, ne fierent duæ Leges, ut loquitur Elias Levita, & Scripturæ totius Cenſuram egerunt, & anomaliam ſcriptionis, varietatem lectionis, errata ſcribarum, inſolentiam punctationis, partitionem ſectionum, diſtinctionem verſuum, numerum & verſuum, & vocum & litterarum adeò accuratè annotarunt, ut non immeritò Maſoram ſepem Legis סיג לתורה dixerint. IV. ex Divinâ Providentiâ, quæ non paſſa eſt labefieri corpus doctrinæ cœleſtis, quam & hac mirabili conſervatione, per tot ſecula, per tot rerum diſcrimina glorificatam voluit, ut ab omnibus pro cœleſti agnoſceretur, vel ex perenni duratione ac integritate. Quamobrem olim Eſdram neceſſario tempore Deus excitavit, quo tempore disjecta & confuſa erant in Scripturis omnia, propter captivitatem Babylonicam: idemque Deus cùm benè multa, quod negari non poteſt, menda, in ſacrum textum irrepſiſſent, hanc Maſoretis mentem indidit, ut laborem hunc nobis deſudarent: noſtris enim utilitatibus tota eorum Critica potiſſimum deſervit. Unde Auguſtinus Iudæos vocat, *Gentem Chriſtianorum ſcriniariam, bajulantem legem & Prophetas, quomodo ſolent ſervi codices ferre, ut illi portando deficiant, hi legendo proficiant: Nobis enim ſerviunt Judæi tanquam capſarii tanquam librarii, ſtudentibus nobis codices portant*, contra Fauſt. Manich. lib. XII. cap. 23. & in Pſal. LVI. *Codicem portat Judæus undecredat Chriſtianus.* Pro quo tanto beneficio malè debitam ipſis gratiam rependunt qui poſtulant eos corruptorum fontium. Iudæi quidem Samaritanos & Chriſtianos illius criminis reos peragunt: Mahumetani Iudæos & Chriſtianos ajunt corrupiſſe Legem & Euangelium: Abſit à candore Chriſtianorum, ut ſtudio partium aliquam ejuſmodi litem Iudæis intendant, cùm nec voluerint, nec potuerint, quod à nobis jam demonſtratum eſt.

Ad *ultimum*, notum eſt I. vel iis qui leviter tincti ſunt Hebraïcæ peritiâ linguæ, voces quaſlibet tribus elementis conſtare, nec ullam dari ſyllabam cui non adſit ſua conſonans & literâs אהוי paſſim eſſe intermixtas; quæ omnia veluti manuducunt, & lectionem adjuvant, & in linguis Occidentis deſiderantur.

II. Deinde fateor equidem conſonas pleraſque variis ornari vocalibus poſſe cùm ſolitariæ ac extra orationis contextum ſpectantur; at verò ſi collocatæ in ſerie conſiderentur, prout cum præcedentibus aptæ ſunt, aut conſequentia reſpiciunt rarò admodum variam punctorum notationem admittent; & ubi admittent, vera facile diſtinguetur ab alterâ, quæ ſenſum neutiquam cohærentem, ſed alienum dabit; quod ſi quis experiri voluerit, ſudabit multùm fruſtraque laborabit, ut unum, aut alterum exemplum nanciſcatur: cautum eſt enim Dei providentiâ (ſi minùs id ipſe linguæ genius refutaret) ne tales uſurparentur voces in rebus nonnullius momenti, quæ variis notulis inſigniri, ac ſignificatū pati multifarium poſſent.

III. Si forte nonnulla ſe loca dederint, in quibus varia ſubſcriptio vocalium obtinere poteſt, præferatur verior & circum-

Digitized by Google

cumſtantiis loci convenientior vel utraque admittitor ſi neutra diſcedit ab analogiâ fidei, namque ut Auguſtinus habet lib. III. de Doctrinâ Chriſt. cap. 27. quando ex ejuſdem Scripturæ verbis non unum aliquod, ſed duo vel plura ſentiuntur, etiam ſi latet quid ſenſerit ille qui ſcripſit, nihil periculi eſt ſi quodlibet eorum congruere veritati, ex aliis locis Scripturarum doceri poteſt; quæ pluribus homo Sanctus perſequitur.

IV. Quid fiet igitur novo Fœdere in quo pariter accentus & ſpiritus, & commata, & capitum ſectiones, quas conſtat non eſſe divinitus datas, ſed ab homine repertas induſtrio mutare integrum eſt unicuique? An ideò nutabit Chriſtiana fides, & omnia in ancipiti fluctuabunt? Vox *αὐτοῦ* alium aſpirata, lævigata ſenſum alium reddit: nam priori modo pro *ἑαυτοῦ* ſumitur. Atque hinc hæretici ne referatur ad Chriſtum, cùm de Deo dicitur, contendunt hoc aut illo ſpiritu, prout è re ſuâ fore intelligunt, inſigniendam eſſe. Sic Tit. II. 13. poſt hæc verba *μεγάλου Θεοῦ*, interpunctionem adhibent, ne ad Chriſtum pertineant, ſed ab illis dividantur *καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ*. Sic alibi cùm dicitur Chriſtus *Deus in ſecula benedictus*, antè verba hæc punctum ſcribi jubent, quo præcedentia divellantur ab hac ut ajunt exclamatione inſtar Epiphonematis, more Iudaïco: *Sit Deus in ſecula benedictus.* Sed prius ex articuli abſentia, dicendum enim erat, *καὶ τοῦ σωτῆρος*: alterum ex aliis locis falſum eſſe oſtenditur. Sic Irenæus lib. III. cap. 7. *Si quis ſecundum Pauli conſuetudinem Hyperbatis utentis ſic legerit* (In hoc Deus) *deinde ſubdiſtinguens, & modicum diaſtematis faciens ſimul reliqua legerit.* (Seculi hujus infidelium excæcavit mentes) *verum eſſe inveniet quod dicimus.* Hæc Irenæus, qui & aliis exemplis id ipſum comprobat. Sic ubi *πρωτότοκος πάσης κτίσεως* dicitur nonnulli & in his Eraſmus dilato in penultimam accentu ſanè ſubtiliter *πρωτοτόκος* legendum putant ut dicatur non *primogenitus* ſed *primus genitor* omnis Creaturæ. Nec aliter veteres ut Arianorum tela exirent. Iſidorus Peluſiota epiſtolâ XXXI. lib. 3. Εἰκὸς οὖν μᾶλλον δ' ἀναγκαῖον ἐννοεῖν ὅτι κἂν ταῦτα τοιαύτῃ τινὶ ἐννοίᾳ ὁ θεσπέσιος ἐχρήσατο Παῦλος, οὐ πρῶτον τῆς κτίσεως δογματίζειν, ἀπαγε, &c. ἀλλὰ πρῶτον τετοκέναι τοῦτ' ἐστὶ πεποιηκέναι τὴν κτίσιν ἵνα ἡ τρίτης συλλαβῆς ὀξυνομένης, ὡς πρωτόγονος οὐ πρωτογενὴς πρωτοκτίστης οὐ προτόκτιστος. Quibus verbis conſtat liquidò Peluſiotam quoque accentum in voce πρωτότοκος in penultimam diſtuliſſe; quâ re mutatur vocis intellectus & quaſi adverſus eruitur. Sic Marc. x. 13. *οὐ γὰρ ἦν καιρὸς συκῶν*, *non enim tempus erat ficuum*; ſcribi poteſt alio ſpiritu, additâque interpunctione *οὗ γὰρ ἦν, καιρὸς συκῶν*. *ubi enim erat, tempus erat ficuum*; atque ita difficultate nos expediemus illâ quæ tantopere priſcos exercuit, quòd Dominus ficum adierit, eique adeo maledixerit, quòd folia dumtaxat protuliſſet, cùm ficuum tempeſtas non eſſet; quod dictum *niſi figuratè accipiatur*, *ſtultum invenitur*, inquit Auguſtinus. At ſi cui tamen hoc ſubtilius, quàm ſolidius videbitur alia reſpon-

Digitized by Google

reſpondere in promptu eſt; ſed pro ratione inſtituti noſtri ſatis eſt, ſi vero vincamus mutatis accentibus mutari & mentem locorum: Sic 1 Tim. III. 15. nonnulli *στύλον καὶ ἑδραίωμα*, mutatâ modò interpunctione non ad Eccleſiam ut vulgò, ſed ad myſterium, quod ſequitur, pietatis, retulérunt. Sic Actor. XIX. extremo, *ἀγοραῖοι ἄγονται* circumflecti ſolet non benè: ſcribendum *ἀγόραιοι*, & ſubaudiendum *ἡμέραι*. Ammonius: *Ἀγόραιος ἐὰν προπαροξυτόνως σημαίνῃ τὸν ἐν ἀγορᾷ τεθραμμένον*, quem ſubbaſilicanum & ordinarium hominem Latini dicunt, *ἐὰν ᾖ προπερισπωμένως σημαίνῃ τὸν ἐν ἀγορᾷ τιμώμενον*, puta Iovem, Mercurium, Minervam, in foro coli ſolitos; atque hinc habemus vocem *ἀγοραιος* pro vario accentu varium ſignificatum pati, adeoque cùm circumflectitur in penultimâ Deos qui coluntur, non dies quibus cauſæ aguntur, deſignare. Suidas accedit qui *ἀγόραιον* dici diem quo lites diſcepantur docet. Gloſſa vetus: *cum res agitatur ὅτε ἡ ἀγόραιος ἐστί.* Nam ut prolatæ res dicuntur ubi juſtitium eſt, ita res agi quando *αἱ δίκαι εἰσίν*, ut loqueretur Demoſthenes. Sic *ζυγος* pro vario accentu modò jugum quodlibet, modò jugum boum, modò jugum libræ ſignificat; neque tamen metus eſt, ut Matth. XI. 29. aliter accipiatur, quàm oportet. Nec abſimilis locus Iohan. VIII. 44. *ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ*, in quo Manichæi triumphare ſibi viſi quondam, cùm tamen qui non ſunt in Græciâ prorſus hoſpites probe norint latere interdum in adjectivo ſubſtantivum, ut pater *mendacii* non *mendacis* intelligatur. Hæc pauca de multis: Non eſſet autem ferendus qui cæco zelo abreptus accẽtus eſſe divinitùs additos, neque mutandos pugnaret: certè ludibrium iis omnibus deberet, qui accentus ac ſpiritus priſco ævo incognitos ab Ariſtophane Grammatico utiliter adjectos didicerunt. V. Quid fiet omnibus linguis, ubi tam crebræ occurrunt homonymiæ, cùm multò minor verborum ſit copia quàm rerum? quando igitur una eademque vox Hebraïca, Græca, Latina, tres quatuor aut plures ſortitur ſignificatus, non continuo actum & conclamatum erit de interpretatione loci: ſed quæ vox erat *πολύσημος* accepta ſeorſum, in orationis contextu ex variis illis ſenſibus unum tantum hîc habere nullo negotio deprehendetur. Sic 1 Cor. XV. 54. *εἰς νῖκος* reddi poſſe videtur, vel *ad perpetuum*, vel *ad victoriam* ut reſpondeat Hebræorum לנצח quod ipſi obſervarunt Lexicógraphi, nedum ut quiſquam hoc *εὕρημα* velut proprium venditare debeat. Sic *ᾅδης* modò infernum modò ſepulchrum, modò neutrum, ſed dolores ac terrores deſignat 1 Sam. II. 6. Sic *εἰς ἀέρα* ſumitur aliter 1 Corinth. XIV. 9. aliter 1 Theſſ. IV. 17. & modò aëris elementum, modò cœlum infimum, modò nebulas & *νέφος* ſignificat ſed apud Poëtas plerumque: Nolim itaque Virum longè celeberrimum affirmaſſe Diabolum Principem aëris vocari reſpectu non hujus aëris noſtri, ſed nubilorum tenebrarumque infernarum; quaſi non ex aliis locis demonſtrari poſſit regionem aëthercam incoli, aut certe pererrari

à dæmone. Quid quòd eadem interdum vox contrarios ſignificatus habet ut notum eſt de ברך maledicere & benedicere, quis tamen errare poterit aut non accipere maledicendi ſenſu 1 Reg. xx. 10. ut alia mittamus. In Græcorum lingua quantumvis divite varia hujuſmodi ſunt ut ἀλύειν, quod ſumitur vel ἀντὶ τοῦ δάκνεσθαι, vel ἀπορεῖσθαι vel ἀντὶ τοῦ γαυριᾶν καὶ χαίρειν auctore Plutarcho καὶ τὸ θωάζειν vel ἀντὶ τοῦ κινεῖσθαι, vel ἀντὶ τοῦ καθίζεσθαι; & αἰνεῖν, vel τὸ ἐπαινεῖν, vel τὸ παραιτεῖσθαι ſignificat. Quis tamen hæſitabit Act. II. 47. Luc. I. 13. & non ex tota ſerie docebitur laudationis ſenſu accipiendum eſſe? Denique in rebus ſaluti neceſſariis negamus ejuſmodi varietatem aliquid afferre periculi, vel in Græcis, vel in Hebraïcis: Eſt enim doctrina ſalutis & vitæ per totum Scripturæ ſacræ corpus diffuſa, nec ſi particula hæc aut illa difficultate aliqua vel labe afficitur, continuò Vivifica illa & cœleſtis doctrina perit nobis, aut in diſcrimen adducitur: Sicut nævus aut ruga in corpore non necat hominem. Quemadmodum autem non eſt ea Eccleſiæ militantis conditio, ut ab omni peccato ſit immunis, quanquam Deus eam, pro eo ac promiſit, à totali ac finali caſu vindicat ac tuetur: ita pariter non eſt ea Dei nobiſcum agendi ratio, ut Veritatem nobis liquidam ſine ſpeculo & ænigmate proponat: Deus hîc ſub nomine *Schaddai* ſeſe nobis revelat, quantum ſufficit ad id ut ſalutis iter inſiſtamus: in futuro demùm & æterno ſeculo *Jehova* promiſſa omnia penitus implebit: Huic autem diſpenſationi non erat accommodata Scriptura ita prorſus plana, ut nulla ſalebra, nullus in eâ ſcrupulus occurreret: ſicut eſt liber vitæ in cœlis. At Scripturam Eccleſiæ militanti traditam ita temperari decuit, ut multa ſupereſſent nobis in Euangelicæ veritatis myſterio & hîc optanda, & illic obtinenda in cœleſti gloria, in quà quicquid eſt ἐκ μέρους abolebit perfectio. De punctis igitur Veteris Teſtamenti, quantumvis mutentur, transferantur, deleantur, adjiciantur, non eſt major difficultas, quàm de tot Scripturæ locis, in quibus fateamur oportet eſſe δυσνόητα τινά quod de Paulinis Epiſtolis Petrus dixit: Liceat autem nobis de Petrinis etiam dicere. Nam quemadmodum varia quibus loca illa in varium ſenſum detorquentur interpretamenta, non impediunt quominùs ex aliis abundè locis planiſſimè pleniſſiméque doctrina ſalutis hauriatur: ita mutatio varia punctorum creabit aliquando moleſtiam, crucem figet aliquando Lectori: ſed & diligentiam ejus acuet interdum, & induſtriam exercebit, & in ſummâ fortè, non minùs proderit quàm nocebit. Nec ſumus ita difficiles, ut non ultro largiamur, ſi mutandi puncta pro libitu copia fiat alicui veritatis Adverſario, contingere poſſe, ut ex paucis nonnullis fortè locis, quibus nova puncta pro arbitrio appinget, denique nonnihil excudat, quod errori patrocinari ſuo videatur: demus aliquid amplius. Non equidem dubito, quin ſi præſtantes Viri, qui ſententiam Eliæ Levitæ ſequuntur, & libertatem puncta mutandi ſibi jure quodam ſuo vendicant, ſed, quæ pietas eorum eſt, eam non niſi reſtituendis iis quæ luxata, conciliandis quæ contraria, explanandis quæ duriora viden-

Digitized by Google

videntur, uſurpant; ſibi pariter id negotii datum crederent, (hoc autem Deus avertat!) ut hac licentiâ Veritatis rationes conturbarent, ac ſplendorem labefacerent; non inquam dubito quin abutentes eâ quâ pollent eruditione, in perniciem ſuam, nobis multùm negotii faceſſerent, & Eccleſiæ non leves turbas darent. Quid tùm poſtea? faceſſunt negotium, turbas dant & alii; ſic pugnat, & luctatur Eccleſia: ſic Deo viſum eam exercere: At connitantur licet non homines tantùm ſed Dæmones, non prævalebunt adverſus eam portæ inferorum, nedum ſtrophæ Sophiſtarum, aut mutatio punctorum. Ac, ut in partibus nonnullis *intercurrentium quæſtionum*, ſicut veteres loquuntur, difficultates oriantur inexplicabiles, tamen ad ſummam fidei & ſalutaris doctrinæ quod ſpectat, fundamentum Dei firmum ſtat; ita providente Deo, ut nunquam in mundo deficiant hæreſes & ſcandala, nunquam Veritas & Fides in Eccleſiâ. Certè abſque ulla mutatione punctorum, quædam inſunt in Scripturâ & obſcura ſatis & ancipitia, ſed & ἄλυτα, & ἄδυτα nonnulla quæ mirari præſtat fortaſſe quàm rimari, & quæ *ſolvet Elias*: nonnulla item inſunt quæ favere videntur immani Tranſſubſtantiationis errori, & Iuſtificationi per opera, ſi litteræ modò cortici adhæreſcas: At nos ex planis locis & perſpicuis verum & ſpiritualem haurimus intellectum: ita ſi quis turbo puncta mutando fidem alicubi convellet, erunt alia, præſertim Euangelii, loca quæ mutationem ejuſmodi non admittent, ex quibus erudita fidelis anima, olfaciet fucum & toxica declinabit. Hæc ideò fuſiùs paulò perſequimur, quod vellemus quidem nos & optandum foret omninò divinum Codicem alio haberi loco quàm Homerum & nullos Ariſtarchos admittere; cum præſertim certò ſciamus, à quibus nobis traditus eſt, eos nunquam dormitaſſe. Attamen quia hæc temporum noſtrorum ratio eſt, ut Critici vix, ne vix quidem abſtineant manum ab hoc cœleſtis Sapientiæ ſacrario, maximè cùm hæc jam perſuaſio ferè invaluerit, non eſſe puncta cœlitùs data, ſed à Maſſoretis reperta, bonum factum putavimus fore, ſi nullam hinc perniciem imminere Veritati cœleſti demonſtraremus, quæ premi poteſt, non poteſt opprimi: Nec ſita enim eſt in apicibus & punctis, ſed in ſpiritu & rebus ipſis, οὐκ ἐν λόγῳ, ἀλλ' ἐν δυνάμει. Hactenus quidem duo maximi Magiſtri deſudant in hac palæſtrâ, quorum alter Arcani punctationis Autor, cui nos multum profitemur debere, limatiſſimo Vir judicio, & undecunque doctiſſimus, huic Arcano veluti fundamento Criticam ſacram inſtruere molitur, opus quantivis pretii, ſed à multis zelo Dei flagrantibus etiam hìc Genevæ reformidatum, quia exorituros augurantur aliquos, quibus oves Chriſti, quàm huic Duci gregis optimo, minori curæ futuræ ſunt, & qui gladium quem ille feliciter vaginâ eripit adverſus hoſtes, arreptum ex ejus manu matris Eccleſiæ tranſadigant coſtas: itaque mallent in vaginâ latuiſſe conditum, nequis fortè dicat aliquando; Non meus eſt hic gladius, *Non, verum Ægonis, nuper mihi tradidit Ægon.* Liceat enim nobis ita nomen, quod ex animo colimus, alludere. Alter non Baſileæ modò ſuæ, ſed Helvetiæ totius, totiuſque

Orientis magnum decus ac lumen, Vir demerendo publico natus ex adverſo refragatur, & piis benè multis gratum facturus, adverſus Arcanum illud, quod inexpugnabile creditur à ſummis Viris, ne de nobis jam loquamur, copias parat: *Si Pergama dextrâ Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent*: hoc enim ad ejus laudem, tametſi cauſam non vicerit, perpetuò ſufficiet, quod pro virili tutandæ omnimodæ integritati fontium atque Canonis pugnaverit, adeóque ſollicitè, ut ultrà quam citrà ſtare maluerit. Quod intereà ſic nolimus accipi, quaſi Pergama noſtra corruitura cum punctis eſſent ac Sionis mœnia, quandoquidem in eo demonſtrando ſumus, non ſi puncta ſunt ab humano profecta ingenio, continuò Veritatem neceſſariam, & Fidei regulam nobis à ſanctis traditam in magno diſcrimine verſari. Tantùm hoc volumus nec illius nec hujus propoſitum exagitari aut ſiniſteriùs accipi debere, ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Nolumus autem huic nos immiſcere certamini: Nec noſtrum inter eos tantas componere lites: eóque magis decet nos ταλαντεύεσθαι τὴν γνώμην, & ſuſtinere aſſenſum, quòd nondum ea prodierũt, ex quibus cauſſâ utrinque dictâ certius judicium fieri poterit: Noſtram interea tamẽ ſententiam, ſi quis eorum qui nobis dant operam, quos nec celare quicquam poſſumus nec debemus, exquirat, verbo reſpondebimus. Utrinque conſtringimur, ut cum Paulo dicam. Tutius id non arbitramur, quod arbitramur verius; certè prout rem natam videmus, & quantum ſpirari licet ex iis quæ producta ſunt hactenus. Nihil enim adhuc diſtrictè pronuntiandum exiſtimamus. At nos ea tamen ratio conſolatur, quam præſtruximus; non promiſiſſe Deum Eccleſiæ, ita res ejus in tuto fore, ut nihil immineat periculi, ſed hoc tantùm, fore ut ſalva ex omnibus periculis emergat: potuiſſet enim autographa Moſis & Eſdræ conſervare, quæ magno fuiſſent nobis adjumento. Perire tamen ea paſſus eſt, qui non paſſus eſt propterea Veritatem ſuam peſſum ire: multiſque ſimilibus præſidiis non ἀπλῶς neceſſariis Eccleſiam ſuam deſtitutam voluit, ne mediis ejuſmodi ac inſtrumentis freta, cœleſte auxilium remiſſiùs imploraret. Sua qui fidei noſtræ conſtituit præmia, idem luctam præſcripſit & certamina, quæ nulla cernenda nobis eſſent, ſi plana eſſent & aperta & in promptu omnia, ut erunt in cœleſti gloriâ. Erigamus igitur nos, & induſtriam pro ſe quiſque noſtram exerceamus, ne minori ſtudio propugnetur à nobis Veritas, quàm oppugnabitur ab aliis: quandoquidem ſi liceat iis mutare puncta, quibus loca quædam depraventur, licebit & nobis puncta pariter mutare, quibus varia loca reſtituantur, explanentur, vindicentur. Excitabit igitur Deus, ut ſemper excitavit, Scripturæ vindices, quorum diligentia, zelus, fides, induſtria, facile ſupplebunt illud quicquid eſt difficultatis, quod ex varietate punctorum naſcitur. Quippe ſua eſt hæc Scripturarum veluti quædam ſors, ut contra naturam ſuam ignem non modò bellorum ſed etiam controverſiarum accendant, quamvis puncta ſtata non mobilia ponantur: Quot enim, antequam hæc de punctis orta lis eſſet, bella exarſerunt, quot

Digitized by Google

quot flagrarunt controverſiæ? Quòd ſi puncta non fixa ſed erratica more Planetarum ſtatuantur, hinc ad controverſias hoc eſt ad δοκιμασίας, & exercitamenta fidei noſtræ, aliqua fiet acceſſio: quæ tamen acceſſio, quemadmodum cætera, tandem ſuperabitur. Vellemus equidem hac in apicibus conſectandis moleſtiâ Eccleſiam carere, quia controverſiarum abundè eſt: neque vanam eorum omninò formidinem putamus, qui ſubtiment, ne quid hinc infirmorum præſertim ædificatio detrimenti capiat. Sciolorum enim plena omnia & maleferiatorum, qui prætexum quærunt & ſe nactos exiſtimabant plauſibilem, ut omnia dubitabilia efficiant more Scepticorum. Quorum tametſi læva ſit mens, & hallucinatio manifeſta, turbabit tamen, & erit ſcandalo, præcipuè cùm maximos, & qui cum paucis regnum in litteris Orientalibus tenent Viros narrabunt in eâ ſententiâ eſſe; ſiquidem varia & mutabilia ſemper puncta ſtatuantur, ilicet actum eſſe de firmitudine atque integritate Canonis. Quod profecto dictum ab iis nollem, qui canam punctorum antiquitatem tuentur. Non enim quid ſit opportunius & rebus noſtris conducibilius quæritur: quæritur utrum ſit verius, An Eſdram divino inſtinctu puncta, cùm reliqua traderet, etiam tradidiſſe? An verò puncta non alios repertores ac monſtratores habuiſſe quàm Maſſoretas? Hoc ſi verum eſt, fruſtra de cōmoditate diſputatur. nunquam enim veritas incommoda videri debet: ſi minùs verum; jam quia falſum eſt, non quia incommodum, rejici merebatur. Interea ſcandali non levis datur occaſio, dum ſic apud infirmos & pullatum plerunque circulum nonnulli blaterant: Vir ille tantus in his litteris pronuntiat, ſiquidem puncta pro libitu mutentur nihil fore certi ac rati, verſatilia omnia & arbitraria in codice ſacro: At alter Vir & ipſe tantus rationibus, ut ſanè videntur, neceſſariis addixit puncta humanæ opus eſſe induſtriæ, ac nihil impedire quin ubi neceſſitas exîgit, vel ratio poſtulat, immutentur. Idcirco, inquiunt, res tota fluctuat. Quibus nos ita obviam imus, ut ſuppoſitâ punctorum novitate ac mutandi libertate ſequi negemus confuſa omnia & perturbata fore, idque multis de cauſſis. Ac prima quidem illa eſto, quam jam tetigimus; quòd cautum ſit Dei Providentiâ, ne poſſit obrepere ulla pernicies in rebus neceſſariis ad ſalutem non certè magis ex variè punctatis quàm ex obſcuris & ambiguis locis. Altera, quòd pauci tàm eruditione abundant & otio, ut ad iſtam punctorum operoſam ſanè permutationem, ſi præſertim eo inſtituatur animo ut pravum aliquod invehatur dogma vel fulciatur, ærumnoſam ætatem conterendo velut ad Sirenum ſcopulos adhæreſcant: eòque maximè, quòd alii non defuturi ſint, qui contrariâ molitione punctis aliis additis eorum conſilia diſturbent. Poſtrema noſtra ratio eſt, quòd qui varietate punctorum abuti contra Veritatem inſtituent, ii vel Iudæi erunt, vel erunt Chriſtiani. Si Iudæos dixeris, næ parùm illos verpos intelligis. Nunquam id audebunt. Non eſt enim pro moribus eorum & inſano quo perditè flagrant in Codicem ſuum amore cujus puncta, ut ſunt à Maſſoretis ficta & picta, æquè atque conſonas deveneran-tur, & abhorrent quicquid vel tantillum diſcrepat.

diſcrepat. Judæi tamen id omnium facillimè attentare poſſent, non levibus in eam rem inſtructi præſidiis. At aliam iis Deus mentem indidit, ut nobis petentibus Meſſiæ ſcholam codicem ſuum, imò noſtrum fideliter portarent. Si Chriſtianos adduxeris, ea primò quæ vigent inter ipſos partium ſtudia non patientur, ut hîc quiſquam intemperanter & impunè laſciviat, & cùm Orthodoxi eâ potiſſimùm laude cenſeantur, quòd Hebræas litteras fideliter ac feliciter colant præ cæteris, annon id operam dabunt, nequis fontes illos turbatum veniat, quibus ipſi, pro eo ac debent, multò plus tribuunt quàm Verſioni cuilibet ex iis derivatæ? Deinde ab omnibus Chriſtianis Euangelium cùm à Deo cœlitùs datum agnoſcatur, non minùs certè quàm Vetus inſtrumentum; ſi quis ad Vetus vitiandum aggredietur, facilè refelli poterit ex Novo; cujus & liquidiſſima lux eſt, & puritas intaminata; certè nulli punctorum aut Vocalium permutationi obnoxia, cùm id non ferat Græcæ ratio linguæ, niſi fortè quòad ſpiritus & accentus, quod eſt leviſſimum; Quæ videri poſſet igitur noxæ aliquid allatura punctorum variatio, ſi ſolum eſſet ac unicum Vetus inſtrumentum, ea profectò nihil pertimeſcenda eſt Chriſtianis utriuſque Teſtamenti gemina ſugentibus ubera, qui facile poſſunt Veteri ex Novo facem accendere ac allucere. Cùm ergo Iudæi, qui maximè poſſent, nolint & horreant pro ſuâ ſuperſtitione: Chriſtiani verò quamvis id vellent maximè, nequeant punctorum varietate licentiùs abuti propter Euangelium ſuum, quid ſupereſt quàm ut ſtatuamus etiamſi legitima licitaque probetur eſſe puncta mutandi libertas, non tamen hinc deceſſurum quicquam Integritati Canonis, aut puritati fontium, certè iis in rebus quæ ad fidem ac ſalutem alicujus momenti ſunt: nam in cæteris jam conceſſimus, prout ejus erit animus qui eâ libertate utetur, fore ut quæ ſollicitabuntur loca vel in deterius luxentur ac detorqueantur, vel illuſtrentur & reſtituantur in melius. At verò aliud eſt fontes inficere veneno, aliud longè lignum, fœnum, aut ſtipulam in tubos & canales injicere; aliud in hiſtoriâ & Chronologiâ turbare, aliud longè fidem ac dogmata pervertere.

Sunto igitur, per nos licet, intereà dum aliqua fortè lux major è cœlo liquitur, ut cum Veteribus loquar; ſunto graviſſimæ rationes illæ quibus puncta Maſſeretis vendicantur autoribus, &, quod inde conſequitur, mobilia & mutabilia efficiuntur. Fatendum enim eſt ingenue non videre nos quid ad eas reſponderi poſſit, nec modò nos, ſed ne præcellentiſſimos quidem ex Amicis noſtris Viros; quò major illius Atlantis Helvetii gloria futura eſt, ac adorea ſempiternâ laude digniſſima, ſi cauſſam ruentem ac inclinatam ſuſtentârit. Quippe ut rem contrahamus in pauca, videntur hæ contra punctorum antiquitatem firmiſſimæ rationes I. *Hieronymi ſilentium*, cui accedunt & alii Patres Græci Latinique apud quos punctorum ne mentio quidem ulla occurrit, ſed Hieronymum iccirco dicimus, quod hîc prope unicus Hebræorum exemplaria nocturnâ diurnâque manu verſarit; neque ſumptibus pepercerit, ut ex Barrabâ & Barchaninâ Hebræam linguam perdiſceret. Cùm autem punctis inſi-

Digitized by Google

inſignitus codex magnâ eum laboris parte ſublevaſſet, mirum non tam cur non habuerit, quàm cur non deſiderarit, ac certe votis expetierit. Profectò qui ſumptibus non pepercit, ut Hebræam linguam perdiſceret, magno mercatus eſſet punctatum Codicem: ac ex Barnaba, vel Barchanina, vel ex alio quodam præceptorum ſuorum impetraſſet, ac unde unde extricaſſet, opinor. II. *Silentium Talmudis.* Quippe in ejus libris puncta ne nominantur quidem: cujus rei tamen in opere tàm vaſto variæ occaſiones procul dubio ſe dedére. Suppetit exemplum commemorabile, ubi narrant Talmudici Ioabum poſtquam excîdiſſet omnes mares Idumæorum veniſſe in conſpectum Davidis, qui Ioabo dixit; *Cur ita feciſti?* Reſpondit autem Ioabus: *Propterea quia ſcriptum eſt: Delebis* זָכָר *maſculum* Deut. xxv. 19. Dixit autem David: *ſed ecce nos legimus* זֵכֶר *memoriam*: Regeſſit autem Ioabus: *Docuerunt me legere* זָכָר *maſculum.* Ivitque ad præceptorem ſuum & rogavit. *Quomodo me docuiſti legere.* Cùm autem reſpondiſſet præceptor זֵכֶר *memoriam* Ioabus ipſum propria manu interfecit. Hinc duplex argumentum exiſtit: Ac prius quidem quod ſi punctatum fuiſſet זכר per Camets, non fuiſſet proclive ſic hallucinari, ac legere זכר per Segol: Poſterius quod in hac narrandâ fabulâ non omiſiſſent Talmudici vel adhibere vel nominare puncta: quod non fecerunt intereà, ubi maximè locus erat. III. *Liber Synagogæ*; volumenque Legis, quod aſſervatur in Synagogis etiam hodiernis intra conditorium ſanctius, & non ſine horrore ac pompâ ritu ſacro exhibetur adorandum oſculo: in hoc autem puncta deſiderantur: qui tamen liber Sacratiſſimum adumbrat Legis volumen, quod à Moſe conſcriptum in Arcâ Fœderis Dei juſſu repoſitum fuerat: huic autem libro potiſſimum videntur appingi debuiſſe puncta, ut cæterorum eſſet *κανὼν* & norma: quippe ſive à Moſe ſive ab Eſdra puncta fluxerint, divino afflatu tradita cum fuerint, non videtur in illo exemplari ſanctiori pars illa divinæ ac *θεόπνευστα* Scripturæ omitti debuiſſe. IV. *Verſio* τ῀ LXX quam dubium non eſt factam eſſe abſque punctis diſtincto Codice: cùm in benè multis ac propemodum infinitis locis ab Hebræo diſſentiat: Cujus rei non alia ratio in promptu eſt, quàm quòd aliter LXX punxerint. At ſi tunc temporis extitiſſent, quamvis rari, pũctati codices, an credibile eſt Ptolomæum Regem, cujus accitu ſcribebant, vel non operam daturum fuiſſe, ut punctatum exemplar ſibi compararet, imò illis, quo in Verſione ſuâ magno ſuo commodo uterentur? vel comparare non potuiſſe, licet nec operæ pepercisset nec ſumptibus? vel rem adeò notabilem nimirum non ita longas huic Regi fuiſſe manus, ut punctatũ codicem vel prece vel pretio redimeret, Scriptores hiſtoriarum omnes conticuiſſe? Adde Græcos alios interpretes, Chaldæos Paraphraſtas quos pariter conſtat non uſos eſſe punctato codice, cum ſubinde diſſentiant ab Hebræa origine. V. קרי וכתיב *Maſſoretarum*, quorum interdum ita eſt anomala punctatio ut neque poſſit Moſi nec Eſdræ attribui: Nam quid opus erat illis divinitùs perdoctis viris hac uti ſcrupuloſitate, ut Variantes margini adſcriberent, quaſi

non potuiſſem ſuppreſſâ omni varietate quod minùs probabant expungere, quod magis placebat in textu collocare, pro eâ quâ pollebant ἐξȣσίᾳ. Cur autem non potius adſcripſiſſent puncta voci quæ in margine legitur quàm illi quæ in textu collocata eſt, quæque, ut quæ maximè, abhorret à tali punctatione? Cur non ſuperfluas, quia bis ſcriptæ ſunt, exegiſſent? Cur non deficientes, quæ deſiderantur ac neceſſariæ ſunt, addidiſſent? Quod intereà videtur nobis eſſe haud paulò clarius reſpectu vocum reticendarum, quia obſcœnæ ſunt: ut 2 Reg. XVII. 28. & Eſa. XXXVI. 12. & alibi non rarò. Cùm enim non modo lectio & prolatio ſed conſpectus etiam & cogitatio rei obſcœnæ in ſacris vel maximè vitari debeat, cauſa dici non poteſt cur aut Moſes aut Eſdras caviſſent quidem ne legeretur ac proferretur ejuſmodi obſcœna vox, quam intereà in textu honoratiore loco reliquiſſent, ut eâ Lector oculos animumque paſceret. Omninò extruſiſſent eam & ſubmoviſſent, alia in ejus vicem ſuffectâ, ne quid minùs honeſtum Lector aut uſurparet oculis aut animo informaret. VI. *Uſus linguarum aliarum:* Nec enim apud Arabas, nec apud Syros, nec apud Turcas, nec apud Perſas vulgo atque communiter vocales adhibentur, aut hinc aliquod illi grave detrimentum patiuntur. Samaritani olim nullis utebantur punctis, quod ex nummis antiquis palàm eſt, & ſpecimine Ioſephi Scaligeri lib. de Emend. Temp. Arabes tres duntaxat vocales habent, nec iis utuntur perpetuò, ſed in magni momenti rebus. Adde quòd Hebræa lingua tùm ex litteris radicalibus tum ex אהוי litteris interſparſis tùm quod in eâ nulla vocalis ſolitaria ſyllabam reddat ut in cæteris, facilè potuit hanc punctorum abſentiam ſolari: hodiéque ſine punctis Rabbini quàm facillimè à peritis leguntur. Rationes hic Grammaticas brevitatis cauſſâ prętermittimus. VII. *Auctoritas Judæorum & Chriſtianorum*, veterum & recentiorum. E Iudæis Elias Levita ille ſuperiori ſeculo celeberrimus Grammaticus præfatione tertiâ lib. I. Maſſoreth. Hammaſoreth, cujus manuſcripti copiam nobis fecit Vir longè doctiſſimus David Clericus, hanc ſententiam defendit: ſed & Abeneſram & alios gentis ſuæ ſecum facere contendit: quorum non eſt iccirco auctoritas in hoc negotio flocci facienda, quod Legi ſuæ, cui tamen tanto cum zelo ſemper ſtuduerunt, longè videretur honorificentius à Deo emanaſſe, tùm quòad conſonas, tùm quòad vocales; Cur hujus glorię partem veluti delibatam Criticis Maſſoretis donarent? Atque hinc opinor factum eſt, quod cæteri Iudæi, quamvis Maſſoretis ſuis plurimum tribuant, non tamen eos principes reperiſſe puncta, ſed ordinaſſe, ornaſſe, diſtinxiſſe Scripturam exiſtiment. E Chriſtianis præter Patres, de quibus anteà, mutarunt & mutari poſſe puncta cenſuérunt, Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Fagius, Mercerus, Scaliger, Caſaubonus, Druſius, Erpenius, & qui ſunt adhuc in vivis Salmaſius, Grotius, Heinſius. E Pontificiis Bellarminus, Maſius, Genebrardus & plerique alii adſtipulantur Arcani punctationis Auctori; nec dubitem, quin ejus cauſa vicerit, ſi res Doctorum ſuffragiis & auctoritate tranſigatur. Sed τὸ σὺ κρατείτω. Sola ratione frãgi nos decet.

Quid

Digitized by Google

Quid igitur ad haſce rationes repoſiturus ſit pro Patre maximo minimè degener Filius expectandum: Non enim dubitamus quin multa reſponderi poſſint: ac ne nobis quidem videntur omnes æqualis momenti. Conſultiſſimum intereà putavimus fore, cùm præſertim rationes illæ totius propemodum eruditorum caveæ meruerint applauſum, ſi propterea nihil integritati *debitæ ineſſe* Canoni Sacro derogari doceremus: Nam ſive altera vicerit ſententia, in tuto & ſolido Veritas locabitur; ſive iſta pervincat, res erit in vado; ſiquidem quavis adhibitâ mutatione punctorum, non patitur Dei Providentia, non fert ipſius rei natura, non permittit Orthodoxorum vigilantia & eruditio, neque verò hinc Iudæorum ſuperſtitio, inde lux Euangelii & aperta Veritatis revelatio, ut vel grave Canoni ſacro vulnus inferatur, vel fundamenta ſalutaris doctrinæ convellantur. Quod ſatis eſt ad inſtitutum noſtrum: nec enim nos ii ſumus, qui Canoni ſacro eam vendicatum eamus integritatem, quæ difficultates penitus omnes tollat, ſcrupulos omnes amoliatur, & controverſias finiat: hæc Regni cœlorum erit felicitas.

QVÆSTIO IV.

An in Hebræo vel Græco Codice dentur exempla corruptelæ alicujus ex quâ doctrina ſalutis detrimentum inſigne patiatur?

VIdentur dari tùm in Hebræo Codice Veteris, tùm in Græco Novi Teſtamenti. *Primò* in Veteri Teſtamento.

I. Propter תקון סופרים *Tikkun Sophrim*, hoc eſt, *correctionem Scribarum*, quæ cùm ab ipſis Iudæis admittatur, non videtur nimium aſpernanda: Cur autem correxiſſent illi Scripturam aut cur eorum correctio tantum autoritatis apud Iudæos obtinuiſſet, niſi magna fuiſſet ratio cur corrigerent? Adde quòd nonnulli volunt fuiſſe depravationes & corruptiones, non emendationes & correctiones quod cenſuit Galatinus. Hanc autem Cenſuram egerunt Scribæ in XVIII Scripturæ locis Maſorâ paſſim notante; in quorum pleriſque Verſio Vulgata ſequuta eſt Tikkun Sophrim.

II. Propter עטור סופרים *ablationem Scribarum*: Nam ſi non tantùm corrigere quædam ſed & auferre auſi ſunt, palàm eſt fuiſſe ab ipſis violatam integritatem ſacri Codicis. Atqui fit mentio hujus ablationis Scribarum & in Maſorâ dicente ה מילין עטור ספרים *quinque voces ſunt ablatio Scribarum*, & apud Talmudicos. Ergo fatentibus ipſis Iudæis & mutatio contigit & ablatio, quæ ſanè ab iis admiſſa non fuiſſet ſine gravi ratione.

III. Gen. XLIX. 10. de Schilo; celeberrimum, habetur oraculum de Meſſiâ, ubi tamen pro שִׁילֹה nonnulli contendunt lectum olim שִׁלֹחַ vel potiùs שָׁלוּחַ *miſſus*, id eſt mittendus, quod apprimè conveniebat in Meſſiam: & ita videtur vulgata convertiſſe, donec veniat, *qui mittendus eſt*. Hic igitur locus nobiliſſimus adulteratus cùm fuerit, cauſa dici nulla poteſt, cur non veritas hinc læſa, & quidem vehementer, exiſtimari debeat.

IV. Videtur à Iudæis omninò corruptus locus Pſal. XXII. ubi Iudæi legunt

hodie כָּאֲרִי *ſicut leo*, non autem ſicut nos כָּארוּ *foderunt*. Nobiliſſimum eſt oraculum ac diſertiſſimum de Chriſti crucifixione, quod ideò Iudæis non potuit non ægrè facere; itaque putidè ſubſtituerunt, quod vel nullum ſenſum vel dilutum planè fundit. Sanè doctiſſimi Chriſtianorum & è noſtris & è Pontificiis hunc certè locum à Iudæis adulteratum agnoverunt.

V. Locus eſt inſignis Eſa. LIII. 8. מִפֶּשַׁע עַמִּי נֶגַע לָמוֹ *propter ſcelus populi mei percuſſi eos*, ubi למו videtur omninò poſitum pro לו *eos* pro *eum* quemadmodum habent Interpretes Græci, & Paraphraſtes Chaldæus; & ſenſus Orthodoxus exigit, ut de Meſſiâ ſingulariter locus accipiatur.

VI. Loca nonnulla ſunt, quæ videntur Contradictoria ponere; quod nemo non videt magni eſſe momenti à Scripturâ ſacrâ depellere. Alia ſunt, quæ manifeſtâ falſitate laborant, unde ſatis patet corrupta eſſe ac emendationis indigére. Quare non parùm Veritas cœleſtis labefactatur: ut cùm particula negativa לא vel redundat vel deficit, quod ſæpiculè contingit.

VII. Loca multa ſunt, quibus non poteſt ſua conſtare veritas niſi aliter pungantur: nam quæ ſolent adhiberi puncta vel non idoneum ſenſum reddunt vel minùs verum: Nec tantum in vocalibus ſed etiam in conſonis manifeſta labes & mutationis neceſſitas occurrit.

VIII. Nec tantùm in litteris ſed etiam in vocibus ac verſibus integris deprehenditur labes facta ſacro Codici: ut 1 Paralip. VI. hi duo verſus, 78. & 79. leguntur hodiè ſed adjecti; nam certiſſimum eſt eos aliquando in Hebræo textu, & quidem in antiquiſſimis exemplaribus non comparuiſſe: quod ipſa diſertè Maſora teſtatur. Sit autem jactura levis unius apicis, aut litteræ, aut vocis; duorum certè commatum integrorum levis exiſtimari non debuit: nec alia ejuſdem rei exempla deſunt, præſertim Pſalmorum libro.

IX. Cùm & alii & accuratiſſimè R.V. Ludovicus Cappellus in Criticâ ſacrâ, opere inedito ſed eruditiſſimo, cujus manuſcripti non ita pridem facta eſt nobis copia juſſu Auctoris, cùm eſſet hùc allatum publicandi gratiâ; magno numero Varias Lectiones, mutationes, correctiones neceſſarias, quibus putant opus eſſe in difficilibus locis explanandis & obſcurioribus illuſtrandis, & inexplicabilibus explicandis annotarint, non eſt veriſimile in tanta ſegete nihil occurrere nonnullius momenti: Alterutrum enim conſequitur, vel ſcatere mendis oppidò multis Volumen ſacrum ſi non emendetur ex eorum ſententiâ; vel ſcatuiſſe olim & hactenus tametſi eorum obtineat emendatio & Cenſura.

Secundò in Novo Teſtamento.

I. Luc. III. 36. τοῦ Καϊνὰν, τοῦ Ἀρφαξάδ. Sale dicitur filius Cainan, Cainan filius Arphaxad. At Gen. II. 12. וארפכשד חי חמש ושלשים שנה ויולד את שלח *Arphaxad autem cùm vixiſſet triginta quinque annos genuit Sale.* Hîc Arphaxad dicitur genuiſſe Sale immediatè, non ergo genuit Cainan, quod ait Lucas. Nec minùs diſcrepant *οἱ* LXX Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν καὶ τριάκοντα πέντε ἔτη καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνάν. Unde alterutrum conſequi videtur, aut ſupervaca-

Digitized by Google

vacaneum eſſe Kaïnan in Euangelio Lucæ, aut deficere apud Moſem libro Geneſeos; itaque vel hinc ſubmovendum, vel illic eſſe reponendum. Agitur autem Chriſti Genealogia, res ſanctiſſima, quæ cùm aliis magnis difficultatibus impedita ſit, non leve detrimentum hinc videtur capere Chriſtiana Veritas.

II. Σφάλματα μνημονικὰ, quæ cùm videantur indigna Spiritu ſancto, in Scripturam Sacram cadere non oportuit. Sed occurrunt varia; Ieremiæ tribuuntur nominatim Matth. XXVII. 9. quæ ſunt Zachariæ verba XI. 12. Qui Zacharias filius Iehojadæ traditur 2 Paralip. XXIV. 20. idem filius Barachiæ dicitur, & quidem ab ipſo Chriſto Matth. XXIII. 35. Quæ ſeptuaginta numerantur animæ Geneſ. XLIV. 27. ſeptuaginta quinque referuntur Act. VII. 14. Quem agrum Moſes emptum à Iacobo ſcribit non ab Abrahamo Gen. XXXIII. 19. nec non Ioſue diſertè XXIV. 32. eum agrum emptum ab Abrahamo non à Iacobo dicunt Stephanus & Lucas Act. VII. 16. & alia ejuſmodi. Unde Scriptura Scripturæ, Novum Veteri Teſtamentum Teſtamento repugnare videtur.

III. Demenda quædam addita; ſed & addita multa demenda in Fœdere novo reperias, quæ non mediocriter Fidei nocere non immeritò videantur. Prioris generis exempla ſunto; Marc. III. 32. verba hæc, ἐδὲ ὁ ὑιὸς, ab Arianis addita magni ſunt auctores, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, nec apud Matthæum, quem redegit Marcus in compendium, comparent. Luc. XXII. 20. hæc verba: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐγχυνόμενον, in ipſa Inſtitutione ſacri Euchariſtici, actu religioſiſſimo, irrepſiſſe videntur, Bezâ judice, in textum ex orâ; videnturque ſolæcum in textu parere: parùm enim aptè cohærent cum iis quæ immediatè præceſſere. Matth. VI. 13. Doxologia in Oratione Dominicâ, nec à Patribus Latinis agnoſcitur, nec à Codice Pariſienſi exhibetur, nec apud ipſum Lucam reperitur cap. XI. 4. quod tamen eâ in Oratione prætermittendum fuiſſe non videtur, quæ norma noſtrarum eſſe debuit. Vel ergo fuerit iſthæc clauſula ex Matthæo apud Lucam repetenda, vel apud Matthæum juxta Lucam expungenda. *Poſterioris* exempla ſunt; πέραν τῦ χειμάῤῥυ τ͂ κέδρων Ioh. XVIII. 1. Ubi articulus τῦ videtur excidiſſe ac omninò reſtituendus; vox autem quæ ſuppoſita eſt in ejus vicem, nempe τ͂ inducenda. Tum quædam ἐναντιοφανῆ, ut Matth. X. 10. μήτε ῥάβδον, unde videtur excidiſſe ac reponenda vox εἰ μὴ quæ Marc. VI. 8. extat, ut Matthæo cum Marco benè conveniat. Sic Marc. XV. 25. quæ dicitur hora tertia, Ioh. XIX. 14. ſexta eſſe deprehenditur; & quæ ſunt his ſimilia. Sic Ioh. VII. 39. ὄπω ἦν τὸ πνεῦμα ἅγιον excidiſſe videtur, vel ἐπ' αὐτὺς quod in quibuſdam legitur exemplaribus, vel δεδομένον, quod & à Syro additur. Nam duriuſculum quis eſſe non videat illud? *Spiritus ſanctus nondum erat.* Sic Luc. I. 35. διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σῦ ἅγιον, legebatur in vetuſtiſſimis codicibus: poſteà eraſæ ſunt ab Eutychetis aſſeclis, quibus nimiopere adverſabantur, hæ duæ voces, ἐκ σῦ, quæ reſtituendæ non

 immé-

immeritò videantur, cum & apud Patres, & apud Syrum atque Arabem interpretes legantur. Accedit 1 Iohan. v. 7. de Trinitate, varia Lectio, quæ videtur argumentum hinc ductum vehementer infirmare. Ac demùm 1 Corinth. xv. 51. de myſterio tranſmutationis. Tales igitur variationes atque corruptelæ cùm non cernantur in parvi momenti locis, ſed in Euchariſtiæ inſtitutione, in Oratione Dominicâ, in myſteriis de Dono Spiritus, de conceptione Chriſti; de Trinitate, de reſurrectione, non leve detrimentum hinc videtur impendere Fidei noſtræ.

SED contrà Scriptum eſt. *Tranſibunt cœlum & terra, ſed verba mea non tranſibunt* Luc. xxi. 33. Nam quod de unâ parte Scripturæ verum eſt, quidni de omnibus, cùm ſit tota Verbum Dei?

STATUS QUÆSTIONIS eſt, Non utrum in levioribus aliqua contigerit depravatio, vel hallucinatio ſcribarum: conceſſimus enim ſuprà paſſum eſſe Deum nonnulla minuta & perexigui ferè momenti σφάλματα obrepere: quippe non aliter contingere potuit abſque perpetuo miraculo, in tantâ tot tamque diverſorum exſcriptorum varietate: non etiam quæritur an Iudæus unus aut alter odio Chriſtianorum percitus, aut hæreticus aliquis partium ſtudio abreptus aliquid pervertere attentarint; ſed id modò quæritur, an Iudæi cuncti malitioſè ita corruptum aliquem locum nobis tradiderint, ut hinc memorabile damnum Fides noſtra capiat; vel utrum hæretici aliquid impunè adulterârint, quod Orthodoxi non deprehenderint, & quod adhuc in noſtris hærens Codicibus Chriſtianæ pietati vehementer noceat? Nos inficiamur: Muhammedani affirmant nec mirum; ſed mirum id pariter affirmare Pontificios, qui Chriſtianum dogma profitentur: Lindanum, Canum, Salmeronem, & noviſſimè Morinum in Exercitationibus ſuis Eccleſiaſticis.

RESPONDEO QUÆSTIONI; ut ſemper, hìc pariter extrema declinanda eſſe: hinc Iudæorum ſuperſtitionem anxiam & moroſam; inde Pontificiorum audax & protervum de Scripturâ judicium: Abſit enim cum Iudæis exiſtimemus nullum eſſe oblatum Scripturæ vitium, ne in minimis quidem, aut ut ejus integritatem in elementis atque cortice Codicis & litterâ conſtituamus, quam ſitam eſſe novimus in rerum atque dogmatum intaminatâ ſinceritate: At neque currentes in contraria Pontificios æmulamur, qui corruptas à Iudæis eſſe Scripturas, & ab hæreticis adulteratas eâ mente clamant, ut nos quantumvis reluctantes ad Eccleſiæ tribunal velut obtorto collo rapiant; quaſi nunquam Eccleſiæ corrupta fuiſſent ſuffragia, nunquam conſtuprata judicia. Quô nos vertemus igitur? ſi Scriptura ſcatet erroribus: & erroribus obnoxia eſt & erit ſemper Eccleſia? Præſtaret omnino Scripturam licet erroribus ſcatentem adire ac audire, quia vacat affectibus. Non ſtudio partium cœcatur, non ambitione ducitur, non affectat imperium. Integerrima certè hactenus eſt, ut ab illis animi perturbationibus pura ſit & libera quæ corrumpere ſolent judicium. Eam igitur adhibeamus Eccleſiæ ſanandis erroribus. Nam ſi tantum ſibi

Digitized by Google

ſibi tribuit Eccleſia in Scripturam, ut ejus errores & vitia detegat & arguat; quidni certè tantundem, ſi nihil ſupra, ſibi Scriptura vendicabit in Eccleſiam? Cæterum pro feſtucis quæ notantur in Scriptura, trabes in Eccleſiâ eſſe dicimus. Feſtucæ autem illæ nihil impediunt quominus regula ſit Scriptura fidei & morum integerrima: Nam quod videtur obſtare hujus aut illius loci accuratæ intelligentiæ, ad ſummam rei parùm aut nihil pertinet. Non impediunt rotundam terræ figuram ipſi montes, quorum tanta interim videtur eſſe inæqualitas; multò minùs officient Integritati Scripturarum illæ quas notat Lyncea curioſitas in iis ſalebræ; An igitur, inquies, non aliter Dei providentia conſervando Codici ſuo invigilaverit, quàm cæteris voluminibus humano ſtudio conſcriptis, cùm & in hos & in illos pariter, & ſcribentium ſocordiâ, & injuriâ temporum varia menda irrepſerint? Minimè hoc dico. Alia longè aliorum eſt, alia ſacri voluminis ratio. Primò illa minùs antiqua ſunt, nec à tot ſeculis ad nos tradita; certè nulla ſunt, quæ cum Moſaïcis antiquitate certare valeant. Deinde nemo de iis ſupprimendis aut corrumpendis multùm laboravit, cùm ad ſacra Volumina de medio tollenda, & abolenda, ſin minùs, depravanda & corrumpenda tyranni & hæretici, homines ac Dæmones, potentiam, peritiam, vim, dolum fruſtrà conjunxerint. Denique nullum pertendo librum paulò antiquiorem ad ævum noſtrum perveniſſe, in quo non lacunæ, non mendæ longè plures atque graviores occurrant, quàm in ſacro Codice. Patres mitto: Polybium dico & Tacitum profanos ſcriptores, ſedubicunque ſuus litteris conſtat honos, magno ſemper in pretio habitos, habendoſque: quos intererat Romani nominis & eruditorum omnium quàm diligentiſſimè conſervari: nullius autem intererat aboleri: tamen ambo, licet præ Sacris oppidò recentes, licet nullam perſecutionem paſſi, proh! quàm fœdati, & magnâ ſui parte mutili nobis extant! Concludo igitur non ſine admirabili Dei Providentiâ factum eſſe quod antiquiſſimi Sacri Libri, nihil obſtante tot ſeculorum decurſu, pervictis molitionibus tyrannorum ferro flammaque furentium, eluſis fraudibus hæreticorum, nunc hunc, nunc illum locum temerare ſatagentium, longè longéque minores & pauciores culpas & vitia convexerint, quàm cæteri nec ejuſdem antiquitatis nec ſortis ejuſdem: quippe multò propiores artis Typographicæ reperto, multoque minùs violentiæ ac inſidiis obnoxii: atque adeò quod ab antiquitate ultimâ per tot rerum converſiones, per tot diſcrimina, & integra quoad partes, & pura quoad ſenſus ad nos Scriptura ſacra pervenit hactenus, ut nulla corruptela obſervari queat, ex quâ ſalutaris Veritas detrimentum aliquod memorabile patiatur, ingratiſſimi ſumus niſi præcipuum & inæſtimabile Dei faventis operi ſuo beneficium interpretamur.

RESPONDEO ad Argumenta. Ad PRIMUM: תיקון סופרים *Ordinationem* ſeu *diſpoſitionem Scribarum* valdè intricatum eſſe negotium. Correctio ſit an corruptio diſceptatur. Correctionem fuiſſe plerique ſtatuunt. Alioqui certè nomini ſuo malè reſponderet. Correctionem quippe ſonat, certè magis quàm corruptionem

vox

vox תִּקּוּן. At quia fieri poteſt ut nonnulli ſub correctionis obtentu corrumpant, quæ corrigere inſtituerunt, non deſunt qui corruptionem fuiſſe falſo nomine dictam Diſpoſitionem ſeu Emendationem illam contendunt, Galatinus, Lindanus alii. Sed inter has duas opiniones contrarias & extremas, apparet via media quædam, quam equidem lubens inſiſterem: non fuiſſe correctiones neceſſarias, at neque corruptiones ſacrilegas; Quid ergo? Elegantes lectiones aut annotationes curioſas magis quàm utiles, & ſuperfluas quidem; attamen haud improbas. Ut ita ſentiam, ſalvo doctiorum judicio, tres potiſſimum cauſæ faciunt. I. *Vis ac poteſtas nomenclaturæ Tikkun Sophrim*: Vox quippe תִּקּוּן propriè ornatum, ac diſpoſitionem; tùm *decorum* ſignificat, *τὸ πρέπον*. Hinc vocant Magiſtri תיקון העולם Ordinem ſeculi, quam *civilitatem* alii dicunt. Certe vox תקן unde noſtra deducitur duo potiſſimum ſignicat *confirmare*, vel concinnare, ערך. Quia igitur concinnæ ac bellæ fuerunt obſervationes, licet minùs neceſſariæ ac fructuoſæ, non ad fundamentum doctrinæ ſed ad ornamentum comparatæ, crediderim hoc dictas nomine. II. *Auctoritas Abeneſræ*, qui Num. cap. XI. 15. non opus fuiſſe ait תיקון כרפרים. Alludit ad id quod Maſora dicere ſolet in iſtis locis, in quibus *Tikkun Sophrim* occurrit, צָרִיךְ לוֹמַר *opus eſt dicere*: atque adeò in illo ipſo loco Num. XI. 15. ברעתך ה׳על. Quod cave intelligas de neceſſitate ſimplici & abſoluta: Reddi enim poteſt צריך *commodum* eſt. Non fuere igitur obſervationes hæ neceſſariæ ſed aptæ videbantur ac decoræ. III. *Utriuſque opinionis receptæ abſurditas*. Alii enim ſtatuunt fuiſſe neceſſarias correctiones; alii contra nefarias corruptiones: At neutrum fit veriſimile. Non prius: Nam quis niſi Eſdras & Viri ſynagogæ magnæ ſibi tantum arrogare potuit, ut ſacra Volumina corrigeret? Quis tantæ fuit auctoritatis ut emendationes ſuas obtrudere ſit auſus? quis tantæ felicitatis, ut adeò audax facinus ab univerſis comprobatum illicò viderit? ab univerſis inquam Judæis, qui grande nefas putarunt ſemper & morte piandum ſi quis vel unam litterulam de lege demutaret? Eſdras autem, ſiquidem auctor eſt, cùm omnia correxerit quæ correctione indigebant, cur hæc pauca loca diſpeſcuntur à cæteris? Deinde res ipſa clamat correctionem non fuiſſe iis in locis, de quibus agimus, neceſſariam: Non poſterius: Nam quis corrupit? An Iudæi, quos jam probavimus tàm perditè Codicem ſuum adamare? An Scribæ qui fuére Iudæorum Sapientes, ac religioni ſummo addicti ſtudio? Quorſum autem? An quia erant abſurda quædam, quæ apud Gentes nefas erat vel ſomniare, quod ait Galatinus? quaſi verò tanta fuerit Judæis cura Gentium, ſua ut oracula ſibi cœlitùs concredita depravarent, ut nationibus quas cane pejus & angue oderant, minùs ægrè facerent. An quia timebant, ne Scripturæ ab infidelibus irriderentur, ut idem adjicit? quaſi verò tantam pii homines infidelium rationem habuerint, ut propter eos, quod habuere pretioſiſſimum inquinare ſuſtinuerint; aut quaſi non multa ſint alia in Scripturis opportuniora ſannis profanorum & infidelium quibus תיקון Scribæ non adhibuére. An quia metus erat ne Iudæi ſimplices & idiotæ

Digitized by Google

idiotæ aliquod velut ex impia crudelitate ſcandalum caperent, ut idem Galatinus hariolatur? Atqui ſunt alia loca quæ majorem ſpeciem crudelitatis præ ſe ferunt, quæ tamen tali malagmate Scribæ non ſunt dignati. Deinde morbo pejus fuit remedium: Juſtius enim ſcandalum non modò acceptum ſed datum eſſet fidelibus provectioribus violando Scripturæ integritatem, quàm infirmioribus loca intacta illa relinquendo, quorum durities potuit Commentario vel deuterosi aliqua facilè mitigari. Cùm ergo neque correctio fuerit hæc, neque fuerit corruptio, quid ſupereſt quàm ut fuerit ὑπόνοια quædam, & ſubtilis, elegans, curioſa, neq; neceſſaria neq; nefaria ſpeculatio? Nempe ubiScribæ illi ſibi viſi ſunt animadvertere aliquid ἀνοικονόμητον, vel ἀνακόλουθον, quaſi ἁρμοσταὶ & κοσμηταὶ Scripturæ diſpoſuerunt eam, & ornarunt Conjecturis idoneis quibus ad planiorem ſenſum aptaretur, ſublatâ quæ videbatur ineſſe incõmoditate ac ſalebrâ. IV. ex Locorum conſideratione, quos, age, luſtremus, & verum eſſe, quod jam diximus, deprehendemus, nimirum non emendationes fuiſſe Cenſorias, ſed ſuaves Epanorthoſes; correctiones *Rhetoricè* non *Grammaticè* loquendo, atque adeò nihil aliud hæc omnia fuiſſe, quàm non injucundum εὕρημα, ſive probabilem divinationem, cujus *elegantiam hilaritas lectoris admittit*, ut verbis utar Auguſtini Epiſtolæ ad Romanos inchoatâ Expoſitione. Tales ingenii luſus τέρψιν ψυχῆς Chryſoſtomus alicubi vocavit & ἀπὸ τοῦ ἀτράπου τοῦ Ευαγγελίου diſtinxit.

Primus locus, in quo תקון ספרים occurrit Gen. XVIII. 22. ואברהם עודנו עמד לפני יהוה *Et Abraham adhuc ſtabat coram Deo.* Maſora notat contra neceſſe fuiſſe dicere, *Et Deus ſtabat adhuc coram Abrahamo.* Atque huc referunt quod dicitur in Pſalmo: *Deus ſtetit in cœtu Dei.* Galatinus autem vult hoc adimpletum quando Chriſtus coram diſcipulis ſtabat & pedes eorum lavabat; quod eſt valdè contortum ac dilutum. Longè longéque melius Elias in Thisbi timuiſſe Scribas ait, ne fortè hoc non eſſet, *via gloriæ coram Divinitate.* Quod verè timuerint, an temerè non quærimus nunc quidem, quærimus modò quid ſibi voluerint. Sollicitudo igitur quædam eos inceſſit, ne Dei gloriâ indignum eſſet, ſi ſtare diceretur Deus coràm Abrahamo: itaque cùm hoc dicendum eſſet Moſi, ſtatuunt eum ſcribere noluiſſe quod rerum ſeries poſtulabat, ſed καθ' εὐφημισμόν hanc Enallagen adhibuiſſe, ut Abrahamum ſtare diceret coram Deo. Abenezræ ad hunc locũ gloſſa eſt: אין לנו צורך לתקון סופרים והעד שאמר באחרונה *Non opus eſt nobis. Tikkun Sophrim, & hoc confirmatur ex eo quod dicit infrà.* Nempe cap. XIX. 27. *Et ſurrexit Abraham manè ad locum illum ubi ſteterat coram Domino.* Hùc enim reſpexiſſe omninò videtur Abenezra, cujus mens eſt, ſiquidem capite decimo nono rectè dicitur & planè citra Euphemiſmum *Abraham ſteterat coram Domino,* pariter abſque myſterio rectè dicetur capite decimo octavo, *Abraham ſtabat coram Domino.* Atqui loco illo nullum venantur myſterium nec adhibent Tikkun Scribæ: Nec igitur opus eſt adhibere hoc loco, non certè magis quàm illo, in quo res eadem planè memoratur. Non igitur emendatio-

dationem Tikkun putavit Abenezra Scribarum, ſed neque fabulam autfigmentum; nec enim damnavit in totum; ſed conjecturas alioqui plauſibiles & opportunas, hîc quidem non habere locum arbitratur. Præthereà hunc locum Autor libri חליכות עולם ita interpretatur ut dicat Scripturam hic unum poſuiſſe pro altero Euphemiæ cauſâ. Itaque nihil eſſe aliud Tikkun Sophrim quàm curioſam obſervationem ac interpretationem ſubtilem locorum in quibus εὐφημία occurrit: Verba ejus hæc ſunt ולא קכאום תיקן סופרים אלאשהם דקדקו ופירשו שהם כינויים Hinc autem patet hunc locum & ſimiles non emendationem aliquam ſed curioſas obſervationes duntaxat circa Euphemiſmos continere.

Secundus locus eſt Num. XI. 15. *Et ne videam* בְּרָעָתִי *malum meum*, quod poſitum putant pro בְּרָעָתָם malum eorum. Ita quidem Abenezra & Iarchi & Maſora parva. Sed Maſora magna & Galatinus ex Rabbi Hadarſan ברעתך *malum tuum* fuiſſe antea lectum (vel potius intellectum) putant; & juxta iſtos manifeſtior erit Euphemiſmus: nempe cum habuiſſet in animo dicere, *Ne videam malum tuum*, alloquendo Deum nec ſatis religioſa loquutio videretur, quæ Deo malum tribueret, ſcripſit, *ne videam malum meum*.

Tertius & quartus Num. XII. 12. אמו *matris ſuæ*. Pro אִמֵּנוּ matris noſtræ. *Ne quæſo ſimilis ſit mortuo* (Mirjam ſoror noſtra) *cujus dimidiata caro exeſa ut cùm egreditur ex utero matris ſuæ*. Memoratur ibi res atrox dictu: itaque volunt *matris noſtræ* cum eſſet dicendum *matris ſuæ* ſcriptum fuiſſe κατ' εὐφημισμόν.

Quartus autem locus ibidem בְּשָׂרוֹ pro בְּשָׂרֵנוּ carnis ejus pro carnis noſtræ, pari planè pacto accipi debet, cùm eadem ſit oratio, eademque ratio.

Quintus locus 1 Sam. III. 13. לָהֶם *ſibi* pro לִי *mihi*. Clarus Euphemiſmus hîc apparet. *Maledixerunt mihi filii ejus* cùm dicendum eſſet; Spiritus ſanctus dicere maluit, *Maledixerunt ſibi*; εὐφημίας ἕνεκα. Nihil enim æquè horribile fuit Hebræis, quàm ut homo dicatur Deo maledixiſſe. Atque hinc adeò factum eſt quod ברך benedicere pro maledicere uſurparunt 1 Reg. XXI. 10. & Iob I. 5.

Sextus locus 1 Sam. XVI. 12. *Fortè videbit Dominus* בְּעֵינִי pro בְּעֵינָי hoc eſt in oculo meo, ſive ut habet Chaldæus Paraphraſtes in lacrymâ oculi mei. Hæc eſt quidem obſervatio & קרי Maſoreticum: Sed alia res eſt Tikkun Sophrim, licet non fortè multùm diſcrepans. Maſora magna notavit בעינו legendum eſſe *in oculo ejus*. Galatinus בְּעָנְיִי lectum fuiſſe, quod ait ſignificare *in manſuetudine ſuâ*. Hoc nos putamus intellectum fuiſſe, nuſquam ſcriptum aut lectum, juxta ſententiam Scribarum: ſed aliter, quàm ille, reddimus, *in afflictione ſuâ*: Nam prius illud Deo digniſſimum, *in manſuetudine ſuâ* nulla indigebat Epanorthoſi: At quia Deo afflictionem tribuere parùm dignum Deo videbatur, licet hoc vellent ſacri Scriptores, aliud εὐφημοῦντες perhibentur ſcripſiſſe: quæ fuit Scribarum תיקון.

Septimus locus 1 Reg. XII. 16. &, ſi fortè, 2 Paralip. X. 16. *& ivit Iſraël* לְאֹהָלָיו ad tentoria ſua. Hic Maſora Tikkun Sophrim annotavit. Quod obſcurum eſt, nec

nec Interpretes explicant. Ergo veriſimile eſt in alterâ parte commatis Tikkun ſtatui oportere, ubi hæc verba occurrunt, non abſimilia præcedentibus: *Ad tentoria tua Iſraël* לְאֹהָלֶיךָ pro לֵאלֹהֶיךָ *ad Deos tuos.* Quàm nefanda res autem idololatria ſit & defectio ad alienos Deos qui non ignorant, ii non mirabuntur Scribas hos pro curioſâ ſuâ ſubtilitate conſtituiſſe aliud fuiſſe in mente Scriptoribus, quàm quod ſcripſerunt, rem deteſtandam dicere fugientes Euphemiſmi gratiâ.

Octavus locus Ezech. VIII. 17. *Ecce ipſi mittunt* inquit Dominus, *Fœtorem* אֶל אַפָּם pro אֶל אַפִּי ad *naſum ſuum*, pro *ad naſum meum.* Suus hic eſt locus apertiſſimus τῇ εὐφημίᾳ. Res enim turpis dictu fœtor eſt: Chaldæus *pudendum* reddidit; R. Solomo ad hunc locum אלא שכינה הכתוב Scripturam dicit εὐφημεῖν.

Nonus locus Habac. I. 12. לא נָמוּת pro לא תָמוּת *Non moriemur* pro *non morieris.* Hîc Maſora notat Tikkun Sophrim; Et hic apertiſſimus eſt Euphemiſmus: *Nonne tu ab æterno es, Jehova Deus, Sanctus meus,* expectes ut addat Propheta *non morieris:* nempe ſicut ab æterno es, ita in æternum eris. Et hoc putant Scribæ fuiſſe Prophetæ in mente, qui tamen poſuerit, *non moriemur,* quia videbatur illud *non morieris* eſſe, quantumvis verum, diſconveniens divinæ Majeſtati, & aliquid ſonare parùm θεοπρεπὲς Iudæis auribus, ut apud Ethnicos mortis vel nomen ominoſum exiſtimabatur.

Decimus locus Malach. cap. I. 13. וְהִפַּחְתֶּם אותו & difflare poſſetis *illud* pro אותי *me*, quod ſcribendum fuiſſe Magiſtri contendunt: atque adeò reddendum: *Et afflixiſtis me.* Patet enim vocem illam etiam in Scripturis eo ſenſu accipi, ut afflictionem notet ejuſmodi, quâ veluti ſuffocetur anima. Vel *exſibilare* deſignat illa vox, quæ contemptus eſt ſumma ſignificatio. Cùm igitur dicendum eſſet. *Oppreſſiſtis, vel exſibilaſtis me Jehovam,* declinarunt quod indecorè Deo videbatur adhiberi, & ad ſacrificium inflexerunt, εὐφημίας χάριν. ut habet Kimchi ad hunc locum אלא שכינה הכתוב ſed Scriptura voluit εὐφημεῖν.

Decimus primus Zachar. II. 8. *Qui tangit vos tangit pupillam oculi ſui* עֵינוֹ. Maſora עֵינִי legi jubet, *oculi mei.* Loquitur autem Deus. Non autem θεοπρεπὲς exiſtimarunt Deo tribui pupillam oculi, ἀνθρωποπάθεια certè in ſpeciem duriuſcula. Itaque detorſiſſe dextrè ad hominem ipſum illud quicquid erat exiſtimantur κατ' εὐφημισμόν.

Duodecimus Ierem. II. 11. כְּבוֹדוֹ *gloriam ſuam* mutavit in idolum. Loquitur de populo Deus; pro כְּבוֹדִי *gloriam meam:* Nempe videbatur infandum gloriam Dei, quâ nihil ſanctius, mutatam in idolum ſive in id quod non eſt utile, idque ab ipſius ore Dei profectum. Non igitur hic eſt obſcura Euphemiſmi ratio.

Decimus tertius Iob. VII. 20. *Quid faciam tibi conſervator hominum, &c.* & *ero in onus* עָלַי *ſuper me* pro עָלֶיךָ *ſuper te.* Quia Deum onerari aliquâ re, vel hominem ſupra Deum imponi tanquam onus putarunt indignum Deo captarunt & hîc Euphemiſmum, quaſi locutionis illius duri-

 rioris

rioris evitandæ cauſâ ſcriptum fuerit, *ſuper meipſum* עָלַי.

Decimus quartus Hoſ. IV. 7. כְּבוֹדָם *gloriam ipſorum* pro כְּבוֹדִי *gloriam meam* commutabo in ignominiam. Idem qui ſupra in duodecimo Euphemiſmus.

Decimus quintus Iob. XXXII. 3. Amici Iobi cùm nihil haberent reſpondere, tamen condemnabant אֶת אִיּוֹב *Jobum* pro אֶת הַדִּין *judicium* nempe Dei, vel Deum ipſum judicem juſtiſſimum. Quod quia ſine horrore ne cogitari quidem poteſt, nefas quoque dictu exiſtimarunt & Iobum ſubrogarunt in vicem Dei, ut abeſſet dicto blaſphemia, ἐυφημοῦντες.

Decimus ſextus Ierem. Thren. III. 20. Hujus Tikkun rationem non obſervarunt Interpretes. Erui poſſe videtur ex Maſorâ & Galatino עָלַי נַפְשִׁי *ſuper me anima mea* pro עָלֶיךָ נַפְשֶׁךָ *ſuper te anima tua* meditatur, vel incurvata eſt ut habet Chaldæus Paraphraſtes. De Deo autem tùm animam ejus meditari apud ſeipſum, tùm incurvatam eſſe dictu videbatur inverecundum. Ad Prophetam igitur deflexum eſt mutatâ perſonâ. Eſt igitur & hîc non obſcurus Euphemiſmus.

Decimus ſeptimus Pſalm. CVI. 20. אֶת כְּבוֹדָם *gloriam ſuam* pro כְּבוֹדִי *gloriam meam* in formam bovis commutârunt. Loquitur autem Jehova. Quod poſterius quia nefas dictu viſum eſt aut certè indecorum, Euphemiſmo mitigatum eſt qualem in duodecimo, & decimo quarto ſupra notavimus.

Decimus octavus & ultimus aut ignoratur aut latet in aliquo ſuperiorum: Sicut enim tertius & quartus combinantur & eodem verſu concurrunt, ita fieri poteſt ut in ſeptimo & octavus computari debeat: duo enim loca comprehendit, alterum ex Regum primo, alterum ex Paralipomenon ſecundo: Quod ſi res eſt, non difficilius eſt in poſteriori Euphemiſmum annotare, qualem in priori, ſeptimo loco ſupra notavimus.

Atque ita videmur nobis & quidem liquidò demonſtraſſe, omnibus in locis in quibus Tikkun Sophrim obſervatur Euphemiſmum ineſſe. Hinc autem adſtruitur quod ſuprà diximus non eſſe correctionem תִּיקּוּן. Nam cur quaſi parùm neceſſaria paſſim rejiceretur ab optimo Interpretum Abenezrâ? ſed neque corruptionem: Cur enim rejiceretur tam frigidè tanquam non neceſſaria & ſuperflua, cùm tanquam nefaria vehementer explodi meruerit ab iis potiſſimum quibus religio eſt vel tantillam in Scripturâ mutationem attentari? Fuit igitur Directio, non correctio; at neque corruptio, ſed aptatio decôri cauſâ reperta, & plauſibilis nec injucunda hypotheſis apud Iudæos qui talibus meteoris & ſubtilibus cogitatis delectantur. Vel ſi correctio dicenda eſt, non aliquid antè ſcriptum in textu poſtea emendatum intelligendum eſt, חלילה Iudæi dicerent: dicimus & nos, μὴ γένοιτο. Sed intelligenda eſt correctio & Epanorthoſis, qualis in quolibet Euphemiſmo ſubeſt, non tàm in verbis quàm in mente dicentis. Hinc autem patet Tikkun Sophrim non fuiſſe omninò idem cum Keri & Ketib, quanquam fuit affine nonnihil. Nempe Keri & Ketib aliter legitur, aliter ſcribitur, & utrumque tùm id quod ſcribitur, tùm id quod legendum eſt, alterum in textu, alterum in

in margine ponitur. At Tikkun Sophrim non aliter ſcribitur, aliter legitur: ſed aliter ſcribendum fuit *καὶ εὐθυρρημοσύνῃ*, planè loquendo, & *μετὰ παῤῥησίας*; aliter ſcriptum eſt honeſtatis aut reverentiæ cauſâ, *καὶ εὐφημίαν*. Deinde Tikkun Sophrim non debet originem ſuam Cenſoribus, Eſdræ, ſapientibus Sanhedrin, aut Maſoretis, ut Keri & Ketib; Sola divinatio Scribarum fuit, qui conjectando aſſequuti ſunt nonnulla ſcribenda fuiſſe aliter quàm ſcripta ſunt, niſi verecundia obſtitiſſet, atque aliter fuiſſe in mente, quàm fluxerunt è calamo; corrigente non Scripturam ſed mentem ſuam Spiritu ſancto ſcilicet, ne quid parùm *θεοπρεπὲς* exiret, aut ne verba licet menti ſuæ apprimè reſpondentia, tamen inhoneſtum aut licentius dictum neſcio quid hominum ſubjicerent oculis, vel auribus inſtillarent. Debet igitur originem ſuam Tikkun Sophrim non Eſdræ, aliiſve Cenſoribus, ſed Moſi aliiſque ſacris Autoribus juxta placita & annotationem Scribarum; qui non principes adinvenerunt, aut invexerunt Correctionem illam, licet Correctio Scribarum dicatur, ſed primi olfecerunt ac detexerunt. Correctio igitur mentalis non realis Prophetarum fuit, quæ Scribarum ideo dicitur, quòd eam venati ſint latentem in mente Prophetarum Scribæ, monitores ac divinatores, non Autores ac repertores, juxta opinionem Iudæorum. Nam ſi mea quæritur, equidem ſentio totum illud repertum eſſe fœtum figmentumque Scribarum, cujus Prophetæ alicui nunquam in mentem venerit. Sed hactenus id nobis negotii dedimus ut inveſtigaremus quid eſſet Iudæis Tikkun Sophrim non quid eſſet in reipſa: Iuxta eorum igitur opinionem id fuit quod diximus. At juxta ſententiam noſtram reique veritatem ludicra ſpeculatio & myſterium Cabalâ dignum: & argumentum quod ex eo deducitur adverſus integritatem Canonis planè ficulneum. Ad ſecundum veniamus quod petitur ex עטור ספרים *ablatione* ſcribarum, ex quâ non deceſſit aliquid Scripturæ Sacræ, ut nec ex *correctione* Scribarum, qualem enarravimus, aliquid acceſſit. Quippe certum eſt Scribas אפילו אות אחד ne unam quidem litteram addidiſſe, ut ipſi agnoſcunt Magiſtri.

Ad *ſecundum*, Reſpondeo *Ittur Sophrim*, ablationem Scribarum non magni eſſe momenti cùm in quinque tantùm vocibus occurrat, & unicâ litterâ ו quæ cum eſſet ab imperitâ plebe quinquies addita perperam, juſtè fuit à Legis peritis ablata. Quid autem attinet אַחַר *poſteà* legas, an וְאַחַר *& poſteà* quod in quatuor primis locis occurrit, & eódem redit, utrobique ſenſu prorſus integro? Geneſ. XVIII. 5. & XXIV. 55. Num. XII. 14. Pſal. LXVIII. 20. vel quid attinet Pſal. LXVIII. 26. qui locus eſt quintus in quo Ittur Sophrim locum habet, *Juſtitia ſicut montes Dei, judicia tua ut abyſſus* legas per *ἀσύνδετον*, an verò, *& judicia tua ut abyſſus*? Non igitur quicquam Scribæ abſtulerunt, licet ו quod aliquoties inoleverat ex uſu vulgi majoris perſpicuitatis gratiâ, uſurpari amplius noluerint, & aboleverint. Luculenta eſt in hanc rem Præfatio Bibliorum Venetorum in folio, cujus auctor Rabbi Chaiim, ubi poſtquam de origine Keri & Ketib, déque

 diſcri-

Digitized by Google

diſcrimine inter Talmudicos & Maſſorethas diſſeruit, pro Iudæis adverſus eos diſputat à quibus accuſantur, quaſi contextum ſacrum corruperint, quos Minços, (Chriſtianos) vocat. *Abſit*, inquit, ſcribas *iſthac* ו *abſtuliſſe*. Quod ubi probavit, rectè concludit היעלה על לב אדם שרוצה לשנות ולהחליפ דבר יאמר ראו מה החלפתי *An aſcendet in cor hominis, qui volens aliquid mutare aut variare dicat, Videte quid mutaverim?* Hoc vult, fungos planéque ſtupidos fuiſſe Scribas qui cùm vitiare Sacra volumina ſuſcepiſſent, id palàm feciſſent ac præ ſe tuliſſent: Nam ſi mutare voluiſſent aut corrumpere, non utique revelaſſent; non dixiſſent ה׳ מילין עטור ספרים *quinque voces ſunt ablatio Scribarum*: non dixiſſent יח׳ מלין תס׳ *octodecim voces ſunt correctio, vel diſpoſitio Scribarum*. Hactenus ille optimè. Non igitur magis ex Ittur Sophrim, quàm ex Tikkun Sophrim ſequitur Codicem ſacrum aliquod inſigne damnum cepiſſe.

Ad *tertium*; Facile crediderim legiſſe Hieronymum שלח cùm reddiderit *qui mittendus eſt* pro שילה *Silo*, proclivis enim eſt ה & ח permutatio; & ſenſu quidem optimo, ſi nulla eſſet hallucinatio ex ductu affini litterarum orta. Duo tamen reſpondemus; primò eludere potuiſſe hanc vocem Iudæos tametſi reliquiſſent intactam. Alium enim facilè potuerunt invenire de quo diceretur *qui mittendus eſt*. Nam quod nonnulli volunt Schiloah fuiſſe nomen proprium Meſſiæ vanum eſt: Deinde, aliter igitur mutare debuerant; nam quod legitur hodiè non minùs iis adverſatur, nec minùs clarè Meſſiam ſignificat. Variæ quidem ſunt hujus vocis interpretationes; quarum & varietatem Iulianus deſertor Chriſtianis exprobravit. At nos in præcipuis Iudæos ipſos ſequimur Auctores. Iudæos inquam Veteres qui candidiores hodiernis Meſſiam jubent intelligi. Triplex Thargum, Onkeli, Ionathanis, Hieroſolymitanum: Onkelos: *uſque dum veniat Meſſias cujus eſt regnum*: Ionathan: *uſque ad tempus quo veniet Meſſias parvus filiorum ejus*. Hieroſolymitanum; *uſque ad tempus quo veniet Meſſias*. Fruſtra igitur hodierni Iudæi ad Saulem aut Ieroboamum, quos in Siloh coronatos perhibent, locum detorquere nituntur. cùm præſertim & Cabalæ Auctores, nomen Meſſiæ diſertè dicant eſſe Schilo in Codice Sanhedrin שילו שמו *Schilo nomen ejus*, & notent verba hæc duo יבא שילה eundem numerum efficere, quem litteræ vocis משיח nempe 358. Quod argumentum non eſt aſpernandum *πρὸς ἄνθρωπον*. At nec obſervatio illa Cabaliſtica, futilior quidem: at ingenio Iudæorum & ſcrupuloſitati non diſconveniens quâ ex primis litteris harum vocum יבוא שילה ילו exſurgit nomen ישו *Jeſu*. Porrò tres ſunt hujus vocis potiſſimæ interpretationes, *αἱ μάλιστα ἐπιπολάζουσαι*, ut cum Philoſopho loquar. Prima Schilo *Filium*: ſecunda *Felicem aut Pacificum*: tertia *Regem* interpretatur: quæ omnia Meſſiæ apprimè conveniunt. Prima placuit Abeneſræ, Kimchio atque aliis, qui putant idem eſſe quod בנו *Filium ejus*, ut ה poſitum ſit pro affixo ו & שיל deſignet Fœtum ſive Filium, quia שליה ſecundina eſt, in quâ embryo ſecurè vivit, שליה inquam, vel שיל per Synecdochen. Intelligi

ligi autem hi volunt Iudæ filium. Addunt alii ה in fine notam eſſe fœminini generis & Silo eſſe *Filium mulieris*. Sicut per punctum maſculinum notari ajunt Iudam, ex quo prodibit Meſſias; Quod niſi *ad hominem* diſputando minimè probamus: nempe ut Iudæis oſtendamus, non deeſſe nobis ejuſmodi commentationes artificioſas, & μυστηριώδεις atque Cabaliſticas, quibus ipſi tàm intemperanter ſeſe oblectant; nòs autem niſi ἐκ περιόντος eas non adhibemus; Benignam verò huic commentationi occaſionem ſuppeditat, quod tria nomina ſe invicem ſequuntur cum illo eodem affixo ה nempe שלה עירה סותה. Sed valeant iſta. Secunda interpretatio τοῦ Silo *Felicem* reddit à שלה nempe cui proſperè ſuccedent omnia, qui fuit character Meſſiæ ùt liquet ex Eſaiæ LII. *Servus meus* ישכיל *rem proſperè geret*: Vel activè Silo reddi poteſt *felicitatis autor* & pacis atque tranquillitatis, Soſpitator, Salvator. Tertia *Regem* notat; eſtque planiſſima & convenientiſſima ſi ſenſum ſpectes, licet alioqui difficultas in voce nonnulla ſit. Targum; Meſſias *cujus eſt regnum*. LXX. & Theodotion τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ vel ᾧ ἀπόκειται, ut citat Euſebius. Legérunt nimirum שֶׁלוֹ quod Rabbinis eſt *cujus*, & *regnum* ſubintellexerunt, quod ſubintelligi proclive fuit ex iis quæ præceſſerant. שלה igitur idem quod שלו id eſt אֲשֶׁר לוֹ *cujus eſt*, ad quem pertinet. Schindlerus objicit שילו pro שלו nunquam ſcribi. Sed petit τὸ ἐν ἀρχῇ, cùm præſertim nihil ſit familiarius pleonaſmo τοῦ ι, quem pleonaſmum pluſquàm centies occurrere in medio dictionis notum eſt. Senſus autem ſponte fluit, nempe Sceptrum non auferendum à Iuda donec veniat ille ad quem pertinet, Meſſias. Lucem accipiet quod dicimus ex Ezech. XXI. 32. *Non erit hæc corona, donec venerit* אֲשֶׁר לוֹ *cujus eſt judicium, & ego tradam ei.* Conſulatur & Rabbi Solomo in Pſalm. XXII. 29. *Quoniam regnum eſt Domini.* Sed quæcunque tandem harum trium interpretationum obtineat, non magis favebit Iudæis quàm ſi dicamus Siloah *mittendum* eſſe. Itaque non fit veriſimile hunc locum depravatum ab iis fuiſſe, cùm præſertim ante Hieronymum & poſt eum שילה per ה non per ח legerint omnes.

Ad IV. Si quis locus à Iudæis contaminatus videtur, hic certè eſt. Itaque multi hunc excipiunt, quem ſolum putant à Iudæis vitiatum: atque hanc in partem propendet ipſe Scaliger in Epiſtolis. Nec abludit contra Baronium Caſaubonus. Non Wittakerus, non Iunius, non Chamierus, non alii. Nos etiam ingenuè fatemur videri corruptum, ſed I. à recentioribus Iudæis & poſt Chriſti crucifixionem, quam cùm hoc oraculum graphicè pingat, ſi forte, prævaluerit *in nonnullis* furor adverſus Chriſtum noſtrum ſuperſtitioni quâ tenentur in Codicem ſuum. II. *Videri* tantùm: nec enim ea dici *realis* corruptio poteſt, cui ſucceſſus defuit: at nec *univerſalis* dici poteſt, quæ non in omnibus exemplaribus locum habuit; Quam in rem notabilia ſunt verba Iohannis Iſaaci contra Lindanum, *Ego Johannes Iſaacus ipſâ veritate & bonâ conſcientiâ teſtari poſſum quod hujuſmodi Pſalterium apud avum meum viderim ubi in textu ſcriptum erat* כארו *& in margine* כארי. Certe ita legiſſe LXX & Aquilam

Aquilam ſatis manifeſtum eſt; quod etiam exhibet Complutenſis editio. IV. Videtur fieri potuiſſe *αὐτομάτως καὶ ἐν δεχομένως* non autem ſtudio ac de induſtriâ ut ׳ pro ו ſcriberetur, quæ duæ litteræ quàm facile invicem permutentur non eſt obſcurum, adeò ut à nonnullis Jod Vau diminutum dicatur: nec tantum ob affinitatem Scripturæ ſed etiam ob naturæ affinitatem confundi ſolent duo hæc elementa, cùm ſint ex litteris אהוי quæ litteræ amant inter ſe permutari. Atque hinc adeò ſæpe fit ut LXX procul diſcedant ab Hebræo, idque ſexcentis locis ut Thren. IV. 15. עורים *cæci* LXX *οἱ ἐγρηγόροι* nempe legerunt עירים *vigiles* Cant. VII. 8. שפתי ישנים *labia dormientium* LXX *χείλεσι μου καὶ ὀδοῦσι & dentibus* legerunt ושנים Pſal. LXXIII. 7. עינימו *oculi eorum* LXX *ἡ ἀδικία αὐτῶν* legerunt עונימו ſic iidem מעוני pro מעיני *habitationem* pro *fontibus* legerunt & poſuerunt oi LXX Pſalm. LXXXVIII. extremo & LXXXIV. 7. & alibi paſſim. Non igitur ſequitur ſi corruptus eſt locus continuò à Iudæis malitioſè corruptum, quando proclive fuit, ut propter viciniam & ſimilitudinem ductus hallucinaretur exſcriptor, & alteram pro alterâ litteram exararet. Quàm facilè autem quod vel in unum obrepſit exemplar ſoleat in alia propagari mendum & occupare plurima norunt qui libros manuſcriptos tractarunt. Sed eſto: non à caſu fuerit ortus error, ſed corruptela fuerit à Iudæi alicujus deſtinatâ malitiâ, quam invitarit ac prolectarit facilitas depravationis & mutationis τοῦ ו in τὸ ׳ poſitæ in unius duntaxat litteræ dimidio: hinc patebit Iudæorum furor adverſus Chriſtianos tùm potiſſimum, cùm oracula ſua rebus noſtris conſummata viderunt: ſed eò admirabiliùs hic ſeſe prodit Dei Providentia, quæ Canonem conſervavit integrum, ſartum tectumque, nihil obſtante Iudæorum odio, quod in eorum nonnullis plùs potuit interdum quam ſuperſtitiò, & niſi fuiſſet arcano Dei arbitrio & inſtinctu ita coërcitum, ut ſuperſtitio quâ inſaniunt in Codicem ſuum dominaretur ac prævaleret in pleriſque, longè impotentius graſſatum eſſet. Non igitur impedit Canonis integritatem ſubtilis hæc hujus loci corruptio, quam permiſerit Deus, ne genio gentis Iudaïcæ magis quàm Providentiæ ſuæ imputaretur Sacrorum librorum admiranda conſervatio; attamen hanc corruptionem Deus clàm eſſe ac ſic veritati Chriſtianæ detrimentum afferre non permiſit. Atque hæc prior eſt noſtra reſponſio, ſuppoſitâ vel conceſſâ corruptelâ. Poſterior ſuccedit, in quâ majus aliquid audemus adeóque locum nec fortuitò ab exſcriptoribus nec à Iudæis datâ operâ corruptum eſſe pugnamus, quantumvis corruptus videatur. Non deſunt inter Pontificios at nec inter Orthodoxos Viri graves qui legunt כארי & reddunt *ſicut leo* ſubintelligendum verò putant כרו *foderunt* per Ellipſin, quæ non eſt inſolens in vehementi oratione ut Pſal. CXX. 7. *Cùm loquor, ipſi ad bellum.* ita hoc loco *manus meas & pedes meos, ſicut leo* nempe transfixerunt. Quod Iudæi non poſſunt nimium ſpernere: nam & ipſis verbum aliquod ſubintelligendum neceſſariò eſt. Repeti etiam poſſet *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* verbum præcedens *circumdederunt, circumſederunt*, ut antecedens ponatur pro conſequente:

quente: circumdederunt enim ut crucifigerent Chriſtum ejus carnifices. Conſule Kimchi & Abeneſra quos ambos reperies nitendo ſudare ut hunc locum nobis eripiant. Ille Pſalmum totum non de Meſſiâ intelligi vult ſed de populo ſuo, cùm interim & alia & illa præſertim *In te projectus ſum ex utero*, nec non, *Narrabo nomen tuum fratribus meis* de populo univerſo nequeant intelligi, ſed ſingulari perſonæ applicari debeant. Quod vel ipſe titulus innuit & inſinuat *Super ſtellam matutinam* quo nomine Meſſias venit apud Iudæos Num. XIV. 17. in oraculo Balaamitico. Longè commodius Abeneſra de Davide intelligit cùm eum perſequeretur Saul. Sed Davidis manus & pedes neminem circumdediſſe legimus, nedum perforaſſe. Quod enim ait manus & pedes ideò commemorari, quòd *manibus pugnabat, pedibus in fugam dare ſe poterat*, nimis abſurdum eſt, quemadmodum & ea quæ ſcribit Kimchi: *Ita ſumus ut ſi manicis manus, pedicis pedes vincirentur.* quaſi leo lictor eſſet, *I lictor colliga manus.* Quod bonus ille Magiſter cùm nimis eſſe frigidum ac dilutum providiſſet, neſcio quid nugatur de circulo quem in ſylvis leo caudâ ſuâ facit, quo conſpecto non audeant feræ proſilire. Omnia hæc ſi tàm vera forent, quàm vana ſunt, nemo tamen facilè non videret, ut ut de Davide aut populo Iudæo, umbraticè ac pædagogicè, ne dicam Cabaliſticè intelligi patiamur, à typis tamen illis & umbris ad Meſſiæ corpus evadendum eſſe, in quo litteraliter & verè implementum ſortitur ſuum nobile hoc oraculum non per ambages figurarum, nec per coactorum interpretamentorum fidiculas. Quid enim concius quam leonem circumdare vel obſidere manus ac pedes, quaſi felis cum muribus ludat. Cur circumdare ac obſidere dicetur non perſonam ſed manus ac pedes cùm irruat actutum, & aperiat os ſuum & totum corpus, non extremas illas vel tantùm vel præcipuè partes vorare geſtiat? Neque modò ex voce כארי argumentamur, ſed ex eo quod pedes ac manus tàm electè, tam diſerté memorentur, Chriſtus ut verbis illis non tàm deſcribi quàm crucifigi videatur. Accedit quod modò bis Propheta dixit *Circumdederunt me, obſederunt me*, cur ſtatim ergo adjiceret manuum pedumque mentionem? quaſi non obſideantur & manus & pedes ejus qui totus obſidetur. Super hæc, ſiquidem dixiſſet prius circumdari manus pedeſque, non ita incommodè adjeciſſet poſtmodum obſideri ſe totum: At poſtquam bis imò terque quaterque dixerat, obſideri ac circumdari ſe, quorſum adjiceret gradatione præpoſterâ, circumdari vel obſideri manus ac pedes ſuos? Adde quod ejus qui circumdatur & obſidetur, pedes quidem impediuntur, ne fugam corripiant, non impediuntur manus, quin arma expediant. Futile igitur eſt quod ajunt impeditum eſſe Davidem ſimul ne pugnaret ac ne fugeret. Non fugere poſſunt ſemper obſeſſi, ſed pugnare poſſunt. Prætereà non ita rectè dicitur leo circumdare, meliùs dicitur lacerare perfodere aut *mordere* ut Paraphraſtes Chaldæus optimè convertit. Circumire quidem dicitur ubi prædam quæritat, ſed poſtquam invenit non circumdat ambitioſè moras nectendo, ſed impetu concerpit. Denique notandum eſt duûm generum hoſtes toto Pſalmo deſcribi,

quorum alii minores licet acerrimi *canes* dicuntur: item vituli, tauri, *concilium* malignantium: alii majores & crudeliſſimi, qui *leones* dicuntur, iidemque unicornium nomine deſignantur, tyranni, carnifices. Priores *obſidere ac circumdare* dicuntur, non item poſteriores. Actionibus enim diſcernuntur priores à poſterioribus. Neque profectò canibus mos eſt idem qui leonibus. Illi latrant, & circumdant, hi rugiunt, rapiuntque. Priores paulò antè deſignati ſunt nomine taurorum. *Vituli circumdederunt, tauri pingues obſederunt me.* Quid leo? non circumdat, non obſidet. *Aperuit os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens.* Et poſtmodum. *Erue de manu canis unicam meam, Salua me de ore leonis*; non dixit de manu canis & de manu leonis, nec de ore utriuſque, ſed de manu illius & de hujus ore, ut diſtinctè notaret duplex hoſtium genus, quorum alii Moloſſorum inſtar perſequuntur, alii leonum inſtar non allatrant & baubantur, ſed mordent ac fodiunt: Cùm igitur duobus hujus Pſalmi locis memorentur leone & à canibus modo nocēdi vario diſtinguantur, & neutro loco idem utriſque tribuatur; cùm vituli & tauri qui cum canibus idem ſignificant hoſtium genus, obſidere ac circumdare dicantur, leo autem ibidem non obſidere, non circumdare, ſed rugire ac rapere; quid ſupereſt quàm ut dicamus jam hoc tertio loco pariter hoſtium duo genera diſtingui debere tùm nominibus tùm actionibus: *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me*, (nempe ſicut ante *Vituli multi circumdederunt me, tauri pingues obſederunt me*) *Sicut leo manus meas & pedes meos*, non, *circumdederunt*, ne confundantur cum canibus leones, ſed (ſicut antè *Aperuit os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens*, non ſicut canis circumdans & latrans) momorderunt, diſcerpſérunt perfoderunt. Vel ſi placet illud *circumdederunt ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* repeti, debet alio ſenſu accipi cùm redditur leonibus quàm ubi canibus adhibetur. Aliud enim eſt; *Canis obſidet te* ut latret ac terreat; aliud verò, *Leo circumdat & obſidet manus tuas & pedes tuos*, ut mordeat ac fodiat. Sanè qui crucifixerunt Dominum circumdederunt eum, & milites & circumfuſa turba, ſed ut transfigerent transfixumque ſpectarent. Atque hinc ſatis liquet, quamvis omnia Iudæis concedamus, & non aliter quàm illi legunt legamus, non tamen perire nobis hoc illuſtre oraculum præſertim cùm pedes & manus electè dicantur tanquam à leone circumdari, nempe animo vulnerandi; pedes autem ac manus cur non dicantur à canibus circumdari, ſed à leonibus, non alia ratio eſt, quàm quòd per canes deſignetur concilium cætus ac turba malignantium, qui Dominum allatrabant maledictis, per leones autem carnifices, ac necis autores, qui propriè manus circumdantes vulnerarunt ac pedes clavis perfodérunt, quando fixerunt cruci Dominum gloriæ. *Prima* hæc eſt via, quam ineuntes licet omninò ſicut Iudæi & legamus & interpretemur, tamen ad Meſſiam referre poſſumus ac debemus hoc vaticinium. Sed & *altera* via eſt, juxta quam non aliter quàm Iudæi legentes, aliter tamen interpretari poſſumus. Eſto enim, vera ſit & integra hæc Scriptura כארי non tamen continuò *ſicut leo* reddendum erit: Vox enim hæc etiam ita ſcripta *foderunt* aut *vulnerarunt* ſignificare

ſicare

Digitized by Google

ficare poterit. Ac primò quidem quid obſtat quominùs dicamus Iudæis talia ſæpe ubi nihil opus eſt comminiſcentibus, propter myſterium aliquod nobis incompertum poſitum eſſe י pro ו quod & alibi ſæpe ſine myſterio reperias. Nec tamen hactenus huic indulgere commentationi velim, ut cum Marino, in Arcâ Noë, clavorum Chriſti ſtigmata depingi per י inſerto puncto ut in Codicibus inſeritur, autumem. Quanquam πρὸς ἄνθρωπον nonnihil fortè valeat & illud quod ab aliis eſt annotatum, conſulto conſilio י pro ו poſitum eſſe ut ſupputarentur anni quot fluxerunt ad Chriſti mortem poſt hanc editam Prophetiam nempe 1230, qui numerus vocis illius cum *jod* non cum *vau* ſcriptæ litteris comprehenditur. Quibus fortè ratiunculis facilius commoveatur Iudæus, totus in iſtis, quàm melioribus. At nobis alia proponitur inſtituti ratio. Vel igitur obſtat quominus כארי reddi queat *foderunt* quod כרו ſcribi debuit, abſque א à כרה, vel quod cum vau ſcribi debeat non cum jod. Atqui nec prius obſtat nec poſterius. Non prius. Uſitata enim eſt epentheſis τοῦ א & exemplis probari poteſt ויקאם item וראמה Zach. cap. XIV. 10. Adde quod hæc eſt una litterarum אוי adjici & inſeri ſolitarum, cùm vel nulla eſſent puncta vel abeſſent: quæ ideo *matres lectionis* nuncupantur quòd per eas punctorum vocalium ſuppleatur defectus & ſine punctis legendi facilitas concilietur. Potuit ergo vel per epentheſin ſimplicem, vel propter lectionis commoditatem inſeri. Nec poſterius; tùm quia ſæpe י pro ו poſitum, & ex adverſo reperitur; tùm quia punctis poteſt aliis inſigniri vox כארי, certè aliis eam punctis affecerunt Chaldæus, & Græci. Quod ſi liceat & nobis, manente *jod*, & legendo כארי per *jod* non per *vau*, tamen vulnerandi & fodiendi ſignificatus locum habere poterit. Hùc nos deducit Paraphraſtes Chaldæus qui per Participium reddit נכתין *mordentes*. Quod eum feciſſe arbitror quia legit כְּאֲרֵי vel כְּאֲרֵי *perforantes*. Mutatis igitur punctis vocalibus, idque leviter, intactis prorſus conſonis, facile eſt hanc difficultatem ita expedire ut dicamus & Chaldæum & LXX & Aquilam vel jod pro vau poſitum exiſtimaſſe, ut crebrò alibi; vel paulò alia puncta huic voci attribuiſſe, ideoque LXX *ὤρυξαν foderunt*, Aquilam *ἤσχυναν fœdarunt* reddidiſſe, non tàm quòd in eorum Codice ſcriptum eſſet, כרו vel כָּארו quàm quod כְּאֲרֵי legerint quod ſcriptum erat כארי in regimine, puncta paulò alia uſurpando quàm quæ hodiè habentur, quod ſæpiſſimè alibi faciunt. Hoc idem de Syro dici poteſt vertente בַּזַּשׁ *transfixerunt*. Tertullianus *exterminaverunt* lib. adverſus Iudæos, quaſi *ἐξώρισαν* legiſſet non *ὤρυξαν* apud LXX. Quid ſi dicamus eſſe *Tikkun Sophrim*, & unum ex XVIII locis? nam & inter eos unus deſideratur. Certe Galatinus hunc recenſet in eorum numero in quibus *Tikkun Sophrim* aliquatenus obſervari queat: nec difficilius hîc eſſet Euphemiſmum quàm in cæteris deprehendere: Nam & in voce *perforandi*, ejus aliqua ſubeſſe ratio potuit, cùm ex voce non abſimili femina nomen apud Hebræos invenerit; ut omittam turpitudinem illam quæ narratur in

vitâ Neronis; & vox *pedum* alibi honeſtè aliquid parùm honeſtum ſonat. Unde fortaſſis Aquila ſuum illud *ᾔσχυναν*, quod alii ex Syriaco eruunt. Vide Fullerum. Quicquid id eſt, ſi *Tikkun Sophrim* hîc ſtatuatur, in mente Prophetæ fuerit כרו quod non ita fuerit ſcriptum, ſed כרי vel כארי ne quid indignum aut indecorum efferretur. Adde quod fieri poteſt ut utraque vox ſcripta fuerit כארי כרו *ſicut leo foderunt*, quæ Paranomaſia effecerit, ut ſciolus exſcriptor alterutram redundare opinatus, alteram in marginem ablegarit. Certè Chaldæus utramque reddidit optimo pleniſſimoque ſenſu, ſi quid judico. Nam & ipſe Abeneſra fatetur loca quædam habere שני טעמים *duos ſenſus* nempe juxta textum ſimul & marginem. Olfecit & hoc Kimchi, cujus ad hunc locum verba ſunt: *Sicut leo qui fodit caudâ ſuâ.* Denique nihil eſt proclivius quam ut ſuppoſitâ Iudæorum tùm lectione tùm interpretatione *ſicut leo*, vocum præcedentium aliquam repetamus ἀπὸ κοινοῦ, quod & ipſi facere coguntur: Alioqui nullum ſenſum dabunt verba hæc: *ſicut leo manus meas & pedes meos.* Itaq; repetamus הקיפוני *circumdederunt* vel ſimpliciter jungamus hanc vocem cum iis quæ ſequuntur, quod & Abeneſra fecit. *Circumdederunt manus meas & pedes meos.* Nec obſtat quod Lindanus objicit accentum Atnach obſtare. Quod ſi verum eſt, mirum eſt hoc Abeneſram neſciviſſe. At non neſcivit perpetuum id non eſſe, ac variis exemplis probari poſſe, Atnach non ſemper & ubique diſtinguere. At verò, inquies, ita non deſignatè crucifixio à Propheta notabitur, quod Chriſtiani volunt interpretes. Hoc verò inquam ego non quæritur; quæritur quid Propheta voluerit. Deinde non minùs ex voce נקפ deduci poterit crucifixio, idque bifariàm. Primò quia hæc vox interdum ſignificat *contundere confringere*, adeoque *concidere, perforare*, ut idem ſit quod נקב. Iob xix. 26. perſpicuum exemplum eſt. Poteſt autem vox הקיפוני deduci à נקפ *excidit, perforavit*, non minùs quàm à יקפ *circumdedit*. Secundò ſi quis ab iſto derivandum eſſe pugnaverit, non equidem nimium repugno, nec ideò minùs Chriſti mortem his verbis graphicè depingi credo. Nam quid eſt *circumdare manus ac pedes*, niſi agere in crucem? Quæ poteſt alia hiſce verbis affingi niſi vel diluta & hiulca, vel coacta & violenta ſignificatio? Sed & hæc, inquies, coacta & violenta eſt. Minimè verò: nam ſicut cingere, circumdare, atque *colligare* manus pertinet ad ſupplicii deſcriptionem illius, quo quis ſuſpendio vitam finiebat juxta formulam Romanorum *Colliga manus, arbori infelici ſuſpendito*, ita rectè colligare cingere ac circumdare non manus tantum ſed etiam pedes, rectè pertinebit ad ſupplicii deſcriptionem illius quo quis in crucem ſublatus extenſas manus pedeſque carnifici colligandos & funibus cingendos, deinde clavis etiam transfigendos dabat. Hùc ſpectat quod Ioh. xxi. 18. de Petro dixit Dominus: *Extendes manus tuas & alius te cinget*, hoc eſt vinciet. Cingere igitur & circumdare, vincire atque colligare ſignificat. Multi veterum hoc quoque de Petro dictum Domini retulére ad extenſionem in cruce. Confer Pſalm. LXXVI. 10. & ibi conſule Kim-

Digitized by Google

Kimchium. Tertulliani verba ſunt Scorpiace. *Tunc Petrus ab altero cingitur, quum cruci adſtringitur*: & alibi. *Petrus Dominicæ paſſioni adæquatur*. Idem refert Hieronymus in Catalogo virorum Illuſtrium. Item Nicephorus, nec non Euſebius; & quod ait Ioannes hoc dixiſſe Chriſtum innuentem ποίῳ θανάτῳ Petrus glorificaturus eſſet Deum ſi quis conferat cum ſimili dicto Iohannis de Chriſto Ioh. xii. 33. veriſimile comperiet quod produnt veteres, eodem genere mortis ac ut ita dicam *qualitate* Petrum cum Chriſto Deum glorificaſſe nimirum Cruce. Quod tamen haud paulò clariùs Propheta de Chriſto, quàm Chriſtus de Petro dixerit: Dixit enim Chriſtus, *alius cinget te*, ut deſignaret quali morte Petrus Deum glorificaturus eſſet, natâ inde occaſione, quòd ſuperariâ cinctus veniſſet. At Propheta, *cingent manus meas & pedes meos* quod longè deſignatiùs exprimit, quali morte Chriſtus Deum glorificaturus & populum ſervaturus eſſet. Atque iſtam interpretationem quâ textus minime ſollicitatur, nec integritas Scripturarum læditur, nec Iudæi præter genium ac mores ſuos Scripturæ corruptæ poſtulantur, & Iudæis ad fidem Chriſtianam provocandis, & Pontificiis refutandis putamus eſſe in primis accommodam. Si quis tamen præ ſtudio viis omnibus confirmandi noſtram fidem כארו retinere voluerit non habebit nos nimium diſſentientes, modò non jubeat hanc lectionem in textum tranſire. Non enim ea eſt vel Rabbi Chaiim, vel Ioannis Iſaaci, vel Gerardi Veltuycki authoritas, ut iis aſſenſum accommodare ilicò debeamus: non alii autem quàm hi tres referunt ſe legiſſe ita ſcriptum in quibuſdam duntaxat exemplaribus & fortean recentioribus. Ac Rabbi Chaiim quidem licet in quibuſdam exemplaribus profiteatur ſe reperiſſe vocem illam ſcriptam per vau, tamen in illis ipſis exemplaribus notam קרי ad oram teſtatur additam fuiſſe quæ admonuerit legendum eſſe כארי per jod non per vau. Iſaacus autem cùm ait hanc lectionem Grammaticæ repugnare ſatis apertè fallitur. Quid enim? Annon occurrit eadem vox ita ſcripta & lecta Eſa. xxxviii. 13. ubi tamen eam Grammaticæ parum convenire nemo dixerit. Gerardus Veltuyckus denique in appendice libri quem inſcripſit *Itinera deſerti* narrat quidem Codices correctiores כארו repræſentare. At ſi quis eos hoc certe loco aliis corruptiores aſſerverit, habebit quo ſe tueatur. Quippe Maſora parva notat ad vocem כארי quater eam extare bis cum Kamets & bis cum Patach & hic Pſalmi 22 locus in quatuor illorum cenſu ponitur. Adde quod Maſora eadem notat hoc loco vocem כארי non convenire ſenſu, ſcriptione autem convenire cum eadem voce quæ legitur in Ezechiæ oratione apud Eſaiam xxxviii. 13. Quin & Maſora finalis hanc eandem vocem quatenus & apud Davidem occurrit & apud Eſaiam, laudatis locis, refert in Catalogum earum vocum, quæ cum ſcribantur eodem modo, non eundem ſignificatum ſortiuntur. Numerantur autem voces ejuſmodi octo & nonaginta, & inter eas כארי. At, inquies, cùm ſit perſpicuum apud Eſaiam vocem illam *ſicut leo* reddi debere, non verò eundem utrobique ſignificatum ſortiatur juxta Maſoram, in Pſalmo reddi aliter omninò debet. Ad

hoc viderit Iudæus quid reſpondeat: hoc equidem adverſus eum argumentum libens protulerim deſumptum ex Maſorâ, quam ille ſumma veneratione proſequitur. Apud me tanti Maſora non eſt, ut ab eâ verborum ſignificationem locorumque ſenſum petere debeam vel debere me credam. Interpretes Græci qui vel ὤρυξαν, vel ἤσχυναν reddidére aut reſpexerunt ad præcedentem vocem, quæ ſimile quid poteſt ſignificare; aut aliter legerunt quàm legendum erat propter affinitatem litterarum ſimilis formæ, quod iis alibi non raró contigit. Novum autem Fœdes verſionem τῶν LXX ſequi etiam tùm cùm ab Hebræâ origine diſcedit, manifeſtius eſt quàm ut demonſtrari debeat. Sive igitur *foderunt*, ſive *ſicut leo* reddideris, non opus eſt ſollicitare vocem כארי quæ in textu benè ſcribitur: nam ſi prius; jod pro vau poſitum erit ut Eſdræ x. verſu poſtremo נשאי pro נשאו: ſi poſterius; repeti poterit vox præcedens, nec obſtabit quod *leo* ſingularis, *circumdederunt* autem pluralis eſt numeri: quæ tamen Iohannis Iſaaci ratio eſt: nam *leo* collectivè poteſt accipi; nec circumdederunt de leone dicitur, ſed illi dicuntur circumdediſſe ſicut leo, id eſt leoninâ rabie. Ut ut ſit, ſatis jam liquet Variam lectionem hanc nihil officere integritati Canonis: nec debent Pontificii veritatem odio noſtri labefactare, quam religioſi Iudæi non negant. Iſti enim tantùm rident, quod ex Nizahone refert Munſterus, cùm כרו legendum eſſe audiunt, vel crucifixionem intelligendam eſſe, quippe quæ non fuerit in uſu apud Iudæos ſuos. Nec vident miſeri tanto manifeſtius eſſe oraculum de Chriſto, cùm nec in Davidem conveniat, nec potuerit in ullum hominem Iudæum convenire, ſi Chriſtum exceperis, qui prorſus mirabili Dei diſpenſatione, à Præſide Romano cui parebant Iudæi addictus eſt crucis ſupplicio apud Iudæos inuſitato, ut Scripturæ implerentur.

Ad tertium è veteri Teſtamento argumentum Reſp. non hîc tantùm ſed alibi ſæpe affixa ejuſmodi permutari; quippe littera מ ſæpe in iis redundat: quod ex Iob. xx. 23. & xxii. 2. clarum eſt. Conſulatur Kimchi in Grammaticâ ſuâ, ubi de מו ita loquitur יבוא על הרבים ועל היחיד *accipitur de pluribus & de uno.* Quid manifeſtius? ſed & hoc ipſum ibidem adductis exemplis probat. Mirum igitur eſt ita ſui oblitum Abravanielem ut Nazarenos hoc eſt Chriſtianos interpretes perperam convertiſſe dicat Commentario ad hunc locum, quem ſpectare contendit, non ſecus ac totum caput, non ad Meſſiam ſed ad Iſraëlem. Nec aliter Rabbi Moſes Alſchechi. Sed primò non ita Uzielides Chaldæus Paraphraſtes; aliique Iudæorum majores qui de Meſſiâ disertè interpretantur. Secundò LXX Seniores Iudæi ſic reddunt Ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν τοῦ λαοῦ μου ἤχθη εἰς θάνατον. *A tranſgreſſionibus populi mei ductus eſt ad mortem.* Quis? non ſanè populus meus, dicendum enim fuiſſet *A tranſgreſſionibus* ſuis; ergo Meſſias. Tertiò Abravaniel ubi contendit de Iſraële loqui Prophetam, contendit eum de Iſraële loqui tanquam de *uno homine*: jam verò ſi plaga *iis*, reddendum eſt, non ampliùs tanquam de uno loquitur, ſed tanquam de pluribus. Quartò idem Abravaniel in expoſitione illâ quâ totum hoc nobiliſſimum oraculum totius Veteris

Digitized by Google

Veteris Teſtamenti refert ad Ioſiam Iſraëlitas loquentes facit, qui tamen cùm Propheta dicit, *plaga iis*, Iſraëlitas jubet intelligi. Atqui dicendum fuerat *A tranſgreſſione populi noſtri plaga nobis.* Nec minùs eſt durum accipere למו pro לנו quam pro לו cùm prius exemplo careat, non poſterius: Quippe ſupra ea quæ ſunt jam commemorata deprompta ex Iobo & à Kimchio laudata, occurrit למו apud ipſum Eſaiam XLIV. 15. ubi de uno duntaxat idolo ſermo eſt Quintò non eſt inſolens nec inuſitata in Scripturis Enallage numeri, cujus exempla non minùs mirabilia reddemus alibi. Præcipuè verò id fert Hebræi conſuetudo ſermonis, ut quoties de rebus aut perſonis excellentibus licet ſingularibus mentio eſt, adhiberi poſſit multitudinis numerus, ſed magnitudinis non multitudinis deſignandæ gratiâ. Sextò ſi referantur ad populum Iſraëliticum verba hæc, manifeſtâ laborabunt falſitate. Erit enim ſenſus, *A tranſgreſſione populi mei plaga ei* nempe *populo meo.* Atqui ſervus ille Dei quem deſcribit Eſaias futurus erat innocentiſſimus, nulli culpæ affinis, nec propter ſua ſed aliena peccata percutiendus. Nihil igitur magis adverſum adferri potuit Prophetæ ſcopo quàm Iſraëlem intelligi, cui propter tranſgreſſionem propriam ea quam commeruit plaga inflicta ſit. Sed neque Gentiles hîc loquentes, niſi abſurdè, feceris, ob illa verba, *Populi mei*, quæ non poſſunt Gentiles uſurpare: neque verò poteſt Iſraël de Gentibus loquens introduci: Solemnis enim eſt interpretatio Magiſtrorum ad hoc Eſaiæ caput, Iſraëlem ut dicant affligi, cùm affligi Gentes debuiſſent, ac immeritum luere delicta Gentium: dicendum ergo fuiſſet ex adverſo, *A tranſgreſſione eorum*, nempe Gentilium, *plaga populo meo.* Cùm ergo nec Iſraëli nec Gentibus hæc oratio conveniat, conveniat autem apprimè Deo vel Prophetæ de Meſſia loquenti, magis decet nos ad inſtitutum Eſaiæ totamque ſeriem ſermonis reſpicere, quàm in voculæ unius ancipiti ſenſu tricari. Denique ſeptimò ſi quis pervicax vel meliùs ut dicam, pertinax & cedere neſcius fuerit, & cum Theodotione ac Symmacho *plaga iis* multitudinis numero retinere voluerit ac de populo interpretari, poterit huic ſatisfieri, ſi dicamus deſcribi pœnas quæ manebant populum Iudæum propter excîſum Chriſtum. *Excidetur è terra viventium* à populo meo, itaque *plaga iis* incumbet nimirum populo huic *propter tranſgreſſionem* ab ipſo admiſſam in ejuſmodi exciſione: vel *Excidetur è terra viventium* nempe ut lueret pœnas quæ populo imminebant ob ſuas prævaricationes, *A tranſgreſſione populi mei plaga iis* nempe toti populo, impendebat, & quidem pœna excidii; niſi Chriſtus pro iis nempe pro populo fuiſſet exciſus. Minimè igitur veriſimile eſt hunc locum à Iudæis fuiſſe corruptum, qui pro iis, *ὡς κεῖται*, adeò non facit.

Ad *quartum* Reſp. *ἐναντιοφανῆ* multa ſed non *ἀδιάμαχτα* occurrere in Scripturis: quæ *nobis apparent* contradictoria, non *ἐν τῷ εἶναι* ſed *ἐν τῷ φαίνεσθαι* ſunt talia. De quibus profectò juſtum volumen condi poſſet. Si vera eſſet, ac *realis* demonſtrari poſſet contradictio, præſtare fateor corruptionem admittere quàm contradictionem in Scripturis; cùm prior homi-

hominibus tribuatur, poſterior in autorem Scripturarum Deum ipſum refundatur. At nulla talis revera, ſed quæ talis *videtur*, occurrit: certè nulla talis demonſtrari poteſt in Codice divino; cùm enim pleræque à nobis conciliari poſſint, ex iis judicium de aliis fieri debet. Poſſunt nempe conciliari, licet minùs à nobis. Exorietur aliquis poſt nos, qui majori pollebit induſtriâ, & uberiori ſpiritus copiâ. Fateamur igitur ignorantiam noſtram non illibenter; & quemadmodum Philoſophus dari poſſe minimum agnoſcit in naturâ, ſed τῇ ἀδυναμίᾳ τοῦ τέμνοντος, indiviſibile, quod licet dividi poſſit, non eſt qui dividat; agnoſcamus & nos dari poſſe ἄλυτον in Scripturâ, ſed τῇ ἀδυναμίᾳ τοῦ λύοντος, inſolubile, quia licet ſolvi poſſit, nemo eſt homo qui ſolvat, Gordium veluti nodum. Quaſi verò non & in aliis diſciplinis eæ difficultates occurrant, quæ ſolvi poſſunt, & quas poſſe ſolvi certum eſt, quæ tamen à nullo mortalium ſoluuntur, quod vel exemplo illo tralatitio patet *de Quadraturâ circuli*; ne jam idipſum in Phyſicis aliiſque diſciplinis oſtendamus, quod in promptu eſt. At, inquies, in locis benè multis, alii non legunt, alii legunt particulam לא *non* quæ ſæpe cum לו *ei* confunditur, atque ita ex propoſitione affirmante negans & Contradictoria efficitur. Conſtat, fatebor enim, aut quindecim aut paulò plura loca eſſe, in quibus ejuſmodi varietas Lectionis, quæ magni ſanè momenti videtur, occurrat. Si quis tamen loca percurrat illa omnia, vix deprehendet ſenſum hinc aliquod grave detrimentum pati, utravis obtineat lectio. Exempli gratiâ Job. XIII. 15. Occidat me לֹא אֲיַחֵל *in eum ſperabo*, ſi textum ſequaris contrarius ſenſus exiſtet, *non in eum ſperabo*, ut לא *non* videatur poſitum pro לו *in eum*. Sed revera, utrumvis legas, nihil intereſt, modò ad negationem punctum interrogationis adjungas, hoc pacto; *non in eum ſperabo?* hæc quippe interrogatio æquipollet affirmationi. Sic 2 Sam. XXI. 18 dicit Cuſchai Abſalomo, *Ipſius ero*: ſed ſcriptum eſt לא; legendum ergo cum interrogatione ſic: *Nonne illius ero quem Dominus elegerit & iſte populus?* Pari planè pacto Eſa. XLIX. 5. וְיִשְׂרָאֵל לֹא יֵאָסֵף *& Iſraël non colligetur*. Keri notat legendum לו ei. Aquila Ισραὴλ αὐτῷ συναχθήσεται. Theodotion & Symmachus, quod ſcriptum eſt, ſive τὸ Cetib reddiderunt, οὐ συναχθήσεται. Kimchi legit per interrogationem, *& non colligetur Iſraël?* itaque res eódem propemodum redit. Sic Ezech. V. 7. *juxta judicia nationum quæ circa vos ſunt* לא *non feciſtis:* hîc לא penitus redundare videtur: præceſſerat enim: *judicia mea non feciſtis*; ergo ſiquidem opponuntur Judicia Dei judiciis gentium, dicendum erat Judæos qui priora non fecerant, poſteriora feciſſe, quod adſtruitur præterea Ezech. XI. 12. ubi res eadem repetitur abſque negatione. Facilis eſt ſolutio. Vel per judicia gentium intelliguntur Ethnicorum facta & cogitata præclarè, virtuteſque morales quas edebant, dum ea quæ ſunt Legis, naturâ faciebant: quo ſenſu Chaldæus Paraphraſtes *non feciſtis* reddidit: Optimè autem redditur, *Ne quidem ſecundùm judicia gentium feciſtis*, quod ex quarto commate liquido probatur: *Commutavit*

enim

Digitized by Google

enim judicia mea in impietatem magis quàm Gentes. Vel per judicia Gentium intelligentur earum facinora turpia & ſcelera horrenda: quo ſenſu Ezech. xi. 12. ſumi debent: *Feciſtis ſecundum judicia Gentium quæ circumſtant vos.* Qui locus omninò parallelus ejuſdem Prophetæ perſuadet nobis, ſalvo doctiorum judicio, in priori loco verba hæc legenda eſſe cum interrogatione, *& ſecundum judicia Gentium quæ ſunt circa vos annon feciſtis?* Ut nihil ſit aliud in priori loco *Non feciſtis?* quam in poſteriori *Feciſtis.* Hanc arbitramur eſſe planiſſimam viam, quâ concilientur hæc duo loca ejuſdem Prophetæ iiſdem verbis concepta, niſi quòd in eorum altero negatur, quod affirmatur in altero. Sic apud eundem Ezech. III. 6. אם לא *Si non ad eos miſero te, ipſi audient te*: Senſus poſtulat: *Si miſero te.* Itaque לא redundabit. Sed non redundat. Nam & in jurandi formulis אם negat, אם לא autem affirmat per Ellipſin. Confer Eſa. v. 9. & xiv. 24. & præterea Kimchi ad hunc Ezechielis locum אם לא ait eſſe vocem jurantis & capi pro באמת ut ſit mens: *Revera ſi miſiſſem te ad populos multos*, &c. Ac demùm quid impedit quominus & huic addatur interrogationis nota, & ſic reddatur: *Nonne ſi miſiſſem te ad populos ignotæ linguæ, audirent te?* Liquet ergo additâ interrogationis notâ negativam particulam in affirmantem & quidem vehementer affirmantem converti, ubi opus eſt. Sed & aliæ ſunt rationes conciliandi ejuſmodi loca quæ ſibi adverſantur & contradicunt φαινομένως, de quibus alibi.

Ad *quintum* Reſpondeo dubitari non poſſe quin loca ſint nonnulla, in quibus mutatis punctis exiſtit ſenſus planior & illuſtrior, ut in Novo Teſtamento mutato ſpiritu, vel accentu, vel interpunctione. Calvinus exemplum ſuppeditat hujus rei luculentum Zach. xi. 7. in voce חֹבְלִים *perditores* quam parùm exiſtimat cum ſcopo Prophetæ conſentaneam, & legendum omnino adhibitis aliis punctis חֲבָלִים *funiculi.* Sic Abdiæ 7. לַחְמְךָ viri pacis tuæ vel qui comedunt in menſâ tuâ, ut Chaldæus reddit, legendum videtur לֹחֲמְךָ *qui pugnant adverſus te* prævaluerunt. Qui ſenſus mirè convenit. Sic Pſalm. xlv. 5. וַהֲדָרְךָ *& in magnificentiâ tuâ* legerunt LXX הַדְרֵךְ ἔντεινον *intende arcum* convenientiùs cum iis quæ ſequuntur: *Sagittæ tuæ acutæ ſunt.* Sic in Cantico Cantic. דֹּדֶיךָ *Amores tui* LXX μαστοί σου, legerunt דַּדֶּיךָ *ubera tua.* Rectiſſimè autem ubera cum lagenis vini comparari facilè ſibi perſuadebit qui Solomonis hoc eſt ejuſdem Autoris illud attendet, *Ubera ejus inebrient te*, in Proverbiis: quanquam non diſſimulandum eſt Sponſæ meliùs quàm Sponſi ubera laudari, quod Mercerus obſervat. Fateor & eſſe contrà loca benè multa quæ ſi punctis aliis utâre, incommodum ſenſum aut minùs verum dabunt. At tu mihi commodiorem ac veriorem præferto, alterum inſuper habeto. Dixeris; *Quot capitum vivunt totidem ſtudiorum Millia.* Placebunt hæc mihi, alia placebunt aliis puncta. Quid tùm poſteà? Et alia aliis interpretatio placet in difficilibus aut ambiguis locis. Optima tamen ea cenſeri debet quæ cum ſcopo Autoris, & ſerie ſermonis, & Scripturæ locis aliis, & ana-

logiâ Fidei maximè convenit. Porrò in variis illis lectionibus plerumque poteſt utraque ferri, debet interdum utraque probari lectio, vix ut ſcias utra præferri mereatur. Unde crebrò Chaldæi Paraphraſtæ, nec minùs crebrò LXX utramque ſimul amplectuntur & in verſione ſua commiſcent. Si falſum aut contrarium Scripturæ aliis locis fortè occurrat nonnihil, ad Hiſtoriam vel Chronologiam pertinebit, non ad dogmata Fidei, vel incentiva pietatis. Nondum certè quiſquam experiundi cauſâ produxit exemplum, ex quo mutatione punctorum conceſſâ, magna labes quædam vel pernicies timenda videatur. Illum autem nihil moror qui protervè magis quàm periculoſe mutatis in ipſo limine primi Pſalmi punctis alium quidem ſenſum, at nec à Fide alienum nec vero contrarium excudit. Nam ita luſit: אשר יה איש אשר לאה לך בעץ תרש עזם ובדרך חטא ימלא עמדו במושב לצים לאיש בכי *Canam Deum hominem qui paſſus eſt pro te in ligno, pauper fortitudo eſt facta, & pro generatione tuâ expiavit, conſecravit columnam ſuam in Cathedram pro manibus viro fletus*, cùm juxta puncta recepta & veritatem rei ex iiſdem conſonis hic ſenſus emergat, *Beatus vir ille qui non ambulat in conſilio improborum, & in via peccatorum non ſtat, & in conſeſſu deriſorum non ſedet, verùm*, &c. Quod quid aliud eſt quàm ludos in ſacratiſſimo Scripturarum campo facere? Prodit ſeſe ultrò & anxia operoſitas molitionis hujus & vana deſtinatio. Fateor inſuper non tantùm in punctis atque vocalibus, ſed etiam in litteris atque conſonantibus occurrere varietatem non à Scriptorum θεοπνεύστων ſed ab exſcriptorum oſcitantiâ profectam. Nempe opere in longo fas eſt obrepere ſomnum. Præſertim verò & ſæpiùs id contigiſſe reperias in litteris vel ejuſdem organi vel ſimilis formæ, quanquam & in litteris contigit iis quæ nullam neque ſoni, neque Figuræ ſimilitudinem habent, ſed multò rariùs. Cur autem multò rariùs? niſi quia non ita proclive eſt peccare in hiſce quàm in illis? Nemo enim neſcit, nemo non videt quam pronum ſit ב pro כ & ג pro נ & ד pro ר & ה pro ח & י pro ו & ז pro ן & ט pro מ & ס pro ם, &c. ponere. Quod experimur quotidiè in Græcis etiam, & Latinis. At in cæteris litteris rari ſunt lapſus ſcribarum, ac fere in nominibus propriis ac numerorum notis: Conſulatur Kimchi in 1 Chron. I. 7. Atqui planum eſt neque propria nomina nec numerorum notas ad integritatem Fidei noſtræ pertinere. Quid enim quæſo ad conſolationem aut ædificationem piorum intereſt, utrum Filio Achaz nomen fuerit Joram an Jaram 2 Chron. VII. 36. & IX. 42. Quid utrum primogenitus Joſiæ Regis filius vocetur Johanan, an Jehohaz? quid utrum Salomonis artifex dicatur Hiram an Horam? Aut quid refert ad ſalutem Ianitores filii Sallum fuerint 139 numero, ut habes apud Eſdram, an 138 ut apud Nehemiam legis? vel cantores & cantatrices fuerint ducenti an ducenti cum quadraginta quinque, quorum prius ab Eſdra, poſterius à Nehemia proditur? vel tunicæ Sacerdotibus datæ fuerint centum an ſexaginta ſeptem? vel Salomon habuerit equorum præſepia 40000 ut ſcribitur 1 Reg. IV. 25. an 4000 tantùm 2 Chron. IX. 25? vel columnæ Templi æreæ altitudine

Digitized by Google

tudine fuerint triginta quinque cubitorum an triginta ſex, 2 Chron. III. 15. & 1 Reg. VII. 15? vel ſervi Salomonis attulerint ex Ophir talenta 450, ut habetur 2 Chron. cap. VIII. an 420 duntaxtat ut 1 Reg. IX? & quæ ſunt his ſimilia. In quibus profectò ſitæ non ſunt Chriſtianorum opes, quibus non aliud ſub cœlo nomen quàm Chriſti, non alius quàm Trinitatis in cœlo numerus pro ſacroſancto habetur & ſalutari.

Ad *ſextum* Reſpondeo fateri nos ultrò varietatem lectionis obſervari poſſe non modò in vocalibus & conſonis, verùm etiam in vocibus ac verſibus integris, nec tantùm loco citato ſed aliis non paucis ex libris Samuëlis, Regum, & Paralipomenon in quibus idem cùm narretur, aliter paulò narratur. Sic 1 Paralip. XI. 37. qui vocatur frater Nathan, 1 Sam. XXIII. vocatur filius Nathan, quæ duo ſunt prorſus ἀσύστατα. Sic 1 Paralipom. XIX. 17. qui dicuntur percuſſi à Davide pedites, 2 Sam. X. pro peditibus equites dicuntur. Tùm in Acroſtichis Pſalmis & Ieremię Threnis deficere videtur aliquid in notis Alphabeticis, ut Pſal. XXV. littera Beth deſideratur. Sic 1 Regum VIII. 10. deſiderantur tres verſus ſolidi qui leguntur ſed incluſi parentheſi 2 Chron. VIII. 11. Sic 1 Reg. XI. pariter deſiderantur tria commata integra quæ leguntur 2 Chron. VIII. 14. Sed primò aliud eſt varietas aliud corruptio. Deinde varietas quædam eſt ab ipſis Autoribus profecta, dum eandem rem non iiſdem verbis expreſſére, alia verò ab exſcriptoribus, dum aliud, ut fit, egérunt. Adde quod Parallela ſæpe loca videntur propter ſimilitudinem, quæ reapſe non eſſe talia poſſis deprehendere, ſi penitiùs introſpexeris. Ad exemplum propoſitum quod attinet ex Ioſ. cap. XXI. 35. primò reſpondeamus in ſpecie: Deinde *in genere*, ut ad omnia ſimilia pateat ſolutio ἁπαξαπλῶς. Ac *in ſpecie* quidem non vulgarem in hoc loco propoſito difficultatem agnoſcimus. Nam primò conſtat nec tempore Talmudis nec tempore Maſoretarum extitiſſe duos iſtos apud Ioſuam verſiculos. Nec agnoſcit eos Paraphraſtes Ionathan. Unde patet ante Chriſtum fuiſſe ſubmotos. Teſtatur porrò Kimchi, *ſe non vidiſſe duos iſtos verſus in aliquo libro vetuſto & correcto.* In Maſorâ disertè ſcriptum docet magni vir judicii Maſius eos in antiquiſſimis exemplaribus non extare. Atqui neceſſarii omnino ſunt hi verſiculi duo, ut conſtet numerus & quadraginta urbium Levitis aſſignatarum & duodecim urbium aſſignatarum Meraritis. Quam in rem neceſſe eſt quatuor illas urbes Rubeniticas computare ſicuti computantur 1 Chron. VI. 78. 79. unde petierunt eos & apud Ioſuam reponere non dubitarunt Regia Biblia, Munſterus & recentiores omnes poſt LXX & Vulgatum Interpretes. Quod rectè ac ordine factum eſt. Non enim ſine numine contigit, quod hi duo verſus apud Ioſuam omiſſi commodùm occurrunt alibi: nec ſupplendi fuerunt ex ingenio aut conjecturâ, ſed ex ipſâ divinitùs datâ Scripturâ. Non igitur corruptela fuit. Quorſum enim quod eraſiſſent corruptores ex Ioſuâ, reliquiſſent intactum in Chronicorum libro? At quicquid demùm fuiſſe arbitréris, admirare mecum ſodes Providentiam Dei, qui non paſſus eſt nocere, quod paſſus eſt obrépere vitium: χάσμα

quippe illud Ioſuæ nullo negotio impleri ac ſarciri poteſt ex divinis Chronicorum libris. Hùc accedit quod ævo noſtro labes illa non occurrit in exemplaribus noſtris, & neceſſitatem hujus emendationis ex ipſâ Scripturâ deprompta, non ex hominum arbitrio, Chriſtiani pariter & Iudæi agnovére. Ac demùm in Vulgatâ verſione habentur hi verſiculi duo, quæ Verſio Pontificiis authentica eſt. Nulla igitur inter nos de hoc certè loco debuit eſſe controverſia. Denique ut *in genere* non ad hunc modò, ſed alios ejuſmodi, quotquot produci poſſunt, reſpondeamus, dicimus quamvis omnino deſiderarentur hi duo verſiculi, nec aliunde poſſent ſuppleri, quamvis ignorarentur nomina, & non conſtaret numerus illarum urbium, incommodum quidem illud, at nequaquam pernicioſum fore, cùm nullum hinc dogma Fidei pendeat. Quid porrò ad Fidem intereſt fuerint pedites an equites à Davide profligati Syrii? Quanti verò illud momenti putas, quod in Acroſtichis & Alphabeticis Pſalmis Davidis aut Ieremiæ Threnis una vel altera deſideratur littera? Non propterea peribit ullus apex Scripturæ divinæ, non ullum Iota promiſſionum, non ulla cœleſtis doctrinæ particula. Hoc enim Scripturam divinam vocamus, non verba & voces, quatenus graphicè vel grammaticè ſpectantur. Omitto dicere, Spiritum ſanctum etiam tùm cùm ſeſe alicui ordini adſtringit non mancipat, oſtendere voluiſſe indidem nulla neceſſitate aut *μικροφιλοτιμίᾳ* id à ſe fieri: ac nonnullas ideò in ordine Alphabetico vel prætervectum eſſe litteras vel tranſpoſuiſſe; quod patet ex Ieremiæ tertio & quarto capitibus, in quibus clarum eſt non per *ἀπροσεξίαν* aut *παρόραμα*, vel hominum incuriam vel temporum injuriam inoleviſſe tranſpoſitionem, quam Propheta prudens adhibuit, ſuo uſus judicio, non aliquis exſcriptor per oſcitantiam: quippe ipſe Ieremiæ ſcopus, ipſe tenor totius orationis perturbationem illam litterarum ac tranſpoſitionem neceſſariò poſtulat. Quod cum hîc manifeſtiſſimum ſit, in aliis fortaſſe nos latet. Quicquid id eſt, non in verborum & vocum copiâ vel defectu ſed rerum ac doctrinarum poſita eſt Scripturæ plenitudo vel labes. Quamvis igitur periiſſent in totum hi duo verſiculi, neque comparérent ullibi, non tamen ex corruptelâ ejuſmodi vel jacturâ Veritas inſigne detrimentum pateretur, quæ nunc quæſtio agitur. Quid autem hos duos dico verſiculos, cùm tametſi deſiderarentur in Eccleſiâ unus aut alter non verſiculorum, ſed librorum Canonicorum, tamen ex aliis abunde ac *ἀφθόνως* doctrina ſalutis hauriretur?

Ad *ſeptimum* Reſpondeo illos ipſos qui ſunt in eâ ſententiâ, corrigi poſſe ac debere Scripturam, ubi neceſſitas id poſtulat, leviter mutatis locis, & reſtitutis conſonis quarum eſt affinis. Scriptura, cùm aliæ in aliarum vicem facilè ſubrepant; vel aliis punctis adhibitis; tamen exiſtimare vix aliquem dari locum vel afflatum hoc vitio, vel tali auxilio indigentem inter eos quibus doctrina ſalutis continetur. Ac ut alios fateamur aliis majoris eſſe ponderis, & ut Ethnicus ille, *nihil in religione minimum*, nos in Scripturâ dicamus: tamen hoc certum eſt, quas illi corru-

corruptelas in ſacro textu inoleviſſe ſuſpicati ſunt vel deprehenderunt hactenus, non eſſe tanti,ut non eorum cenſurâ facilè carere potuerit res Chriſtiana; Talia enim non obſervata nullum piis damnum, obſervata etiam nullum cordatis offerebant ſcandalum. Dicunt Hebræi quidem אין בתורת אפילו אחת שאין הררים גדולים הלוים בה non eſſe in Lege litteram vel apicem unde non magni montes dependeant. Sed aliud ſunt montes,aliud Fundamenta doctrinæ. Montes illi quatefiant & moveantur viribus, non dimovebitur Fœdus pacis meę,inquit per Eſaiam Dominus. Adde quod etiamſi fundamentalis aliquis locus corrumperetur ac everteretur, non tamen illicò fundamentum ſubrueretur. Ex aliis quippe locis conſtabilitum ſtaret. Hymenæi & Philetæ quidam ex loco illo adulterato fidem nonnullorum ſubruere ac *ἀνατρέπειν* audebunt. Sed reſpectu electorum fruſtra erunt. Fundamentum enim Dei firmum ſtat, ſigillo munitum duplici, electionis Divinæ in cœlo, & ſanctificationis noſtræ in corde 2 Tim. II. Quanquam igitur vix ullus productus eſt locus hactenus, in quo mutatis punctis magnum vel adjumentum vel detrimentum adferatur iis quæ ſunt ſaluti neceſſaria, vel *οὐσιώδη* fidei; largiamur tamen aliquem dari poſſe locum, qui pravis inſignitus punctis fundat ſenſum non modò parùm commodum ſed etiam periculoſum. Quod periculoſum,non continuò pernicioſum eſt. Quod in uno loco periculum creat, id ex aliis paralſelis & conſimilibus locis cavere poſſumus ne perniciem inferat. Exempla duo luculenta demus; alterum ex priſco repetitum ævo, alterum ex noſtro natum & nimis novum. Prius ex Proverb. VIII. 22. deſumitur. Quo loco magna labes facta eſt, Patrum ævo. *Dominus poſſedit me*. Patres legerunt. *Dominus creavit me*. Quippe legebant *ἔκλισε* pro *ἔκτησε*, proclivi, ſed intereà turpi etiam dixiſſem lapſu, niſi me Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Irenæi, Athanaſii, Epiphanii, Baſilii, utriuſque Gregorii, Cyrilli, Tertulliani, Ambroſii, Auguſtini, Lactantii, & aliorum qui mihi excidunt, reverentia teneret. Nempe Græca legerunt perperam, Hebraïca non intellexerunt,quod intereà ſplendidum Ario argumentum dedit; donec aut iidem aut alij ſurrexére Patres, qui labe detectâ, in aliis primò codicibus *ἐκτήσατο* non *ἔκλισε* legi proteſtantur; deinde tandem ad Hebræos fontes confugiunt, præſertim verò Hieronymus non uno in loco. Sed ad inſtitutum noſtrum pertinet magis Epiphanius, qui hæreſi 69 ubi de tota re fuſam diſſertationem inſtituit, Hebræam vocem duplici gaudere ſignificatu narrat: deſignare nimirum vel *ἐκτήσατο με*, vel *ἐνόσσευσε με* vel *poſſedit me*, vel *quaſi pullum excluſit*. Nempe punctis variis pro arbitratu Epiphanius in Hebræo utebatur. Quod niſi concedas, nunquam ex Hebræo vocabulo hunc geminum ſignificatum, ac ne umbram quidem alterius exſculpſeris. At ſi puncta commutes plana erit mens Epiphanii. Nempe ſenſit potuiſſe legi vel קָנָנִי ut legimus nos, vel קִנְּנִי quod reddebat *ἐνόσσευσε με*, inſtituto ſerviens, ut fit, ſuo, ut hinc generationem æternam Filii moliretur: *quaſi pullum excluſit me*:

 atque

atque hanc interpretationem priori quæ ſola vera eſt non dubitavit anteponere. In eo non audiendus tamen; cùm præſertim vox קנן unde vox illa juxta poſteriorem deducitur ſenſum, *nidificavit* ſignificet quidem, at non *pullum excluſit*. Tantùm in Epiphanio potuit cauſſæ ſtudium, quem alioqui *peritum Græca, Syriaca, Hebraïca, Ægyptiaca, & ex parte Latina linguæ* prodit Hieronymus. Iam verò licet aliò quàm oportuit Epiphanius locum detorſerit; licet alii Patres hallucinatione ſuâ non leve Ario præſidium commodarint, an propterea peſſum ivit orthodoxa Fides? Minimè gentium. Edocti enim Patres optimi ex aliis Scripturarum locis & certâ perſuaſi fide increatum ac æternum eſſe Dei Filium, quidvis potiùs comminiſci maluérunt quàm in Arii ſententiam deſcendere. Hinc illa interpretationum ſylva; dum nihil non potiùs eligunt quàm ut à Veritate, quam tot aliis teſtimoniis conſtabilitam & in corde ſuo à Spiritu Dei obſignatam tenebant, dimoveri ſe patiantur. Videas alios de carne locum accipientes & Chriſto ſecundum naturam humanam creato; & in his Athanaſium. Alios ad ipſam Prædeſtinationem hæc omnia referentes, & inter eos Ambroſium. Videas & alios de generatione Filii æternâ non renuentes accipi vocem *creandi*, & in horum cenſu Origenem. Invenias & non paucos qui ſubtiliùs voces *creandi* & *gignendi* conjungendas eſſe dicant, & neutram eſſe propriam, ſed alteram alterius opem poſcere, ut myſterium illud ineffabile deſignetur, & inter alios Baſilium. Alios autem obſerves apud Nazianzenum orat. XXXVI qui ſapientiam non increatam ſed creatam quæ per Proſopopœjam loquatur, intelligendam dicant. Nec deſunt qui non loqui Dei Filium hoc loco, ſed Eccleſiam arbitrentur. Denique ſunt, qui creandi vocem accipiunt non de productione ex nihilo, ſed de conſtitutione atque ordinatione ut 1 Pet. II. 13. Magiſtratus *creatura* dicitur. Adeò ſe partes in omnes verſarunt, ut quod hinc Arius telum contorquebat, declinarent. Nòn igitur loci alicujus vitium continuò Fidem labefactat, cùm præſertim tractu temporis accedant, qui detecto vitio remedium adhibeant. Pari planè pacto ſi quis propter varietatem punctorum locus in mendo cubaret etiam in re magni momenti, non propterea Veritas inſigne detrimentum pateretur: Nulla eſt enim neceſſaria veritas quæ non in compluribus locis proponatur. Atque hoc prius eſt exemplum ex antiquo, ſuccedat alterum ex ævo noſtro petitum. Quàm falſò Gen. cap. III. 15. pro *Ipſum* conteret tibi caput, *Ipſa*, reddiderit Vulgatus interpres, clarum eſt. Attamen huic errori, quem authenticum eſſe jubet Synodus Tridentina, ſtatuminando turpe miniſterium præbuit Guido Fabricius Bodeрianus, qui non dubitavit mutare textum in Hebræa origine, ut apprimè vulgata ei Verſio jam reſponderet. Qui verecundatus eſſet culpam Verſionis hujus notare vel emendare, non erubuit ſacrum contextum violare. Quippe in Bibliis interlinearibus cum opere Regio excuſis audacter ſane adſcripſit *chirich* הִוא *Ipſa*, & *Keri* appoſuit, quaſi Maſſoretàrum autoritate prætexens facinus tantum. Quod & nonnullis impoſuit, aliis autem animum fecit per fas & nefas interpretationem

Digitized by Google

tionem illum propugnandi, nempe in gratiam beatæ Virginis. Non enim ſatis mirari poſſumus quòd in re liquidâ & profectò erubeſcendâ tantos Pontificii nonnulli ſumant ſpiritus ut noſtros homines quia ſequioris ſexus hîc articulum per manifeſtariam corruptelam inſultum non probant, ſalaces hircos & *maſculino generi nimium addictos* vocare non dubitent: Calvinum in primis velut ſtigmatiam iis maledictis proſcindunt, quibus deteſtandis alia ſe dabit nobis opportunior occaſio. Certè nunquam in Genevam conveniet quod Epigramma cum elogio Petrarchæ notiſſimo conſentiens Scaliger ſcripſit in Romam, cui nimis verum *Nomen ab inverſo nomine fecit Amor*. Sed ad rem. An illa corruptela tàm inſignis loci, de re tantâ cùm ageretur, magnam perniciem intulit? Fucum fecit incautioribus ut quotidie facit ſenſuum per interpretationes Sophiſticas depravatio. At non modò noſtri ex illo quantumvis in Beatiſſimæ Virginis honores divinos detorto loco nullum detrimentum ceperunt, nec à rectâ declinati ſunt ſententiâ; ſed Pontificii etiam ſaniores piam illam fraudem agnoverunt ac repudiarunt, adeóque interpretationem noſtram defendérunt, Marinus, Andradius, Ribera, Canus, alii. Non igitur uno aliquo loco, quantumvis in eo magni momenti res agatur, adulterato, luxatur cœleſtis veritas, quam variis eluceſcere in locis Deus Opt. Max. voluit, quò pluribus munimentis inſiſteret. Eſto igitur; ea, quam ſupponimus, mutandi puncta libertas in licentiam exeat, loca nonnulla dum ſatagit emendare, in fruſtrationes incidat: creabit quidem inter diſputandum ea res moleſtiam, ſed nullam veritati, quæ latere non poteſt, & ἀλήθεια inde nomen invenit, perniciem inferet. At nec illa quæ dicuntur hactenus occupaſſe menda ſacrum Codicem ſi quæ ſunt momentoſa Criticæ opis egentia, continuò Veritatis aut pietatis rationes conturbaverint. Solent quidem Pontificii articulum Fidei ſuæ in unico fundare Scripturæ loco, eoque obſcuriſſimo: At nos ii ſumus qui nullum doctrinæ Chriſtianæ caput creditu neceſſarium ex uno petamus duntaxat loco, ſed ex pluribus invicem collatis, & compoſitis, præſertim verò ex Euangelio depromptis. At, inquies, etiam in Euangelio variæ lectiones non à punctorum varietate ſed aliunde profectæ occurrunt, quæ corruptelam & quidem inſignem olent. Id modò expendamus, quando corruptelæ in Hebræo Veteris Teſtamenti quales fuerint, & quàm non obſint integritati Canonis docuimus, nunc de Græco Novi Teſtamenti videamus & ſupra poſitorum argumentorum ſecundæ claſſi reſpondeamus.

Secundò ad argumenta *ex Novo Teſtamento.*

Ad *primum* Reſpondeo difficillimam eſſe ſolutionem hujus nodi de *Kainan* vel apud Moſem atque in libro Paralipomenon deficiente, vel apud Lucam nec non Septuaginta redundante. Longè autem nobis veroſimilius eſt apud Lucam redundare, quam deficere apud Moſem. Primò quia faciliùs irrepere potuit uno loco quàm excidere tribus locis: Legitur autem in Novo ſemel tantùm, deſideratur verò ter in Veteri Teſtamento. Deinde quia Maſora notat ad 1 Paralipom. I. Duos

Duos eſſe verſus quorum in ſingulis di-ctionibus occurrit littera *v*: quod falſum eſſet ſiquidem hoc in verſu: *Schem, Arphacſchad, Schala*; qui verſus duorum illorum alter eſt, *Kainan* locum habuiſſet. Tertiò quia Moſes Chronologiam, & Hiſtoriam ſcribit, non igitur unam generationem ſine gravi noxâ omittere potuit. Quartò quia nonnulla ſaltem exemplaria Lucæ omittunt Kainan, ut Irenæus qui 72 generationes numerat à Chriſto ad Adamum, nec ei ratio conſtat, niſi Kainan omittatur. Adde venerabilis Bezæ Codicem qui non legit Kainan. At apud Moſem conſtanter omnia exemplaria Bibliorum Hebræorum, Chaldæorum, Latinorum omittunt Kainan. Denique quia manifeſtus eſſet parachroniſmus apud Moſem, ſi Kainan reſtitueris apud eum ex Lucâ: Non poteſt enim fieri ut Arphaxad ætatis anno XXXV genuerit & Sala & Kainan Patrem Sala, quod inde tamen ſequeretur: Apud Lucam verò ſi juxta Moſis autoritatem Kainan extruſeris, minori præjudicio feceris, nec rationes temporum ac hiſtoriæ conturbaveris. At verò apud Lucam & LXX Interpretes unde fluxit vox importuna *Kainan*? Vel apud LXX primò inolevit, unde in Lucam tranſiit, vel ex adverſo in Lucam primò irrepſit, ac deinde in LXX propagata eſt. Si *prius* dixeris cum Junio & Janſenio potuit Lucas quod apud LXX peccatum erat non emendare, quia nihil opus erat, nec vehementer ad inſtitutum pertinebat & illa Verſio in autoritate ac veneratione apud Iudæos erat. Fuerit ergo non fraus ulla, ſed erroris alieni diſſimulatio & tolerantia; quæ pia συγκατάβασις & ſancta œconomia ſubinde occurrit apud ſacros Scriptores quoties Veteris Teſtamenti loca recitant juxta LXX verſionem licet cum Hebræâ origine parùm conſentientem atque adeo hallucinantem, ne lis moveretur intempeſtiva de Verſionibus, cùm præſertim hallucinatio ejuſmodi propoſito minimè noceat. Si *poſterius* malis, primò quidni dicere liceat non propter unam vel alteram vocem ſuperfluam Veritatis neceſſariæ fundamenta convelli, aut propter numerum non accuratè initum? Sive prudens igitur Lucas non erraverit quidem, attamen errorem interpretationis receptiſſimæ non ita periculoſum corrigere omiſerit; ſive ab exſcriptoribus Kainan inſultum & apud Lucam & apud LXX fuerit, non hinc Veritas inſigne detrimentum capiet, quia non in genealogiis vertitur noſtra ſalus, & quia facile peti poteſt huic malo remedium ex Moſe. At, inquies, unde igitur apud LXX non modò nomen Kainan ſed etiam circumſtantiæ annorum & liberorum ejus? Hæc ſane ratio tanti Toleto & Cajetano fuit, ut vel propterea ſibi perſuaſerint LXX ſequendos hoc loco eſſe. Nos autem putamus Kainan apud Lucam vel ἀποβολιμαῖον dici poſſe vel γνήσιον. Si *prius*, non fraude aut dolo malo, ſed ſocordia factum eſt ut ex orâ obrepſerit in textum. Nempe omiſerat ſcriba vocem Cainan in commate trigeſimo ſeptimo ubi Kainan filius Henos memoratur; unde facile tranſire potuit in trigeſimum ſextum, cùm à Cenſore venit reponenda ex orâ in textum. Si *poſterius*; nihil hactenus probabilius allatum eſt, quàm ſublatâ interpunctione legendum eſſe τοῦ Ἔβερ, τοῦ Σαλὰ τοῦ Καινὰν,

τοῦ

ξ, &c. non autem ut vulgo τȢ Σαλὰ, τȢ καινὰν interpunctione inter Sala & Kainan adhibitâ. quaſi duæ generationes eſſent; cùm reddi debeat, *qui fuit Sala (qui & Kainan)* non autem *qui fuit Sala, qui fuit Cainan*, ut Sala & Kainan ejuſdem hominis dúo fuerint nomina. Quæ obſervatio aliis quoque difficultatibus in Scripturâ medetur. Hanc interpretationem qui ſugillare ſtuduerunt, meliorem aliquam protuliſſe debuerant. Quam dum expectamus, hac nobis frui liceat, cujus opportunitas eſt longè maxima. Nec enim aliquid vel addit, vel demit è Scripturâ, nec anſam præbet calumniæ, nec Moſem cum Luca committit, nec aliquid in Chronologiâ vel hiſtoriâ turbat, vel in Chriſti genealogiâ. Quæ malùm igitur hæc ærugo eſt explodere quo nihil melius afferas? Utinam verò vel Origenis extarent Hexapla, vel LXX verſio integra, vix dubitem quin ita conſtitutus hic locus reperiretur. Verùm ſciolus aliquis, cùm perperam interpungeret apud Lucam, & Kainan filium Salæ faceret, quæ unius ejuſdemque duo fuére nomina, ut majorem huic interpunctioni atque interpretationi autoritatem conciliaret non modo Kainan tranſire juſſit in Verſionem τ̃ LXX, ſed præterea ſeorſum ei ſuos & liberos & annos adſcripſit. At verò quia divinare non poterat quot vixiſſet annos hic novus Kainan, è proximo deſumpſit, eundemque numerum annorum & παιδοποιΐας & vitæ tum Kainan tùm Salæ attribuit. Sanè benè; quando unus idemque fuit. Quippe Kainan antequam Salam gigneret natus erat annos 130. Sala pariter antequam genuiſſet Eberum natus erat annos 130. Vixit Kainan poſt genitum Salam annos trecentos & triginta: totidem vixit Sala poſt genitum Eberum. Quis eſt tàm obeſæ naris ut non hîc fucum olfaciat? cùm præſertim quàm ſit lacera, mutila, & miſerè fœdata paſſim hæc LXX Verſio, niſi qui eam ignorat, ignoret nemo. Hùc accedit etiam quod Euſebius lib. I. παντοδαπῆς ἱστορίας inter poſteros Noachi non recenſet Salam, ſed Kainan. Nec enim Kainan à Sala diſtingui putavit. Nec tam nomen Kainan quàm cognomen fuit. Hieronymus *lamentationem* reddit. Coævus autem fuit Sala Kainan Nimrodi, cujus impietas & ſceleſta facinora huic Salæ ſive Kainan ſatis amplam lamentandi cauſam, & idoneum cognomini locum dedérunt. Sed hæ conjecturæ ſunt, inquies. Nec aliter, inquam, poſſunt hæ difficultates expediri, cùm genealogiæ Iudæorum interierint. Attamen rationes graviſſimæ ſunt, quibus perſuademur alterutrum; aut pravam eſſe interpunctionem duntaxat, quod levis eſt momenti, cùm in antiquis exemplaribus interpunctiones deſiderentur, atque ita Salam & Kainan non Patrem alterum, alterum Filium, ſed unum & eundem binominem fuiſſe: aut exſcriptorum fuiſſe vitium qui ex proximo Kainan in locum alienum ſed non remotum infulſerint: occurrit enim penultimo capitis commate. Optimè autem optimus Cordeſius (is eſt quem CL. deceſſor noſter laudat in Dubiis tacito nomine) demonſtrat in antiquiſſimis exemplaribus Kainan defuiſſe; non tamen cum eo fecerim ubi ex Hieronymo docet Apoſtolos & Euangeliſtas

O nun-

nunquam ſequi verſionem τῶν LXX niſi quando conſentanea reperitur cum Hebræâ origine. Nobis enim exempla in mundo ſunt magno numero, quibus contrarium apertiſſimè conficitur. Sed de his alibi. Placet autem in primis quod Hieronymus Quæſtionibus Hebraïcis in Geneſin, quo libro contradictiones apparentes inter Hebræum Græcumque textum ſtudioſè perſequitur, nullus meminit τοῦ Καϊνάν; quod Procopius Gazæus notat locum Geneſeos, in quo Kainan, obelo confoſſum velut ἐπεμβολιμαῖον; quod Theophilus Antiochenus Arphaxad Salæ patrem facit, omiſſo Kainan; quod in Euſebii Chronico autor ſit Scaliger deeſſe Kainan ubi tamen Euſebius ſe verſionem LXX ſequutum profitetur; quod Ioſephus & Euſebius conteſtantur Abrahamum à diluvio decimum eſſe, qui tamen undecimus erit niſi Kainan vel nullus vel idem fuiſſe qui Sala ſtatuatur; quod Epiphanius ita pariter computat hæreſi LV & generationem τοῦ Kainan omittit, ubi tamen LXX ſequitur; nam 135 annos Arphaxado attribuit, juxta LXX, cùm Salam genuit. Eſto igitur nullus, eſto idem; ut libet (alterutrum enim putamus dicendum) quod hinc tandem veritas inſigne detrimentum patietur? Si *nullus* ſit Kainan, ſed ex vitioſâ repetitione natus exſcriptorum oſcitantiâ, (non enim cum iis facimus qui fraudem hîc aliquam fuiſſe ſuſpicantur) corruptum ab exſcriptore rem humanam paſſo locum juxta Scriptorem divinum corrigito, Moſis autoritate non tuâ. Si verò *idem* Kainan qui Sala, & pro alio creditus ex pravâ interpunctione, tollere aude ſupervacaneam virgulam, quod non eſt nefas, tali præſertim loco. At ſive alius ſive idem ſive nullus, quid hoc ad fidem, aut ſalutem? Non in temporum rationibus Æternitas vertitur. In promptu eſt, Jeſum hominem ac Deum & mortuum & è mortuis excitatum confiteri, quamvis & Arphaxad & Kainan & Sala penitus ignorentur.

Ad II. Reſpondeo σφάλματα μνημονικὰ quæ videntur occvrrere in Scripturâ vel in numeris vel in nominibus propriis non eſſe magni momenti, & quamvis revera eſſent qualia videntur, non tamen hinc ullam doctrinæ cœleſti perniciem imminere. Deinde longe verecundius eſſe in re obſcurâ & ancipiti culpas ejuſmodi non in Scriptores divinos ſed in exſcriptores à quibus nihil humani alienum putamus, refundere. Cùm enim nondum reperta eſſet ars Chalcographica, & omnia manu ſcribenda eſſent exemplaria quàm proclive fuit opere in longo ſomnum obrepere? γραφικὰ igitur σφάλματα ſunto, vel μνημονικὰ ſed amanuenſium. Patet hoc in Matt. XXVII. 9. ubi quod recitatur ex Zacharia, Ieremiæ tribuitur. Cùm enim nec in Syrâ verſione nomen ullius adſcribatur Prophetæ, nec in exemplaribus antiquæ notæ nonnullis, aſpernanda minime videtur conjectura, quæ nullius à Matthæo Prophetæ nomen poſitum arbitratur, ſed ab exſcriptore ad oram Ζοῦ pro Ζαχαρίου compendioſè ſcriptum, Ἰοῦ lectum eſſe proclivi lapſu & in textum ſubiiſſe. Si verò Matthæus Hebraïce ſcripſit, forte apud eum ſcriptum eſt בְּיַד־הַנָּבִיא *per manum*

num Propheta :hinc autem verſo ד in ר legi potuit lapſu facillimo ביר quod in compendioſâ Scripturâ ***per Jeremiam*** vel ***in Jeremiâ*** ſignificat. Quod ut fiat probabilius & veriſimilius operæ pretium eſt notare Ieremiæ XXIII. extare juxta LXX mentionem diſertam de agro, quem Propheta jubente Deo emerat: cui rei non abſimilem rem hoc loco Matthæus narrat: Zachariæ autem verba juxta LXX Interpretes multum aliena videntur à Matthæi verbis. Exſcriptor igitur qui nôrat Euangelii ſcriptores crebrò LXX verſionem retinere, imò qui fortè ipſe non aliam tunc habuit in mente ac in memoriâ, cùm in uſu ſolemni & vulgari maxime vigeret illa verſio, facilè inductus eſt ut opinaretur mendoſum eſſe librum ex quo deſcribebat & à ſe corrigi poſſe: itaque cum Zachariam legeret, Ieremiam ſcripſit. At, inquies, ſic ſua Scriptoribus ſacris autoritas: at non ita continuò ſua Scripturæ ſacræ conſtabit integritas. Cùm enim tantùm ſibi permiſerint exſcriptores, tantoque ſucceſſu peccarint, ut eorum hallucinatio jam omnia propemodum exemplaria occupârit, non mediocriter labefacta videntur ſacra volumina. Reſpondeo ex hac objectione duo necti poſſe incommoda. Unum, corruptas eſſe ſacras litteras, quæ cùm ſint ipſa Veritas non alterum pro altero Prophetam Lectori obtruſére. Alterum, niſi corruptæ ſint laborare Fidem vel autoritatem Euangeliſtarum, qui memoriæ lubrico peccarint. Ad prius regero, ſi corruptus eſt locus non eſſe corruptelam in re magni momenti nempe in nomine proprio. Deinde correctionem non eſſe difficilem cùm exemplaria quædam non reddant Ieremiæ nomen, & ex collatione Veteris Teſtamenti cum Novo Veritas exquiri debeat Ad alterum dico magni momenti eſſe *ἀναμαρτησίαν* Scriptorum ſacrorum, ſed in doctrinâ & veritate cœleſti præcipuè; nec enim aucupatur anxiè atque curioſè voces & ſyllabas, qui mos eſt humanæ induſtriæ, Spiritus Dei: quem tamen voluit Auguſtinus hunc errorem ***ſecretiori conſilio providentia*** in amanuenſibus ſuis toleraſſe. Alioqui facile potuiſſe Matthæum id emendare ſaltem ab aliis admonitum, niſi cogitaſſet, non fruſtra recordationi ſuæ., quæ ſancto Spiritu regebatur, occurriſſe unum nomen pro alio, ſed Dei conſtitutione. Scilicet ut ita inſinuaretur omnes Prophetas eodem Spiritu eſſe loquutos, quaſi omnia quæ dicunt, uno omnium ore dicerentur, & ſingula eſſent omnium & omnia ſingulorum. Cùm igitur quæ per Ieremiam dicta ſunt tàm ſint Zachariæ quam Ieremiæ, ita Matthæum ſcriptum reliquiſſe, ut Dominus ei ad informandos nos de Prophetarum concordiâ ſuggeſſerat. Non igitur dubitat Auguſtinus, non poſt eum Viri magni, *σφάλμα μνημονικὸν* Euangeliſtæ tribuere in talibus: nec propterèa doctrina ſalutis collabitur. Hieronymus autem alioqui Auguſtino haud paulò audentior, tamen hîc factus eſt frugalior eo & cautior. ***Abſit,*** inquit, ***hoc de pediſſequo Chriſti dicere***, nempe quod errarit in nomine (quod antè dixerat & quidem commotior; ut Auguſtinum videatur tangere, cui & alibi non illibenter contranititur) ***cui curæ fuit non verba & ſyllabas aucupari, ſed ſententias dogmatum ponere.*** Cùm tamen hic adeò frugi Paulum detorquere

verba Prophetarum alibi dicere non verecundetur. Alii binominem fuiſſe volūt, Zachariam Ieremiam, ut de Salâ Kainan modò diximus. Nec omittenda eſt à nobis quæ Zachariam inter & Ieremiam neceſſitudo intercedit: adeò ut Iudæi perhibeant in Zacharia fuiſſe Ieremiæ ſpiritum. Nos multa notare poſſumus apud utrumque gemina & planè ſimilia. Solent autem diſcipuli Magiſtrorum & imitari ſtylum & ῥήσεις uſurpare. Videatur itaque non immeritò Euangeliſta Ieremiæ tanquam primo autori reddere quod ſcriptum quidem fuit à Zacharia, ſed à Ieremia ῥηθὲν ut Matthæus eleċtè poſuit (quanquam hoc alibi negligi diſcrimen ſcimus, ut dictum ſimpliciter dicatur quod ſcriptum eſt) & vivâ voce traditum Zachariæ. Ad alterum quod ſpectat exemplum de Zacharia qui dicitur filius Barachiæ à Chriſto, quem tamen Jehojadæ non Barachiæ filium prodit Eſdras, vel autor Paralipomenon, triplex veterum ſententia eſt à nobis obſervata; Prima Chryſoſtomi, ſecunda Theophylacti, tertia Hieronymi; quas eo ſtatuimus & digerimus ordine, quia prima minus quàm ſecunda veriſimilis, tertia veriſimillima. Chryſoſtomus quia Chriſtus de Prophetarum ſanguine loquitur exertè, Zachariam illum qui Prophetarum minorum duodecim unus eſt, jubet intelligi. Hunc enim certum eſt fuiſſe Barachiæ filium. Sed non ita certa cætera ſunt, quæ tamen ad id requiruntur, ut in hunc ea conveniant, quæ Chriſtus de Zacharia illo pronuntiat. Theophylactus autem non Prophetam illum ſed Baptiſtæ patrem à Chriſto laudari ac memorari putat. Quem ſummum Pontificem fuiſſe ait, & à Iudæis occiſum quòd Mariam Virginem in illo Templi loco ſtatuiſſet in quo ſtabant virgines, mulierem quæ peperiſſet, *ὡς μετὰ τῶν παρθένων τάξαντα γυναῖκα γεννήσασαν*, inquit. Hujus autem Patrem dictum eſſe affirmat Barachiam: ſicut enim Baptiſta cognominis erat illius Prophetæ unius è duodecim, quem conſtat fuiſſe filium Barachiæ; *οὕτω καὶ τὰ τῶν πατέρων ὀνόματα συνέδραμον*: ita & cognomines utriuſque parentes fuiſſe credibile eſt: ut ſi quis hodiè nomine Philippus filium Alexandrum vocari juberet. Sed hoc à Scripturis cùm non habeat autoritatem *eâdem facilitate contemnitur quâ probatur*, ut in hoc argumento loquitur Hieronymus. Quod intereà mirè conveniret. Abel enim primus, Zacharias noviſſimus & notiſſimus Iudæis duos veluti cardines à principio ad finem conſtituerent: adeóque verba illa Domini veluti *δεικτικῶς* adhibita, *ὃν ἐφονεύσατε*, *quem vos interfeciſtis* apprimè quadrarent. Hieronymus ergo exiſtimat hunc eundem fuiſſe qui dicitur filius Jehojadæ libro Paralipomenon. Quippe cum Abele ſolus hic merebatur conjungi, cui ſoli ut Abeli conveniebat quod Luc. XI. 50. 51. ait Dominus *Requiretur à natione hac*: quæ vox fuit & ſanguinis Abelis clamantis de terrâ Gen. IV. 10. & Zachariæ hujus morientis poſtrema vox *Videat Dominus & requirat* 2 Paralip. XXIV. 22. quæ mirum in modum conſentiunt. Sed & locus reſpondet: nam in atrio lapidatus eſt, qui dicitur à Chriſto inter templum & altare occiſus, nempe in ſubdiali ubi erat altare holo-

Digitized by Google

holocauſtorum æneum & inter templum hoc eſt ædem templi, & hoc altare, aliquod ſpatium. Supereſt igitur ut vel mendum fuerit non Scriptorum ſed exſcriptorum natum ex eo quod notior iis eſſet Zacharias Propheta, cujus patrem ſciebant fuiſſe Barachiam, tùm quia fortè locum ſuſpicabantur à Nazarenis corruptum in quorum Euangelio hic Zacharias dicitur filius Iehojadæ teſte Hieronymo: vel quod magis putem, ut binominis fuerit Zacharias ille occiſus in Templo, & Barachiæ cognomen uſurpaverit: cùm præſertim nomina Jehojadæ & Barachiæ admodum affinem ſignificatum obtineant. Mos autem eſt Hebræis ita variare nomina. Sed nemo non videt in nominibus non verti res Chriſtianorum, nec Domino aut Euangeliſtæ tribui poſſe quod amanuenſes peccarunt, nec eorum peccata quicquam officere Integritati Canonis, quæ ſita eſt in eo ut articulos Fidei & pietatis media pleniſſime planiſſiméque complectatur. § Ad animas ſeptuaginta, Gen. XLVI. quæ 75 numerantur in Actibus quod attinet nihil opus eſt hic myſterium quærere cum Auguſtino Pythagoricum, vel ſtatuere LXX Seniores in gratiam Regis Ægypti Ptolomęi, cujus accitu ſcribebant numeroſiorem Ioſephi qui tàm utilis fuerat Ægyptiis, familiam effeciſſe quinque additis, quod ut verum eſſet non perſolueret nodum: Stephanus enim & Lucas nihil habuére negotii cum Ptolomæo. Plauſibilior eſt eorum conjectura qui dicunt πέντε irrepſiſſe pro πάντες: Nam ſicut in Geneſi legimus, כל *Omnis* anima domus Iacob, quæ ingreſſa eſt in Ægyptum, ſeptuaginta: ita Lucas poſuerit ἑβδομήκοντα πάντες. At nihil veriſimilius eſt, quam Lucam ſequutum eſſe conſcium & prudentem LXX Interpretes etiam errantes in re leviſſimâ. Quod negari non poteſt aliquando factum à Scriptoribus ſacris οἰκονομικῶς, ne quæſtio de verſionibus intempeſtiva moveretur, & ſcrupulus injiceretur infirmioribus. Præcipuè verò cùm levis error nihil obſtabat inſtituto. Sive autem 70 ſive 75 fuerint animæ, ſatis conſpicuum eſt admirabile illud fuiſſe quod ex tàm paucis perſonis tam incredibilis multitudo & numeroſiſſimus exercitus extitiſſet. Hic fuit Stephani ſcopus, qui nullum capit detrimentum ex errore LXX quem prudenter toleravit Lucas & inemendatum reliquit, ſine ullâ Chriſtianæ fidei noxâ. Quid ſi dicamus & hic & altero illo loco in quo Abraham dicitur emiſſe agrum quem Jacob emit eodem Actuum capite Stephanum peccaſſe quidem lubrico memoriæ, qui non fuit Euangeliſta, non autem Lucam qui fideliter ea retulit quæ Stephanus pronuntiavit? § Sed nec opus eſt eò devenire cùm non abs re notatum ſit à maximis uiris Act. VII. 16. Jacobi nomen repetendum fuiſſe ἀπὸ τοῦ κοινοῦ & conjungendum cum voce ὠνήσατο, quod qui non capiebat ſciolus, Abrahami nomen inculcaverit alienum in locum. Deinde Abraham pro filio vel nepote Abrahæ ſumi poteſt nimirum Jacobo, ut David pro Roboam nepote 1 Reg. XII. 16. Adde quod emiſſe dicitur aliquis quod à majoribus emptum eſt, & contra, cujus rei exemplum habes Gen. XLIX. 30. & L. 5. Denique poſitum fortè fuerit Εμμὸρ pro Εφρὼν, Ephronis autem

agrum emit Abrahamus Gen. XXIII. 13. Sed quicunque tandem fuerit hic ager, aut ejus emptor, nulla profecto hinc impendet agro Domini aut fundo Eccleſiæ calamitas.

Ad III. Reſpondeo addita quædam videri ac demenda è Codice ſacro primâ quidem fronte, quæ tamen ubi accuratè perſpexeris, aliter exiſtimaveris. Verba illa Marc. XIII. οὐδὲ ὁ υἱὸς Auguſtinus enarrat; cur enarrat autem ſi ſunt ab Arianis perperam inſerta? *Hoc neſcit Filius*, inquit, *quod neſcientes facit*; *quod non ita ſciebat ut tunc diſcipulis indicaret*. Nempe ſicut Paulus; Κέκρικα, inquit, *nihil inter vos ſcire niſi Chriſtum crucifixum*. Nam illud *inter vos* non obſcurè demonſtrat, multò ipſum plura ſciviſſe quàm Corinthiis carnalibus aperire conſtituerat. Hieronymus in Matth XXIV. de Matthæo loquitur non de Marco: Apud Matthæum autem ait non extare in exemplaribus Græcis verba hæc *neque Filius* ſed in quibuſdam exemplaribus Latinis adjecta eſſe. At, inquies, Marcus Matthæum redegit in compendium: amplificaverit autem, non in compendium redegerit, ſiquidem verba hæc οὐδὲ ὁ υἱὸς adhibuerit, quæ apud Matthæum deſiderantur. Hoc quidem non ægre conceſſerim Matthæi Marcum Epitomatorem fuiſſe, quod & veteres prodiderunt: verum hoc nequaquam impedit quominus aliter nonnulla, nonnulla uberiùs narret, quædam etiam quæ prorſus deſiderantur apud Matthæum inſerat, ſed multò interim plura, quia fuerant à Matthæo abundè tradita, prætermittat: quod ignorare non poſſunt qui diligentem amborum collationem inſtituerunt. Nec audiendus Ambroſius ubi adverſus Arianos ſcribens lib. V. de Fide c. 7. contendit eos hunc locum falſaviſſe. Suſpenſè tamen loquitur: ait enim: *quâ ratione videatur adjectum*. Sanè antequam Arii Dæmonis illius meridiani nomen innotuiſſet orbi, Tertullianus & Irenæus antiquiſſimi Patrum, & Ario antiquiores toto ſeculo & quod excurrit, hunc locum ita legerunt ut hæc verba non addita quiritarentur, ſed interpretarentur ac vindicarent. Adde Athanaſium, Epiphanium, Nazianz. Cyrillum: Nec defuére qui non tàm inſerta Marco ab hæreticis, quàm eraſa è Matthæo ab Orthodoxis exiſtimarent. Non eſt autem cur quemquam turbet hic locus, quando alibi tribuitur Chriſto in Scripturâ *profectus* Luc. II. & *admiratio* Matth. VIII. & τὸ *didiciſſe* Hebr. V. ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθεν, quæ tria de eo dici verè vix poſſunt, in quo nulla prorſus fuerit ignorantia. Chriſtus quatenus homo minor Patre, in ſtatu exinanitionis & diebus carnis ſuæ per omnia etiam quoàd ignorantiam inculpatam, rei ſcitu nõ neceſſariæ, ad officium ſuum nondum pertinentis, factus eſt ſimilis nobis. Quatenus mediator & legatione fungens apud homines: *Omnia quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis*, inquit Ioh. cap. XV. 15. Ergo diem judicii quem notum non fecit, à Patre non audivit juxta illud *Non eſt veſtrum ſcire tempora & tempeſtates quas Pater poſuit in propriâ poteſtate* Act. I. 7. Quæ omnia *œconomicè* accipienda ſunt de naturâ Chriſti humanâ, quæ licet unita divinæ non tamen ea perfruebatur aut luce aut lætitiâ cùm verſaretur in carne, quæ vel omniſcientiam

cientiam ipſi vel gaudium ab omni prorſum triſtitiâ vacuum conciliaret. Ignorabat igitur ut ſervus quod nôrat ut Filius Dei: quam diſtinctionem Agnoëtæ, inde nomen ſortiti, non agnoverunt. Lucæ autem cap. XXII. 20 fatemur hanc ſediſſe Bezæ τῷ μακαρίτῃ ſententiam, non tàm irrepſiſſe quàm inſerta eſſe ab aliquo nimium diligenti verba hæc (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐγχυνόμενον) ut reſponderent illis prioribus, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. nec ſpectatum ſatis fuiſſe prohibere Grammaticam ſtructuram, quod actus effundendi tamen jubet, ut hæc verba referantur ad ſanguinem, cùm præceſſerit ἡ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου dicendumque fuerit emendatè loquendo τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐγχυνομένῳ. At cùm ejuſmodi vel σολοικα vel σολοικοφανῆ, (de quibus alibi) non rarò in Scripturis occurrant, non dubitamus etiam Lucæ, licet alioqui Græcæ Linguæ obſervantiori, aliquid tale tribuere. Quod intereà non eſſe revera ſermonis vitium oſtendimus bifariàm. Primò quia potuit Lucas adeò religioſè illa Domini concepiſſe verba Syriacè loquuti, ut Syriacis conſtructionem accommodarit non Græcis. Participium autem Syriacum non variatur declinando, ſed hoc habet commune cum Chaldæo & Hebræo, ut eadem ſit per omnes caſus terminatio. τὸ ἐγχυνόμενον igitur quaſi eſſet indeclinabile poſuerit Lucas, ut verba ſint Græca quidem, at verborum conſtructio Syriaca. Secundò cùm Nominativus abſolutè poſitus pro quovis alio caſu ſit familiaris apud Hebræos, qui caſus non variant ſicut Græci & Romani, ſed præpoſitionibus aut ſervilibus litteris diſtinguunt ferè ut Galli, poteſt hoc σολοικοφανὲς non abs re pro Hebraïſmo exiſtimari ut Apoc. I. 4. & Epheſ. III. 17. Ad doxologiam Orationis Dominicæ quod ſpectat, cùm Latinis propemodum omnibus ignota fuerit, & ab Auguſtino atque Hieronymo prætermiſſa, non prætermiſſa tamen à Chryſoſtomo, licet eodem, quo illi, ævo vixerit, ex Liturgiâ Eccleſiæ Græcæ fluxiſſe quidem videtur. Volunt aliqui tamen à Græcis non additam ſed à Latinis detractam. Certè apud Lucam non reperitur: ſed extat in Conſtitutionibus Apoſtolorum lib. VII. cap. 24. In liturgiis autem D. Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi ἐκφώνησις eſt quam ſacerdos pronuntiat, ubi populus aut chorus orationem totam recitavit. Occurrit & in Hebræo & in Syriaco & in Arabico Matthæi Euangeſio. Sed ſive irrepſerit ex uſu & liturgia Eccleſiæ Græcæ cum alibi occurrat 1 Paralip. cap. XXIX. 11. & 1 Tim. IV. 18. & Apoc. V. & VII. Sive ſtatuamus ex Lucâ excidiſſe, cùm apud Matthæum legatur, nec pernicioſè irrepſiſſe liquet, nec penitùs excidiſſe. Uſurpetur ergo vel tanquam pars Orationis & clauſula, vel tanquam Scripturæ pars, quæ in cauſulam Orationis tranſierit. Nunc ad poſterioris generis objectiones veniamus, in quibus nonnulla videntur dempta quæ addenda & reſtituenda ſunt, poſtquam diximus de iis quæ addita & demenda videbantur.

Ad Joh. XVIII. 1. Reſp. non diſſentire Maldonatum & alios à Calvino & Bezâ qui mutatum articulam τῶν ex ſingulari τοῦ arbitrantur. Sed cùm Ioſephus non procul hinc memoret κέδρῶνα, locum cedris

dris conſitum, labor ut aſſentiar Eraſmo locum à Cedris dictum, ſicut montem Olivarum, cùm præſertim ſcriptum ſit non τῶν Κέδρων ſed τῶν κέδρων. atque ita ſollicitari locum nihil opus foret. Nec eſt illius loci notitia, vel originatio magni ad integritatem cœleſtis doctrinæ momenti. § Matth. x. 10. μήτε ῥάβδον neque baculum, intellige ad tutelam vindictamve accommodum, qualem geſtare prohibentur non autem greſſui firmando idoneum, quem ipſis Dominus conceſſit. Non enim jubentur ire *nullo dextram ſubeunte bacillo* ut ex Marco liquet, ubi εἰ μὴ ῥάβδον legitur, contrario in ſpeciem, at revera eodem planè ſenſu. Nam & tunicæ ἀλλακταὶ iis interdicuntur, & apud Lucam deſignatè ῥάβδοι multitudinis numero, baculi plures. Unus igitur illis conceditur. tantùm ne ſint ſolliciti de novo ſucceſſore habendo, ſi fortè ille amiſſus aut corruptus fuerit. § At illud quod objiciebatur de crucifixionis horâ paulò difficilius videtur. Si conſtaret in primitivis exemplaribus quæ ſolemus originalia dicere, notarum compendium adhibitum fuiſſe numeris deſignandis, non eſſet aſpernandum quod priſci Patres exiſtimant poſitam fuiſſe litteram Γ pro ϛ atque hinc tertiam pro ſexta horam exiviſſe. In Veteri Teſtamento clarius eſt ex ejuſmodi notarum compendio difficultates quamplurimas exortas eſſe. Τέρψις eſt ingenii & amœnum acumen quod Auguſtinus hora tertia dicit crucifixum Dominum, quia Iudæi circa hoc tempus clamarunt *Crucifige.* tractatu 117. in Ioh. Nonnus τριτάτην ὥρην dixit. Alii ὡς τρίτην & quidem antiquiſſimi libri, quod & in ipſo autographo manu propria Iohannis ſcripto ita poſitum narrant Veteres, & ita legere πάλαι ἀκριβῆ βιβλία, vel ὡσεὶ τρίτη. Hoc autem ſatis manifeſto indicio eſt non exactè horam fuiſſe tertiam vel ſextam; ſed peractam crucifixionem illo temporis ſpatio quod à tertiâ fluxit ad ſextam. Notum eſt autem in quadrantes diem dividi ſolitum & intervalla quatuor, à prima ad tertiam, à tertia ad ſextam, & à ſextâ ad nonam, & à nonâ rurſus ad primam. Quod igitur ſpatium fluebat à tertiâ ad ſextam, æquè referri potuit ad tertiam quæ ſignum dederat, ac ad ſextam, quæ nondum audita expectabatur. Unde diſcrimen inter Euangeliſtas in ſenſu nullum eſt: alter enim poſt tertiam, alter antè ſextam, uterque ſpatium illud quod à tertia interfluxit ad ſextam, intellexit. § Ad Ioh. cap. VII. verſ. 39. quod attinet piâ fortaſſe fraude in nonnullis exemplaribus additum fuerit ἐπ' αὐτοῖς, vel δεδομένον, quod & ipſi ſuſtulerint Orthodoxi utpote ἀποβολιμαῖον, & ſuper hæc non neceſſarium revincendis Macedonianis. Non eſſe dicuntur in Scripturâ, quæ non apparent illuſtrem in modum, aut quorum non eſt memorabilis & conſpicua multitudo ac uber inſigne. Spiritus autem ſanctus & ab æterno erat, & in Prophetis erat, nec Patribus Veteris Teſtamenti deërat, ſed longè paucioribus, & obſcuriùs & parciùs indulgebatur. Hactenus igitur non fuiſſe dicitur Iohanni, ut via Sanctuarii cœleſtis nondum fuiſſe manifeſtata dicitur Autori ad Hebræos. De Spiritus deſcenſu accepere multi; ſed præ-

ſtat

Digitized by Google

ſtat reflectere ad ea quæ præceſſerunt: *Qui credit in me, aquæ vivæ flumina defluent ex ejus ventre: Loquebatur autem de ſpiritu quem accepturi erant credentes: quippe ſpiritus nondum erat*, nempe ille Spiritus in credentes effuſus magno ubere fluviorum in morem. Promittitur enim à Chriſto jam jam daturo & promiſſus erat à Prophetis olim dandus per Chriſtum & initio Epiſtolæ ad Epheſios Spiritus *promiſſionis* vocatur. Nondum igitur erat: quippe promiſſus non miſſus erat ille ſpiritus per quem θεοδίδακτοι fuére omnes Chriſtiani nec indigentes alter alterius operâ, cùm eorum filii & filiæ viſiones viſuri eſſent ac ſomnia, hoc eſt nihilo inferiorem notitiam notitiâ Prophetarum adepturi, & ipſo Iohanne Baptiſtâ, qui major omnibus Prophetis, majores futuri.

§ Luc. c. I. 35. Eſto: à nonnullis Eutychetis aſſeclis expuncta fuerint hæc duo verba ἐκ σοῦ; tamen cùm in antiquiſſimis exemplaribus extent, fruſtra illi corrumpere tentarint quod ex optimorum codicum fide Orthodoxi meritò reſtituunt & hodiè ſcribunt ac legunt.

§ Ad I Ioh. v. 7. non ita quidem in omnibus legitur exemplaribus, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlis*, &c. Hieronymus tamen præfatione Canonicarum Epiſtolarum in Græcis haberi contendit, ſed à Latinis interpretibus omiſſa. Cyrillus lib. XIV. Theſauri, nec non Auguſtinus & Beda prorſus omiſére. Non tamen ideo minùs hoc utuntur loco ad myſterium Trinitatis conſtabiliendum: ſed argumentum ſequentibus ex verbis depromunt, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra*, &c. Conſulatur Auguſtinus adverſus Maximinum Arianum lib. III. cap. 14. ubi verba hæc *Unum ſunt* urget in primis, oſtenditque non differre ſubſtantiâ quæ dicuntur unum eſſe. Patrem autem ſpiritu ſignificari; Filium ſanguine, Spiritum ſanctum aquâ. Cyrillus ad hæc adjicit illa tria non aliter dici unum poſſe, cùm ſpiritus ſanguis & aqua diverſæ ſint ſpeciei; quàm propter id quod ſingula repræſentant: ac prætereà ingenioſè vim facit in articulo virili οἱ τρεῖς, cùm tria illa ὕδωρ, πνεῦμα & αἷμα neutrius ſint apud Græcos generis. Quod minimè conveniret niſi verba illa, οἱ τρεῖς, retuleris πρὸς τὸ σημαινόμενον, Patrem Filium & Spiritum ſanctum. At inquies, non legimus, οἱ τρεῖς τὸ ἕν εἰσι, quod clariſſimum foret: legimus οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, quod non ita clarum videtur, certè in ſpeciem ſuffragatur Ario, qui non reſpuebat unitatem conſenſus, concordiæ, voluntatis. Nec aliter nonnulli etiam Orthodoxorum Coryphæi, unitatem hoc loco ad teſtimonium retulerunt: ſed in teſtimonii unitate includi voluerunt & voluntatis unitatem & eſſentiæ. Obſervari poteſt intereà hæc duo apud Hebræos minimè diſcrepare; unum eſſe, & in unum eſſe ut Pſal. LXXXIX. 31. *Ero illi in Patrem & ipſe erit mihi in Filium*. Quod recitatur in epiſtolâ ad Hebræos & ita recitatur ut planè idem ſignificet quod, *Ero illi Pater & ipſe erit mihi Filius*, atque hoc ne Crellius quidem negat. Heb. I. 5. & VIII. 10. Non igitur vehementer nocet hîc ulla varietas exemplarium, quam intereà notare Beza noſter non prætermiſit; maximè cùm etiam illa verba ſucidiſſima *Tres ſunt qui teſtimonium dant in*

P *cœlo*

Digitized by Google

cælo eripere nobis hæretici moliantur non tantùm negando extare in exemplaribus antiquis, verùm etiam cavillando aliis artibus & ſtrophis, quas hîc refellere operoſiùs non patitur noſtri ratio inſtituti. Conſule Socratem lib. VII. hiſt. Eccleſ. cap. 32.

§ Ad 1 Corinth. XV. 51. ubi de immutatione victurorum in fine ſeculi agitur ut reſpondeam, primò variare Codices agnoſco, & mirè quidem variare. Legendus Hieronymus Epiſtolâ CLII ad Minerium & Alexandrum, in qua fuſiſſimè hoc argumentum perſequitur. Certè Stapletonus vel ex hoc loco Scripturas corruptas eſſe demonſtrare inſtituit, cùm intereà Bellarminus hunc locum in eorum cenſum, quibus idem aggreſſus eſt probare, non retulerit. At Bellarmino naſutior & oculatior Stapletonus, textum Græcum hîc *falſum & impium* aſſerere non dubitavit. Os hominis! Legunt exemplaria quædam *πάντες μὲν ἐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα*: Legunt alia ſic: *πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' ἐ πάντες ἀλλαγησόμεθα*. ſed neutra falſitatem impietatemve ullam præ ſe ferunt, ſiquidem ſano intellectu accipiantur. At, inquies, affirmant altera, quod altera negant disertè: quippe illa omnes non obdormituros, hæc obdormituros omnes aſſerunt. Fateor id quidem: at idem affirmo nihil in ſenſu revera contrarium aut contradictorium eſſe. Unde Patres: *Æquè Catholici ſunt, qui tàm iſtam quàm illam lectionem & opinionem ſequuntur.* Viſe Sixtum Senenſem Bibliothecæ Annotatione 265. Nimirum immutatio illa ſumi poteſt bifariàm; vel ſignificatu laxiori, pro eâ mutatione quæ continget omnibus in extremo die cùm immortalia omnium fient corpora & immutabilis conditio; vel anguſtiori ſenſu pro tranſlatione piorum in ſedes beatas non ſine raptu quodam, qui vicem præſtabit mortis & reſurrectionis. Quippe non poteſt *caro & ſanguis* regnum Dei poſſidere; בשר ודם hoc eſt infirma conditio animalis vitæ, quamvis peccati expers, non poteſt ſortiri vitam cœleſtem, niſi tota refingatur: longè minùs autem non infirma modò natura, ſed peccato adhuc multo inquinata. Proptereà pii moriuntur, non ut ſatisfaciant Deo peccati pœnam exolventes, ſed ut diruto corporis domicilio medullitùs hærentem peccati lepram penitùs excutiant. Rom. VIII. 10. Ergo *μυϛηριώδης* illa, de qua Paulus, immutatio nihil aliud erit quàm ſubita quædam & divina metamorphoſis naturæ infirmæ ac peccatricis, per quã peccato funditus deleto ſuccedet incorruptibilis conditio cum Adamo cœleſti conſentanea. Cùm igitur mors non aliâ de cauſâ fidelibus infligatur quàm ut mutentur eorum corpora & ſpiritualia fiant; mutatio illa repentina & ſubitanea mortis obtinebit locum, & idipſum præſtabit in viventibus quod præſtiterit mors in mortuis. Quocirca mortui & obdormituri omnes dicantur laxiori ſignificatu. Quia licet omnium animæ ſeparandæ non ſint à corporibus, tamen omnium etiam viventium corpora & animæ neſcio quid patientur, quod ab iis infirmitates omnes amolietur, & peccati fibras omnes radicitus avellet: quæ ſola ratio eſt cur pii mortem obeant. Prior intereà lectio quæ ſic habet: *Omnes quidem*

Digitized by Google

dem non dormiemus, ſed tamen omnes immutabimur multis nominibus anteponenda eſt. Ac primò quidem quod extet in optimis codicibus teſte Roberto Stephano, & à Syro & Arabe interpretibus agnoſcatur. Hîc quidem, quod, ut alibi notavimus, facere amant, in partes iverunt Hieronymus & Auguſtinus: quippe Auguſtinus acceſſit Ambroſio, cujus operâ converſus ad Chriſtum erat: quanquam nec Ambroſius nimis ἀποτόμως hoc in negotio, ſed addubitans loquitur. Hieronymus autem, licet variare Codices Græcos inſinuet, Patres Græcos magno numero ſibi ſuffragantes habet, Origenem, Theodoretum, Chryſoſtomum & Theophylactum, Baſilium, alios, qui cuncti legerunt: *Non omnes dormiemus.* Eraſmus videndus annotationibus ad hunc locum, & in Apologiâ, quâ diluit calumniam ſibi ſuper hoc loco impactam. Deinde myſterium eſt magnum quod non omnes morituri ſint; non ita magnum, quòd omnes reſurrecturi ſed non omnes immutandi. Denique meliùs hæc interpretatio quadrat cum aliis Scripturæ locis Act. x. 42. potiſſimùm vero 1 Theſſ. iv. 15. Quod autem objici ſolet abſurdum eſſe aliquem non moriturum, cum eo ipſo capite prioris ad Corinthios omnes in Adamo dicantur mortui, facilè diluitur. Nam ſi ſeparatio animæ à corpore intelligitur, excipi nonnulli neceſſariò debent. Non quidem Beata Virgo, quod Pontificium eſt; ſed Enoch & Elias, quod cum Scripturâ prorſus conſentaneum eſt. Quibus adde, ſodes, illos, quoſcunque noviſſimus dies in vivis deprehendet, qui quodam velut igneo curru & ipſi rapientur in cœli nubibus. Verùm ſi mors ἐν τῷ πλάτει accipitur & non κατὰ τὸ ἀκριβὲς, erit omnium dormitio & mors quædam, inquit Auguſtinus, quamvis breviſſima non tamen nulla. Quocirca inſignitè dixit Paulus, *Omnes non obdormiemus:* non dixit autem: *Omnes non moriemur.* Nempe dormitio deſignat mortem illam in qua ſeparationem animæ à corpore ſubſequitur ſpatium bene longum, quod ad ſomnum requiritur. Momento enim dormire non eſt. At qui mutabuntur, licet mortis quandam veluti ſpeciem patiantur, certè nonnihil ἰσοδυναμοῦν; non tamen obdormient, quia mors illa ſecundùm æquipollentiam, ſive mutatio, continget ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, puncto temporis. Nempe ſic viſum Deo totam Eccleſiam in unum conſummare, nec alios ſeorſum ab aliis ad cœleſtis gloriæ βραβεῖον vocare, ἵνα μὴ χωρὶς ἀλλήλων τελειωθῶσι. Porrò Latini Codices non minùs quàm Græci variant. Alii enim legunt, *omnes dormiemus.* Alii, *omnes reſurgemus*, quod Augnſtinus obſervavit. Varietas autem lectionis non continuò corruptela eſt. Neque verò maximi momenti res eſt. Quippe licet à Paulo dicatur magnum myſterium, quia res erat hactenus inaudita Corinthiis & incomperta; tùm quia modus ejus penitùs latet, ut eorum ferè omnium quæ ad futuram pertinent vitam: non tamen à vita futura excluſit ejus ignoratio fideles eos qui Pauli tempora præceſſerunt.

ATQUE ita palàm fecimus vix ullum exemplum dari poſſe corruptelæ paulò momentoſioris; certè nullum dari ex quo Veritas neceſſaria & ſalutaris capiat

Digitized by Google

aliquod inſigne detrimentum, ſive in Veteri Teſtamento, ſive in Novo. Novimus & alia quædam poſſe afferri quæ corrupta videantur. Sed iis eodem planè pacto iri poteſt obviàm, ut opus non ſit Quæſtionem hancce jam æquo fortè longiorem iccirco producere. Ad LXX veniamus Interpretes.

QVÆSTIO VI.

An LXX Verſio in magnâ quadam autoritate ac veneratione eſſe debeat, nimirum vel Canonicâ vel Canonicæ proximâ.

VIdetur ita res eſſe I. Quia eam æquat Auguſtinus Hebraïco textui lib. de Civit. Dei XVIII. cap. 13. & à Prophetico ſpiritu innuit emanaſſe. Adde alia Patrum aliorum elogia, qui θεόπνευςον eam propemodum agnovêre.

II. Quia hiſtoria tot & tanta in hoc facto accidiſſe prodigia conteſtatur, quemadmodum notum eſt de cellulis, & omnium, licet ſeorſum alii ſcriberent ab aliis, conſenſione unanimi, &c. ut locus non ſit ſuſpicioni fortuitæ συγχυσίας & συνεμπλώσεως, & ſine numine talia contigiſſe nefas ſit credere, cùm præſertim tantus labor tantillo temporis ſpatio abſolutus fuerit.

III. Quia licet miraculum hîc admittatur nullum, tamen delectorum ad id Virorum, accitu magni Regis, tot præſertim numero nempe Septuaginta duorū nam quod dici LXX ſolent, rotundus eſt numerus uti vocant, & compendioſa loquutio) non potuit non eſſe maximi ponderis tanto paratu à tot capitibus collatis etiam ſymbolis facta interpretatio.

IV. Quia loca non pauca ſunt in quibus haud paulò commodior, melior, verior eorum videtur interpretatio, quàm ipſa Hebraïca lectio. Pſal. XXII. 17. quo de loco antè diximus interpretati ſunt *ὤρυξαν τὰς χεῖρας μου*, nempe legerunt כָּרוּ *foderunt*: quod multò magis eſt cum Fide noſtrâ conſentaneum quàm quod in Hebræa origine comparet, atque à Iudæis retinetur mordicus כָּאֲרִי *ſicut leo.* Sic Pſal. XXXVIII. 20. quod in Hebræo legimus בְּעָשָׁן *in fumo* (per Beth ב) *conſumentur*, LXX longè meliùs *ὡσεὶ καπνὸς, inſtar fumi* כְּעָשָׁן per כ *caph.* Sic Pſal. XIX. 5. קַוָּם *linea eorum.* LXX convenientiùs cum iis quæ ſequuntur *ὁ φθόγγος αὐτῶν, ſonus* eorum, legeruntque קוֹלָם. Sic Amos VIII. 8. in Hebræo כָּאֹר *ſicut lux* valde incommodo ſenſu, quod ſi locum inſpexeris ita eſſe comperies: LXX *ὡς ποταμὸς ſicut fluvius* legerunt כַּיְאֹר. Sic Ioel. I. 18. נָבֹכוּ *perplexi ſunt* greges: LXX *ἔκλαυσαν fleverunt* נִבְכּוּ à בכה non à בוך longè melius: nam ibi de gemitu Propheta loquitur. Sic 1 Sam. VI. 18. uſque ad אָבֵל *Abel* magnum, LXX *ἕως λίθου* אֶבֶן *μεγάλου* quod verius eſſe liquet ex iis quæ præceſſerunt. Sic Eſa. LIII. 18. difficile illud לָמוֹ pro לו *illi* plaga eſt, LXX *ἤχθη εἰς θάνατον* לָמוֶת *ad mortem.* Sic Ioſ. VII. עָכָן *Hacan*, LXX veriùs עָכָר *Hacar.* Sic Gen. VIII. 4. & Prov. V. 16. & quæ alia Viri rerum harum doctiſſimi ac diligentiſſimi paſſim annotarunt.

V. Quia & Apoſtoli & Euangeliſtæ Inter-

Interpretatione utuntur illâ vel in iis quæ in Hebræo protographo minimè reperias, adeoque tùm cùm longe incommodior videtur τ͂ LXX Interpretatio quàm Hebræa origo, ac denique ubi planè hallucinati ſunt οἱ LXX, tamen ſic quoque non dubitant eorum premere ac legere veſtigia quantumvis hallucinantium, Hebræâ origine relictâ, Novi Teſtamenti Scriptores.

VI. Quia univerſa teſtatur Hiſtoria Verſionem hanc ſummo ſemper in pretio habitam, & apud Iudæos & apud Chriſtianos. De Iudæis notum eos anniverſaria & ſolemni feſtivitate, in inſula Pharo, veneratos locum in quo primùm iſtius Interpretationis lux emicuit. Verba ſunt Philonis: τὸ χωρίον σεμνύνοντες, ἐν ᾧ πρῶτον τὸ τῆς ἑρμηνείας ἐξέλαμψε φέγγος, qui & ſuo tempore viguiſſe morem illum teſtatur; μέχρι νῦν inquit ἀνὰ πᾶν ἔτος ἑορτὴ καὶ πανήγυρις ἄγεται. In Synagogis lectam fuiſſe non eſt dubium, vectigali etiam perſoluto à Iudæis ut ſibi eam lectitandi palàm copia fieret; docet Tertullianus Apologetico. Quin & Imperatoris Iuſtiniani tempore cùm ſcinderentur in partium ſtudia Iudæi, aliis Hebræâm originē, aliis Græcam Verſionem contendentibus in Synagogis publice prælegendam, conſtituit Imperator meliorem ſententiam eorum eſſe qui Græcam quoque linguam ad lectionem ſacrorum librorum aſſumerent, καλλίους εἶναι τοὺς καὶ τὴν ἑλληνίδα φωνὴν πρὸς τὴν τῶν ἱερῶν βιβλίων ἀνάγνωσιν παραλαμβάνειν ἐθέλοντας. De Chriſtianis certè dubitandum non videtur cùm conſtet LXX Verſione, non aliâ, eos longo temporis ſpatio uſos, cùm nec adibant fontes Hebræos, nec adire poterant. Latina Biblia, quorum innumeræ Verſiones ab innumeris adornatæ, ut Auguſtinus teſtatur, non ex Hebræo ſed ex Græco tranſlata ſunt. Quod idem de Syriacis & Arabicis Viri docti pronuntiant. Hanc Patres unicè prædicant Græcam Verſionem, hanc in Conciliis adhibent, hanc in diſputationibus contra hæreticos urgent, etiam cùm res iis melius, ſi conſuluiſſent Hebræum fontem, proceſſura videbatur.

SED contrà rectiſſimè Auguſtinus: *Ei potiùs lingua credatur, unde in aliam eſt facta tranſlatio.* Ac *tota* Scriptura Veteris & Novi Teſtamenti ſed & *ſola* θεόπνευστος. Adde mendis incredibiliter quàm multis Verſionem τ͂ LXX laborare.

STATUS QUÆSTIONIS eſt non utrum autoritatis habeat quantum interpretationi humano factæ ingenio tribui poteſt; hoc enim quanquam in dubium non immeritò revocetur, tamen hîc non agitur: non autem revocaretur in dubium, ſiquidem conſtaret, apud nos hodiè puram & incorruptam extare Verſionem LXX Interpretum. Sed primò quidem quæritur, An aliqua ſit omninò verſio vel majoris vel æqualis cum Hebræâ origine dignationis? Deinde verò ſigillatim an LXX Interpretes, an Vulgata de quâ poſtmodum, hoc tanto privilegio gaudeant, ut ex iis textus originalis emendandus veniat? Quod Galeſinius commentario de Græcis Bibliis quem inſcripſit Cardinali Montalto, & Morinus

Digitized by Google

in Præfatione ad Græca Biblia & alii dicere non verecundantur de Græcis, plerique autem alii de Latino Interprete; nos autem inſulſum putamus. Atque hîc intereà locus erit de Verſionibus in genere nonnihil differendi, ut quo ſingulæ loco apud nos eſſe debeant diſpiciamus, licet id Quæſtionis titulus non præferat; deinde in æſtimandâ τῶν LXX Interpretatione immorabimur: poſtquam de Paraphraſibus Chaldæis, & Octaplis Origenis & aliis id genus, quantum informandæ ſtudioſæ juventuti ſatis eſt, diſſeruerimus.

RESP. QUÆSTIONI ea quæ certa ſunt diligenter ab iis eſſe diſtinguenda quæ fabuloſa & ementita ſunt. Nam quò faciliùs imponat, ſolet latere mendacium ſub aliquâ veritatis aſpergine ac incruſtatione. Habet auri nonnihil etiam nummus adulter, & fabulæ propemodum omnes aliquâ prætexuntur hiſtoriâ. Conſtat quidem, cùm duæ fuerint memorabiles Iſraëlis diſperſiones, apud Chaldæos una, apud Græcos altera, & paulatim dum eorum Dei populus idiomatis utitur, Hebræa lingua propemodum in deſuetudinem abiiſſet, hinc Thargumim ſive Paraphraſes Chaldaïcas, inde verſiones Græcas inſtitutas fuiſſe in gratiam populi rudioris. Ac de Thargumim ne nihil dicamus, prior Chaldæa Paraphraſis ſive Thargum à Ionathane Uzielide fluxit paulò antè Chriſtum & in Prophetas duntaxat habetur: Poſterior ab Onkelo, qui & ſororem Imperatoris Titi, matrem habuit, Elia Levitâ teſte, penes quem fides eſto, & in Pentateuchum duntaxat ſcripta eſt. De Thargumim Hagiographorum autoribus non liquet. Harum duarum Paraphraſium, quarum ſumma eſt apud Iudæos autoritas, ſumma eſt pariter apud Chriſtianos opportunitas. Pulchrè nimirum ac ingenuè de Meſſiâ Prophetarum oracula confirmant. Quod erubeſcunt hodierni Iudæi ſanè degeneres, nec eorum interpretationes admittunt. Onkelos pro *Aquilâ* Pontico propter neſcio quam nominis affinitatem, Ionathan pro *Theodotione* ob eandem ſignificationem utriuſque nominis, exiſtimatus eſt. Quæ ratio cùm ſit leviſſima, mirum cur viris doctis hoc perſuaſerit. I. Tempora diſcrepant: Vixit enim Onkelos tempore Gamalielis ad cujus pedes eruditus eſt Paulus Apoſtolus; at Aquila poſt vaſtationem Templi. II. Diſcrepant & opera: Onkelos quippe ſolum Pentateuchum, Aquila tota Biblia perſequutus eſt. III. Repugnat amborum genius: nam ſi quid ἀνθρωποπαθῶς dicitur, id accuratè obſervat Onkelos, ut erroris præcidatur occaſio, quapropter à Maimonide laudatur in Ductore dubitantium: Aquila verò Interpres fuit contentioſus autore Hieronymo. At neque Ionathan fuit idem qui Theodotion, ſed condiſcipulus Simeonis illius, qui Chriſtum recens natum ulnis complexus eſt. De Paraphraſte hoc tradunt Magiſtri quâ horâ ſtuderet in Lege omnem avem quæ ſuper eum volaret combuſtam eſſe. Ac de his quidem ſatis. A Chaldæis ut ad Græcas veniamus verſiones, hæ numerantur admodum ſex, quarum I. Auguſtiſſima *LXX Virûm*, II. *Aquilæ*, qui non habuit aliud commune cum Onkeloſo quàm quòd κατὰ πόδας ut ille, ac verbum ferè pro verbo

verbo reddiderit, unde verſio ejus altera fortè vocatur Hieronymo ἢ καὶ ἀκρίβειαν, qui præterea ſcribit nunquam ejus licet hæretici verſionem ab Eccleſiâ penitùs rejectam. III. *Symmachi* Samaritæ qui defecit ad Iudæos eos qui Chriſtianiſmum Iudaïſmo miſcebant, à quibus juſſus eſt denuò circumcidi & LVI annis poſt Aquilam ſuperſtes fuit. IV. *Theodotionis* qui vixit ſub Commodo, cùm Symmachus vixerit ſub Severo; itaque non quarta ſed tertia hæc ordine temporis fuit. Quarta nominatur intereà quòd eam Origenes quarto loco in editione ſuâ collocârit. Nec enim temporibus diviſerat, ſed aliâ ratione quapiam, ideò & Aquilam & Symmachum antè LXX ordinârat, cùm hi tamen LXX viri antè alios Verſionem ſuam edidiſſent. Porrò Theodotion Danielem omnium optimè converterat, & ideo ſemi-Chriſtianus ab Hieronymo dicitur, quòd Marcionita fuerat, non autem quod Ebionæi ejus tranſlatione potiſſimum uterentur; quæ ratio frigidior Viro tamen celeberrimo placuit. Hi tres, Aquila, Symmachus, Theodotion ita contendi poſſunt, ut facilè primas Aquila teneat, tùm ob *fidelitatem* quia verbum ferè pro verbo, cùm Symmachus ſenſum è ſenſu, Theodotion ex utroque commiſtum & temperatum genus expreſſerit: tùm ob *ſinceritatem*: Nam cùm alii duo qui ſemi-Chriſtiani erant Iudaïcè converterent, Iudæus Aquila interpretatus eſt ut Chriſtianus, autore Hieronymo. Hinc Iuſtinianus Imperator Conſtit. 146 de Hebræis cap. I. poſt commendatam inprimis verſionem LXX dat illis licentiam, ut interpretatione utantur Aquilæ. Unde mirari ſubit quòd Autor valdè bonus Maſius contrà ſcripſerit Aquilam natu jam grandem à Chriſtianis ad Iudæos defeciſſe, ac ſuam condidiſſe interpretationem odio Chriſtianorum. V. & VI. verſiones prior in urbe Jericho anno Domini 220, poſterior Nicopoli apud Actium anno 230 ab Origene repertæ, quod immortale ingenium, inquit Hieronymus, opus inſigne Biblicum ſuo nobis labore donavit ac pro variis editionibus variiſque ſpatiis, columnas vocant, τετραπλᾶ, ἑξαπλᾶ, ὀκταπλᾶ nuncupavit. *Tetrapla* Biblia fuére in quibus I. Septuaginta, II. Aquila, III. Symmachus, IV. Theodotion ſuâ cuique in ſingulis columnâ attributâ paginis viſebantur. *Hexapla* vero in quibus præterea V. textus Hebræus Hebræis litteris & VI. idem textus Hebræus ſed Gręcis characteribus exaratus legebatur. *Octapla* fuére in quibus præter ſex illa memorata duas illas Verſiones *Anonymas* in doliis à ſe repertas in ſeptimam & octavam columnam conjecit. Atque hanc Editionem nonnulli *Septimam* verſionem vocarunt. Nonnulli & *Octavam* addunt Luciani martyris qui præcedentes feliciter emendavit, cujus exemplar manu propria Martyris ſcriptum in conditorio marmoreo inventum dicitur: Et hæc verſio à Conſtantinopolitanis uſque ad Antiochiam vehementer comprobata eſt. Acceſſit denique *Nona* Heſychii quam Ægyptii & Alexandrini amplexi ſunt. Addi poteſt & *Decima* quam ex Hieronymi Latina factam eſſe Græcam veteres meminerunt. Nam quod inſignis Theologus numerum auget, ac ſub tribus Ptolomæis tres varias prodiiſſe arbitratur, nondum nobis perſuaſit.

Digitized by Google

perſuaſit. Decem igitur ſunto ad ſummum. 1 Septuaginta. 2 Aquilæ. 3 Symmachi. 4 Theodotionis. 5 Hierichuntina. 6 Nicopolitana. 7 Origenis. 8 Lucianéa. 9 Heſychiana. 10 Ex-hieronymiana: quanquam earum nonnullas fatendum eſt non tam verſiones fuiſſe, quàm editiones novas & emendatiores. Inter quas tres fuére veluti matres, *αἱ μάλιστα ἐπιπλαζουσαι* de quibus Hieronymus præfatione in Paralip. *Alexandria & Ægyptus, inquit, in LXX ſuis Heſychium laudat autorem. Conſtantinopolis uſque in Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Media inter has provincia Palæſtinos codices legunt quos ab Origine elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgaverunt, totuſque orbis in hac trifariâ varietate compugnat.* Heſychiana igitur, Lucianéa & Origeniana tres principes fuére verſiones à ſuo quæque Cenſore nomen ſortitæ. Quippe non tàm verſiones fuerunt quàm editiones emendatæ. Quod intereà incertum de duabus illis quæ fuerunt in doliis repertæ, altera in urbe Hiericho; altera Nicopoli ad Septentrionem, quam & Athanaſius in Synopſi ab aliquo ſtudioſo Hieroſolymitano confectam ſcripſit. Hæ duæ an fuerint verſiones integræ, an correctiones aliarum & editiones novæ, non liquet. Fateor tamen me propendere in eorum ſententiam, qui non editiones tantum, ſed verſiones fuiſſe arbitrantur. Ad Octapla ut redeamus, eorum hanc iconem Scaliger expreſſit.

Pag.	I.	AQUILA	Τετραπλᾶ.	Ἑξαπλᾶ.	Ὀκταπλᾶ.
Pag.	II.	SYMMACHUS			
Pag.	III.	LXX SENIORES			
Pag.	IV.	THEODOTION			
Pag.	V.	EDITIO HIERICHUNTIS			
Pag.	VI.	EDITIO NICOPOL.			
Pag.	VII.	TEXTUS HEBR. HEBRÆIS LIT.			
Pag.	VIII.	TEXTUS HEBR. HEBRÆIS LIT.			

Alii verò Viri magni textum Hebræum primore loco poſitum exiſtimant contrà quàm in hoc Diagrammate vides. Nempe Scaliger ordinem ſequitur temporis, alii ſequendum putant ordinem dignitatis. Nam certum quidem poſtremò cogitatum eſſe de adjiciendo textu Hebræo duplici, ſed an ideo poſtremo ſit collocatus an primoro loco arbitrentur qui viderunt Octapla.

Nos

Nos quibus ea non contigit felicitas, nihil pronuntiare poſſumus. Quippe Origenes nec temporis nec dignitatis ordinem ſequutus eſt. Nam ſi ſequutus eſſet ordinẽ temporis non Theodotioni præpoſuit Symmachum quandoquidem Theodotion Symmacho fuit antiquior. Si ſequutus eſſet ordinem dignitatis, non Aquilam, non Symmachum præpoſuiſſet LXX Interpretibus, quorum non modò major antiquitas, verùm & longè major quàm vel Aquilæ vel Symmachi fuit dignatio & autoritas. Nos pleniùs & propius ad Origenis mentem ſchema triplex delineamus ichnographiâ ſequenti. Quæ ut ab omnibus queat intelligi notandum eſt per ΟΙ Ο' LXX Interpretes, per Α' Aquilam, per Σ' Symmachum, per Θ' Theodotionem intelligi, quæ compendia ſcripturæ in antiquiſſimis reperiuntur libris. Ι' vero Hiericuntinam, Ν' Nicopolitanam deſignat. Hebræum textum Hebraïcis litteris per כת deſignamus ut Magiſtri ſolent *Scripturam*: eundem Græcis litteris per E. E. E. hoc eſt Ἑβραϊκὸν ἔδαφος ἑλληνιστὶ, hoc pacto:

כת	E.E.E.	Α'	Σ'	ΟΙ Ο'	Θ'	Ι'	Ν'
Hebræus textus Hebræis litteris	Ἑβραϊκὸν ἔδαφος ἑλληνικοῖς γράμμασι	Ἀκύλας Aquila	Σύμμαχος Symmachus	Ἑβδομήκοντα LXX	Θεοδοτίων Theodotion	Ἱεριχουντίνη Hierichuntina	Νικοπολιτανὴ Nicopolitana

Sic igitur putamus Origenem κατὰ στοῖχον hanc primò Tetraplum, ſecundo Hexaplum, ac Octaplum denique digeſſiſſe. ſicut verſa monſtrabit pagina:

Digitized by Google

T E T R A P L A.

Col. 1.	2.	3.	4.	
Aquila	Symmachus	LXX	Theodotion	
Α΄	Σ΄	ΟΙ Ο΄	Θ΄	
Εν κεφαλίδι	Εν ἀρχῇ	Εν ἀρχῇ	Εν ἀρχῇ	Gen. I.1.
ὡς ὑθηνιζόμενον	ὡς κλάδος	ὡς παιδίον	ὡς θηλάζον	Esa. LIII.2.

H E X A P L A.

Col. 1.	2.	3.	4.	5.	6.	
Heb. text Heb. litt.	Heb. text Græc. lit.	Aquila	Symmachus	LXX	Theodotion	
כת׳	E.E.E.	Α΄	Σ	ΟΙ Ο΄	Θ΄	
בראשית	Βερεσὶθ	Εν κεφαλίδι	Εν ἀρχῇ	Εν ἀρχῇ	Εν ἀρχῇ	Gen. I.1.
כיונק	Κειόνηκ	ὡς ὑθηνιζόμενον	ως κλάδος	ὡς παιδίον	ὡς θηλάζον	Esa. LIII.2.

O C T A P L A.

Col. 1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8	
Heb. text Heb. litt.	Heb. text Græc. lit.	Aquila	Symmachus	LXX	Theodotion	Hierichuntina	Nicopolitana	
כת׳	E.E.E.	Α΄	Σ΄	ΟΙ·Ο΄	Θ΄	Ι΄	Ν΄	
בראשית	Βερεσὶθ	Ἐν κεφαλίδι	Ἐν ἀρχῇ	Εν ἀρχῇ	Ἐν ἀρχῇ	* *	* *	Gen. I.1.
כיונק	Κειόνηκ	ὡς ὑθηνιζόμενον	ὡς κλάδος	ως παιδίον	ὡς θηλάζον	* *	* *	Esa. LIII.2.

S1

Si quis optet ſchematiſmum in quo rationes temporum obſerventur quod veriſimillimum eſt non prætermiſiſſe pro ſua ceterâ diligentiâ Origenem, initio ſaltem admirandi voluminis, ecce qualem cunque damus:

OCTAPLA.

Columna I.	*Col. II.*	*Col. III.*	*Col. IV.*	*Col V.*	*Col. VI.*	*Col. VII.*	*Col. VIII.*
תב	E. E. E.	Α′	Σ′	ΟΙ Ο′	Θ′	Ι′	Ν′
Scriptura. Heb. text Heb. litt.	Ἑβραϊκὸν ἔδαφος ἑλληνιστὶ	*Aquila* qui ſcripſit	*Symmachus* qui ſcripſit	*Septuaginta* qui ſcripſére	*Theodotion* qui ſcripſit	*Hierichuntina* in dolio reperta	*Nicopolitana* in dolio reperta
		ſub Imperatore HADRIANO	ſub Imperatore SEVERO	ſub Rege PTOLOMAEO PHILADELPHO	ſub Imperatore COMMODO	ſub Imperatore CARACALLA	ſub Imperatore ALEXANDRO MAMMAEAE
		Anno à Chriſto	Anno à Chriſto	Año ante Chriſtum	Anno à Chriſto	Anno à Chriſto	Anno à Chriſto
		137	197	267	184	220	230

Digitized by Google

Hac in Hypotypoſi quam non dubitamus affirmare paulò commodiorem iis quas hactenus vidimus, facile eſt contemplari, quàm verè dictus fuerit χαλκέντερος Origenes, quantum & quàm Herculeum laborem exantlârit. Quo tamen frui nobis datum non eſt. ô jacturam veris lacrymis deflendam! Quantis enim nos moleſtiis non æſtimandus ille ſublevaret Theſaurus? Tota hæc quæſtio de Canonis Integritate, quæ jam fortè moleſtiam Lectori creat, nullum haberet locum. Facili negotio poſſes integritatem fontium ac incorruptam textus Hebræi veritatem à cavillationibus vindicare. Uno poſſes obtutu luſtrare fontes, & puriſſimos rivos, & ex ejuſmodi collatione nullo temporis, pretioſiſſimæ rerum, diſpendio, quicquid obſcurius eſt, illuſtrare. Mirari ſubit Eccleſiarum Græcarum ſtuporem, quæ tanto divinitùs mactatæ beneficio ſeſe ultrò abdicarunt & poſteros hæreditate luculentiſſimâ. Ipſe imprudens Origenes locum fecit huic negligentiæ, cùm edititionem aliam LXX cum Theodotione commixtam adornavit, quæ pleriſque fuit pro Hexaplis & Octaplis. Hanc autem facile fuit corrumpi ac interire, confuſis, quibus diſtincta erat, notulis. Atque ita de tantis laboribus nihil nobis præter nomen & ſchema ſupereſt, & disjectas hùc illùc tabulas naufragii, *reliquias Danaûm*.

Porrò hac in tabellâ nos & τῶν LXX verſionem, quæ fuit omnium prima & antiquiſſima tertio loco poſuimus, & Theodotioni Symmachum præpoſuimus non habita ratione temporum ſed ordinis illius quem inſtitiſſe Origenem accepimus: contrà quàm factum eſt à Viris ſummis, qui ſuis in diagrammatis, & ſchematiſmis Theodotionem Symmacho præpoſuére. Non benè; ſiquidem Origenis Octapla exhibere in animum induxerant. Quippe conſtat Origenem ſuis in Tetraplis, Hexaplis, Octaplis, poſt Aquilam immediatè Symmachum, tertio loco LXX, poſtremò Theodotionem, ut nos fecimus, collocaſſe. At nec audiendus Eraſmus eſt quamvis limatiſſimo vir judicio cùm in vitâ Origenis Exapla ſcribi jubet non Hexapla, & leni ſpiritu non aſpero Græcè inſigniri vocem hanc pertendit. Nempe, inquit, primò quia ἐξαπλόω Græcis ſignificat *explano*. Sed oro te, quid Græcis erit τετραπλόω, quid ὀκταπλόω? Deinde verò quia ſi ad LXX, Theodotionem, Aquilam, Symmachum accedat quinta, ſexta, & ſeptima editio, erunt ſeptem non ſex ordines: non igitur ab ordine columnarum Hexapla dicta fuerint ſed ab explanando exapla. Verùm enimverò ſi ſeptem fuerunt ordines jam Heptapla dici debuerunt. At illa quæ vocatur *ſeptima* non alia fortè quàm editio Lucianéa; vel Origeniana etiam fuerit, quæ quoniam cum duplici textu Hebræo Hebraïcè Græcéque ſcripto ſex verſiones nimirum LXX, Aquilę, Symmachi, Theodotionis, Anonymam quintam, & Anonymam ſextam conjunxerat, ideò ſeptima dicta eſt. Niſi quis magis probet, quod admodum probabile nobis eſt, eam dici ſeptimam quæ miſta dici poteſt, quam Origenes poſt ſua Octapla edidit, cum LXX verſionem ita concinnavit, artificio planè mirabili, ut uno aſpectu quivis facilè poſſet animadvertere,

Digitized by Google

vertere, quid in Hebræa eſſet origine, quid non eſſet; quid addidiſſent de ſuo ut addiderant multa, quid item omiſiſſent ex Hebræo, ut omiſerant multa, LXX Interpretes; Nam quod addiderant, obeliſco jugulavit, & quodam quaſi veru transfixit. Quod omiſerant, vel quod exciderat, ex Theodotionis interpretatione ſupplevit appoſita ſtella. Cur ſuppleverit autem lacunas illas ex Theodotione magis quàm ex Aquilâ, qui fidelior & ſincerior, ut antè jecimus, & Symmacho qui tamen liberalior & elegantior, unde pluri mùm eo utitur Hieronymus, non alia magis ratio ſe nobis probat, quàm quòd gratioſior eſſet in vulgus Theodotionis interpretatio, & minori flagraret invidiâ, cum nec Iudæus ut Aquila, nec Samarites ut Symmachus eſſet Theodotion, licet alioqui non ſinceriſſimus; vel quod hujus Verſio quàm cæteræ magis ad τῶν LXX genium accederet (quod apud Hieronymum legere memini) quaſi non tàm novam dediſſet quam LXX interpolaſſet, paucis omninò mutatis locis, niſi apud Danielem quem adeò melius reddiderat ut in Eccleſiis legeretur juxta Theodotionem non juxta LXX; atque ita faciliùs cum iis coaleſceret; vel quòd inter Aquilam & Symmachum Theodotion veluti medius incederet ac temperatum ſequeretur tranſlationis genus, nec religioſior & Etymologias conſectans ut Aquila; hic enim ſolem *calorem* reddebat ubi חמה dicitur, & *albam* Lunam quia לבנה dicitur: nec liberior & elegantiæ plus ſatis curioſus ut Symmachus. Hæc autem Origenis editio tùm in uſu publico haberi cœpit Eccleſiæ, tùm ab omnibus avidiſſimè coëmpta eſt, quia parabilior; cùm Hexapla & Octapla non niſi magno ære vel magno laborē comparari poſſent. Unde illa neglecta jacuerunt, & tractu temporis interciderunt. Docet hoc Hieronymus ubi ſcribit ævo ſuo in Eccleſiarum Bibliothecis vix unum τῶν LXX exemplar ſine aſteriſcis, & ſupplemento Theodotionis ac mixturâ ſupereſſe. At ô rerum vices! hæc quoque tantopere olim adamata LXX Verſio ab Origene concinnata, & ſupplementis ex Theodotione mixta noſtro nunc ævo deſideratur, ac plane incuriâ hominum & injuriâ temporum nobis periit. Quam intereà jacturam ut ſolarentur non defuére, qui mixtam illam non repræſentare quidem nobis, quod nulli poterant, ſed æmulari tamen, & ſimilibus ornare ſtellis, & verubus armare ſuas editiones auſi ſunt. Franciſcus Ximenius ad illud exemplum Biblia molîtus eſt Complutenſia; certè in iis variæ quoque interpretationes ſub unum oculi conjectum redduntur. Hunc autem non æmulati modò ſunt ſed ſuperarunt etiam qui Biblia Antverpienſia Regio nomine adornarunt: Utinam verò ſuperet hos etiam is qui multò auctiora & grandiori charactere Lutetiæ Pariſiorum incœptavit. Eſaiam cum explanationibus à Procopio collectis edidit etiam Curterius non abſimili formâ ex MS. Marchalino. Sed ad formam Origenis propius multò acceſſit Andreas Maſius qui πενταπλᾶ in Joſué Hiſtoriam dedit: in quibus (non ſecus ac Adamantius) apud LXX quod deſiderabatur admiſtione verborum Theodotionis ſupplevit, aſteriſcis ea notando tanquam ſtellâ, & obeliſcis prava jugulando tan-

quam telo, & lemniſcis varias Scripturas indicando, quæ lineola eſt duobus punctis *ἄνω κάτω* incluſa, planè ut fecerat ὁ χαλκέντερος Origenes. Cave autem cum his notis confundas cuneolos qui cum iis perpetuò ſed in periodi fine conjunguntur, nempe ut nôrimus quouſque progrediatur aut eorum quæ omiſſa fuêre ſupplementum, aut eorum quæ ſupervacua & extrudenda ſunt, abrogatio.

Obeliſcus ⸓ *vel* ÷

Veru, ſeu virgula ut ab Hieronymo dicitur, qualis nota unciæ ut ab Auguſtino deſcribitur, linea longiuſcula tanquam telum quo jugulantur & confodiuntur ea quæ loco movenda ſunt. Videndus Epiphanius libro de ponderibus & menſuris. Altera nota ex Syriacis libris Maſii petita eſt.

Aſteriſcus ⁎

Nota eſt radiantis ſtellæ formam imitata, quâ inſigniverat Origenes quod in Hebræo cum extaret, non extaret in Verſione LXX ipſe juxta Theodotionem qui cùm ſerò, & ad hæc ſtudia & ad hoc opus animum appuliſſet, pauca tantùm demutavit è LXX, ſupplere audebat.

Lemniſcus ÷

Hæc nota, quam paulò aliter pingunt Syri jam laudati libri, ſignificat Variantes lectiones, multorum Codicum firmatas teſtimonio.

Hypolemniſcus ⁓

Nota erat juxta Epiphanium quâ ſignificabatur verbum, quo par unicum Seniorum illorum uno incluſum conclavi, à cæteris diverſo uſum erat. Qui totum hoc fabulam putant, Origenem hanc notam cenſent adhibuiſſe, ut obſervaretur varia lectio & ſcriptura, ſed pauciorum Codicum teſtimonio firmata.

Cuneolus ⸔

Aut hanc aut ſimilem notam neceſſe fuit Origeni adhibere, ut ſignificaret, quouſque progrederetur, & quo loci deſineret iugulanda vel ſuppſenda ῥῆσις, aut periodus, aut periodi pars. Demus exempla; primo quidem obeliſci.

Joſ. xxiv. 30.

ζ ÷ ἐκεῖ ἔθηϰαν μετ᾽ αὐτοῦ εἰς τὸ μνημεῖον ἐν ᾧ ἔθαψαν αὐτὸν ἐκεῖ τὰς μαχαίρας τὰς πετρίνας, ἐν αἷς περιέτεμε τοὺς υἱοὺς Ισραὴλ ἐν Γαλγάλοις Ιησοῦς ὅταν ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου καθὰ συνέταξε κύριος καὶ ἐκεῖ εἰσὶν ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. ⸔

Rectè jugulantur hæc obelo, licet apud LXX legantur verbis totidem cùm in Hebræo minimè compareant. Auguſtinus tamen legit atque ad myſterium Chriſti retrò ſeculis veluti ſepultum ſilentio retulit quod hîc narratur de machæris ſive gladiolis lapideis, quibus Joſua trajecto Jordane circumcîdi populum juſſerat: quos gladiolos dicunt LXX cum Joſuâ ſepultos & inhumatos. Luculentus eſt Epiphanii locus de Obelo lib. de Ponderibus & Menſuris ſectione ſeptima Ἔνθα

Digitized by Google

ἡ λέξις εὑρίσκεται παρὰ μὲν τοῖς ἑϐδομήκοντα δύο κειμένη, ἐν δὲ τῷ Εϐραϊκῷ μὴ ἀναφερομένη, ἐκ τοῦ ὀϐελοῦ σημειώσεως τοῦ τῇ λέξει παρακειμένου δηλοῦται ὅτι ἀνῄρηται ὁ λόγος ἀπὸ τοῦ γενικοῦ τόπου ἤτοι τοῦ ἐδάφους τῆς γραφῆς ὡς μὴ ὑπάρχων ἐν τῷ τόπῳ τῆς βίϐλου. Quibus verbis docet ubi dictio reperitur quæ apud LXXII legitur, non legitur in Hebræo, ſignificare obelum huic dictioni adjectum eam in originali textu, & fundamentali Scripturâ hoc eſt in Hebraïca veritate ut loqui amat Hieronymus, deſiderari. Aſteriſci exemplum eſto:

Eſa. I. 18.

Δεῦτε * καὶ διαλεχθῶμεν נוכחה

Extant quidem hodierno die verba illa καὶ διαλεχθῶμεν apud LXX. Sed apud Procopium notantur aſteriſco, qui ſignificat olim defuiſſe ac ex Hebræo fuiſſe addita. Hinc autem patet variè mutatam fuiſſe Verſionem LXX. Lemniſci exemplum eſto:

Deut. XXIII. 17.

Οὐκ ἔσται πόρνη ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ; , καὶ οὐκ ἔσται πορνεύων ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. ÷ Οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ.

Priora ſenſum planè fundunt eundem cum iis quæ ſequuntur & lemniſco notantur. Verba tantùm diſcrepant. Eſt enim τελισκόμενος qui quæſtum facit corpore, ut meretrix; quæ facit idem. Hypolemniſci exempla ſunto.

Joſ. XXIV. 25.

÷ Σηλὼ ˏ pro Συχὴμ.

Pauca exemplaria ita legunt nempe Vaticanum & illud quo utebatur Auguſtinus, vel potius Autor interpretationis quam Auguſtinus protulit, quod indicatur per Hypolemniſcum, cujus & aliud exemplum & aliam figuram ſubjicimus.

Eſa. I. 21.

Δικαιοσύνη ˜ ἐκοιμήθη ἐν αὐτῇ.

Ita Hieronymus, ita Sixtina legit pro ילין pernoctabit commorabitur. Sed alii Codices, & plures quidem aliter habent. Apud Procopium autem non tàm plures aut pauciores deſignantur Codices per lemniſcum & hypolemniſcum, quàm per lemniſcum quod verbis non ſenſu diſcrepat per hypolemniſcum quod tùm verbis tum ſenſu diſcrepat. Figura quoq; varia eſt apud Proropium; nam lemniſcus ita ÷ hypolemniſcus ita ˜ pingitur. De cæteris Epiphanius & alii conſulantur.

Jam verò de LXX ut dicamus in ſpecie, primò recitemus hiſtoriam eorum: deinde noſtram ſubjiciemus ἐπίκρισιν. Ad hiſtoriam igitur τῶν LXX quod attinet, coagmentavit eam ex veterum ſcriptis Galeſinius Commentario de Græcis Bibliis, credulitate nimiâ, cui velim hoc præceptum inſtillatum auriculis, Μέμνασο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Wouverius in Syntagmate ſuo cordatiùs multò & eruditiùs hoc egit, Patrum ἀνιστορησίαν & errores alios notavit, abſurda, quæ ſequuntur ex Ariſtæi narratione haud

haud pauca congeſſit. Opinio certè fuit à primis Eccleſiæ ducta temporibus & magno Veterum affirmata conſenſu LXXII Viros ab Eleazaro Pontifice ad Ptolomæum Ægypti Regem fuiſſe miſſos, qui ſacros ei libros ex Hebræo in Græcum per legationem id flagitanti verterunt. Agnoſcunt hoc è Græcis Iuſtinus autor in primis vetus, Clemens Alex. Irenæus, Baſilius, Epiphanius, Chryſoſtomus, è Latinis Tertullianus, Hilarius, Auguſtinus, Ambroſius, ipſeque adeò cum Auguſtino hactenus conſentiens Hieronymus; ex Hebræis Philo, Ioſephus, ipſumque Talmud, cujus hæc verba ſunt perquàm fideliter à Viro doctiſſimo reddita è libro qui *Tractatio ſcribarum* inſcribitur : *Ptolomæus Rex convocavit 72 ſenes, collocavitq; in totidem ædiculis, cumq; nondum aperuiſſet quamobrem convocati eſſent, ingreſſus ad ſingulos ait, Scribite mihi legem Dei veſtri. Porrò Deus ita mentes eorum dirigebat, ut cùm ſcriberent ſinguli, eandem unam undiquaque Legem omnes ſcriberent, unoque conſenſu in tredecim locis ab Hebræo diſcederent.* Tùm illa tredecim loca in Talmude narrantur, in quibus duntaxat, ne Regi ægrè facerent ſcilicet, ab Hebraïcâ veritate abierunt. Quanquam igitur alii aliter narrant, hoc tamen plerique ferè conſentiunt, cùm Ptolomæum libido inceſſiſſet ære magno inſtruendæ librorum ſuppellectilis, & ex Demetrio Phaleræo Bibliothecæ præfecto inaudiviſſet, apud Iudæos extare volumina Prophetarum, ſcribi ad eos juſſiſſe, vel mitti qui rogarent: Iudæos autem lectis Regiis litteris libros aureis characteribus conſcriptos ad Regem curaſſe: Regem verò, cum eſſet ſanctæ imperitus linguæ, ab Eleazaro petiviſſe, qui Græcè converterent; Eleazarum 72 nimirum ſenos ex unaquaque tribu conceſſiſſe; hos autem omnes miro conſenſu licet in varias diſtinctos cellulas reddidiſſe: quod poſtremum tamen ex iis quos jam ſupra laudavimus nonnulli falſum exiſtimant. Hæc hiſtoria cùm eſſet ab Ariſteâ ſcripta primùm, à Ioſepho redditur: eamque ſtudio ſummo ac incredibili facilitate Chriſtiani admiſére, cùm eâ tùm ferè uterentur interpretatione, quâ & Iudæos ſolebant revincere. Pulchrum & amplum putarunt igitur ſi unde unde illi humanâ major circumdaretur autoritas. Verùm I. in librorum numero, II. in miraculo cellularum, III. in rationibus temporum, IV. in Verſionis pretio ac dignitate non ita veteres conſentiunt. Juſtinus antiquiſſimus alios à Pentateucho libros, ut de librorum numero dicamus primò, ab iis converſos exiſtimat Clementi Alexandrino & Irenæo & Euſebio annuentibus; cùm tamen longè fiat veriſimilius quinque tantùm libros Moſis eorum curâ & induſtria fuiſſe Græco habitu donatos; prophetas verò ab aliis quibuſdam ſub Antiocho; hagiographos à ſciolis nonnullis longo poſt intervallo; quamvis doctiſſimus Maſius renitatur. Sed quibus nititur argumentis, ea non eſſe tanti patebit inferiùs. Hieronymus certè autor eſt id quod ſtatuitur à nobis ab univerſa Iudæorum ſcholâ, & Ioſepho & Ariſtæâ proditum fuiſſe. Nec Talmud niſi de Lege Dei loquitur. *Scripſerunt ipſi Legem quilibet ſeorſum.* Novimus quidem Legis vocabulum pro univerſa veteri Scripturâ ſolitum accipi. At neque id Hieronymus ignoravit.

Ioſephus

Digitized by Google

Ioſephus autem apertè diſtinxit, ὀ τὴν ἀναγραφὴν inquit, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τ̃ νόμου. Talmud loco jam recitato: *Scribite mihi Legem Moſis.* Adde quòd nimis abſurda erat fabula & ne veriſimilitudinis quidem ullius colore tincta, 72 Interpretes 72 diebus opus ſuum abſoluiſſe, quod ab Ariſtæâ refertur, ſi totius interpretationem Scripturæ ſuſcepiſſent.

II. Ad cellularum prodigium quod attinet, adeò non eſſe fabulam putavit Iuſtinus, ut ſe cùm Alexandriæ verſaretur uſurpaſſe oculis ædicularum veſtigia in Pharo inſulâ nec non & ab incolis tanquam rem ſibi à majoribus traditam exaudiſſe referat, Philonemque adeò & Ioſephum in ſuas partes deducere nitatur. Vocat οἰκίσκους, ac fuiſſe narrat ἑβδομήκοντα δύο hoc eſt LXXII, quorum ſe luſtraſſe ait τὰ ἴχνη ἔτι σωζόμενα. Tandem *non fabulam vel fictam*, inquit, *hiſtoriam vobis annuntio.* Addit Auguſtinus lib. de civit. Dei cap. XVIII. 4. *Singulos ſeparatim ſediſſe, atque ita eorum fidem Ptolomæum explorare voluiſſe.* Auguſtino, ut ſolet, ac iis qui cum eo faciunt, reluctatur Hieronymus & quidem acriter more ſuo commentum hoc explodit. Prologo in Pentateuchum: *Neſcio quis*, inquit, *primus autor LXX. cellulas mendacio ſuo extruxit quibus diviſi eadem ſcriptitarent.* III. Ad rationes temporum ut veniamus, hìc quidem Iuſtinus miro laborat anachroniſmo, cui ſinceriſſimus Theologorum, ὁ πάνυ Calvinus facilitate nimiâ videtur adhæſiſſe. Quippe Apologetico poſteriore Ptolomæum rogantem facit per Epiſtolam Herodem Iudæorum Regem, id, quod nemo non videt longè antè tempora Herodis contigiſſe, aliquot antè Chriſtum ſeculis, nec totis centum annis poſt autoris libri Nehemiæ obitum. Quippe Nehem. XII. 11. in ſerie ſummorum Pontificum putatur Jaddus, is qui obviàm proceſſit Alexandro M. Pontificalibus indutus ornamentis; tantâque ab eo veneratione fuit acceptus ut ipſum eſſe, qui conſpectus in viſis nocturnis Aſiæ ſibi dominationem ſpoponderat, exclamârit. Procurata eſt autem LXX editio ſub Ptolomæo Philadelpho Alexandri ſucceſſore in Ægypto & Syriâ, & proinde vix 50 poſt annis quàm Alexandro Jaddus obviam ierat. Hunc autem anachroniſmum hinc originem traxiſſe ſuſpicor, quod audiviſſet Iuſtinus id quod Ioſephi abbreviator Ioſippus narrat, *Captatam fuiſſe hac verſione occaſionem contra Iſraëlem ut abduceretur à Canone*, hoc eſt regem aſtu & veteratoriis artibus hac ipſos emunxiſſe verſione ut res eorum conturbaret, mirificâ hypocriſi; Nam Rex idem, ſi Ioſippo fides, LXX Senes donis maximis & Regalibus veſtimentis, & ſacrificiis quæ offerrent Deo ſuo, proſequutus eſt. Quod adeò vulpinum facinus cùm abhorreret ab ingenio Ptolomæi qui pacificus erat, & bonus admodum, & abſque diſſimulatione regnabat, quemadmodum omnes produnt Hiſtorici, Iuſtinus ad Herodem retulit, in quem profectò factum illud, quod erat pro moribus ejus & in Iudæos odio, niſi tempora diſcreparent, mirum in modum conveniret. IV. Ad pretium & dignitatem τ̃ LXX quod ſpectat, in diverſa pariter itum eſt. Clemens Alexandrinus ille omnis eruditionis promus condus hanc interpretationem velut ἑλληνικὴν προφητείαν dilaudat.

R Philo

Philo Senes ait veluti divino inſtinctu & afflatu ſcripſiſſe. Iuſtinus, Irenæus, Euſebius, Epiphanius, Cyrillus, Chryſoſtomus, Theodoretus, è Græcis; è Latinis autem Tertullianus, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus immodicis vexant eam in cœlum laudibus, & è cœlo fluxiſſe ac ſpiritu divino plerique ſentiunt. Solus propemodum contra torrentem brachia tendere auſus eſt Hieronymus, qui pro eâ quâ pollebat, cæteri verò deſtituebantur, Hebrææ linguæ peritiâ, juſtam ex collatione potuit agere Cenſuram interpretationis hujuſce, ac ſuo quodam jure alios aliorum veſtigia ſequutos coarguere. Hiſtoria hæc eſt: Noſtra verò ἐπίκρισις hæc eſto; fabulam eſſe quæ nonnihil tamen ex hiſtoriâ delibatum trahit. Quippe ſic fieri amat, ut fama *Tàm ficti pravique tenax quàm nuntia veri* parvis ex initiis vires acquirat eundo, ac denique caput inter ſydera condat. Orſi ſunt Iudæi hanc telam; pertextam dedére Chriſtiani veteres, alii quidem facilitate nimiâ & credulitate, alii, ſi res dicenda eſt, piâ ut vocant fraude, omnes animo minimè malo. Iuſtini ſumma fuit probitas. Veriſſimum eſt autem quod identidem notat Nazianzenus probos homines minimè omnium eſſe ſuſpicaces. Τὸ γὰρ ὡς κακίαν οὐκ ἕτοιμον, οὐδ' εἰς ὑπόνοιαν εὐχερὲς. Et alibi ἥκιστα κακίαν ὑφορᾶται τὸ κακίας ἐλεύθερον. Et iterum, Βραδὺ γὰρ εἰς ὑπόνοιαν κακοῦ τὸ πρὸς κακίαν δυσκίνητον. Orat. I. III. & VIII. Talis cùm eſſet Iuſtinus Martyr, alienior fuit à ſuſpicione falſitatis, cùm ei veſtigia monſtrarentur ædicularum, & ad hæc talia credenda pronior, quod optimis quibuſque, præſtantiſſimiſque cætera, ſolet contingere, ut quicquid è re Chriſtianâ putant, ſibi facilè perſuaderi patiantur. Sed alios vix dubitem, licet inſpiratam divinitus Græcam verſionem non exiſtimarent, noluiſſe tamen hoc ire negatum οἰκονομικῶς, & prudentiâ uſos Eccleſiaſticâ juxta quam nimis fortaſſe multa & olim & ævo noſtro geſta ſunt, non ſine Veritatis præjudicio. Iudæorum ergo & Chriſtianorum veterum tacitus quidam ſyncretiſmus hic fuit. Ac Iudæi quidem duûm fuere generum; alii Hebræo utentes idiomate Græcanicæ linguæ imperiti; alii verò inter Ægyptum & alibi Græca utentes linguâ, ſuæ hoc eſt Hebraïcæ prorſus ignari. Apud priores nec in uſu nec in pretio fuit LXX interpretum Verſio. Hi nempe indignabantur myſteria ſua univerſis gentibus patefieri, & in profanam Græcorum linguam Legem Dei transfundi. Unde narrant quo die tranſlatio hæc inſtituta fuit eum diem Iſraëli contigiſſe infauſtiſſimum. *Fuit ille dies gravis Iſraëli, ut dies quo factus eſt vitulus* inquiunt. Fingunt præterea ſub Ptolomæo, cujus autoritate res acta eſt, univerſo terrarum orbi tenebras incubuiſſe. Pro magno denique piaculo verſionem hanc putant, quod & indicto ſolemni jejunio procurant, non ſine ſummâ doloris, quem inde ceperunt, ſignificatione. Tangit ulcus Auguſtinus lib. xv. de Civit. Dei, cùm ait, *Invident nobis Judæi quòd Lex & Prophetæ interpretando ad nos tranſierint*. Nimirum ægrè ferebant ſibi prærogativam ſuam perire, nec propterea ſuas qui Hebræâ uterentur linguâ potiores quàm cæterorum eſſe partes, apud quos lingua ſancta in deſuetudinē abierat. Alii quippe

nimirum

Digitized by Google

nimirum ii qui Græca Biblia, rudes Hebræi ſermonis, legebant in ſynagogis ſuis, quod in Apologetico Tertullianus conteſtatur, ne ſua quàm reliquorum pejor conditio videretur, ſtudioſè commendarunt & modis omnibus efficere venerabilem ſategerunt verſionem τ̃ LXX lepidis ex arte compoſtis fabellis, quod ſolemne ſemper his verpis fuit. Hi ſuas ſingulis ædiculas ſtruxérunt: hi mirificum omnium in verba eadem conſenſum procudérunt: hi denique tantillo ſpatio temporis tantum opus ad umbilicum perductum ſomniaverunt. Chriſtiani autem primores illi, vel hoc bellum εὕρημα Iudæorum ſuſceperunt ἀβασανίςως, rati ſufficere quòd eorum ipſi autores non erant, & ſiqua culpa erat, penes Iudæos eſſe; vel tametſi nôrant vanum eſſe commentum, non tamen putarunt ſibi datum hoc negotii, ut in eo refellendo laborarent, cùm ejus etiam Chriſtianis eſſet uſus & opportunitas longè maxima. Non alia extabat melior verſio; penitùs ignorabantur Hebræi fontes, res erat plena ſcandali profiteri Verſionem illam Græcam, quæ ſola in uſu erat, humanæ merum opus eſſe induſtriæ, quod mendis multis præterea ſcateret. Quid illi facerent? an illam verſionem quæ ſola prælegebatur populis, quam ſolam Doctores intelligebant, in contemptum aut ſuſpicionem adducerent? Quod unum poterant in his anguſtiis, (quod nos intereà excuſandum judicamus magis quàm probabile) ſuſceperunt placita Iudæorum, quibus magna LXX Interpretibus conciliabatur autoritas, & in rem ſuam converterunt. Iudæis ergo & Chriſtianis in eundem finem conſpirantibus quis mirabitur in tantum proceſſiſſe venerationem τῶν LXX ut multis etiam fabellis juſta eorum dignatio in majus impunè tolleretur? Hinc Talmudiſtæ ſanxerunt, non aliâ linguâ ſcribendos eſſe libros Legis niſi Græcâ, utque in ſynagogis hac linguâ prælegerentur, compellente neceſſitate. Quod Buxtorfius docet in voce אלינסתין ἑλληνιςὶ. Narrant R. Levi Cæſaream cùm iviſſet audiretque legentes Græcè, voluiſſe ipſos impedire; quod R. Ioſe animadvertens dixit iratus, Qui non poteſt Hebraïcè legere an omninò non leget? &c. Chriſtiani verò eadem compellente neceſſitate in Eccleſias pariter ſuas Græcam τῶν LXX verſionem admiſerunt. Nec enim ulla melior dabatur; nec Hebræi fontes intelligebantur. Aquila, Symmachus, Theodotion adiri tutò non poterant, qui non alio quàm turbandi animo ſuas verſiones machinati erant, Iudæi partim, partim hæretici. Ad neceſſitatem accedat Euangeliſtarum & Apoſtolorum autoritas qui συγκαταβατικῶς eam verſionem ſuis in ſcriptis adhibuerant, & cœleſti velut ſigillo inſignitam etiam tùm recitârant, ubi cum Hebræo parùm conſentanea videbatur. Quod cùm animadverterent boni Patres, tanto freti exemplo, licet non eadem autoritate muniti, cujus verſionis non minùs quàm Hebraïci textus uſum fuiſſe Apoſtolis compererant, eam celebrare tanquam ſacroſanctam, & æquiparare non dubitarunt Hebræo textui. Quæ perſuaſio ut procliviùs animo influeret Chriſtianorum qui tùm ferè propter ignorationem idiomatis Hebræi Græcanicâ

canicâ utebantur linguâ, opportunum inprimis erat ſcilicet, ut Iudæorum ſolemnia inſanientium adſtrueretur ſomniis, & miraculo fulciretur ædicularum, & regalibus ornaretur oculiferiis, & prodigialibus fabulis conſecraretur. Agebatur inſuper Patrum dignitas & exiſtimatio, ne faterentur & ignorantiam, qui Hebraïcè neſcirent, & infelicitatem ſuam, qui nihil haberent in religione certi quod autoritate cœleſti polleret, ſed humanâ modò verſione niterentur. Ideò *τὸ πᾶν* iis Verſio LXX fuit. Eſt igitur quod *verum*, quod *veriſimile*, quod *falſum* & quod *falſi ſimile* in hac hiſtoria judico. *Verum* eſt, Iudæos quoſdam Alexandrinos hanc verſionem regnante Ptolomæo Philadelpho elaboraſſe in uſum gentis ſuæ, addo viros pios & eruditos fuiſſe. *Veriſimile* in locum eos commodum ſeceſſiſſe, ut procul negotiis huic ſeſe operi totos impenderent ac invicem conferrent, adeóque Ptolomæum cum hoc inaudîſſet, inſtinctu, non Demetrii Phalerei, ſed alius cujuſdam Bibliothecarii juſſiſſe ut Bibliothecæ quam inſtruebat magno paratu Græcum exemplar Iudaïcæ Legis quaſi *κειμήλιον* inferretur. *Falſum* ædiculas 72 iis pro numero capitum attributas in quibus etiam cuſtodibus appoſitis pro ſe quiſque ſeorſum ſcriberent, falſiſſimum autem contigiſſe ut omnes eodem plane modo interpretarentur *συνέπνευσαν αἱ πᾶσαι ἑρμηνεῖαι συναντιβληθεῖσαι, καὶ τὰς διανοίας καὶ τὰς λέξεις*, inquit Clemens Alexandrinus, *Credat Iudæus Apella, Non ego.* Sed & Ptolomæi auſpiciis hæc omnia geſta fuiſſe, qui cùm primùm verſionem illam conſpexit ſepties adoraverit, tantoque gaudio perfuſus fuerit, ut ſolveretur in lachrymas. *Falſi ſimile* univerſa eos Biblia convertiſſe, cùm Prophetarum libri ab aliis converſi fuerint, ab aliis tandem Hagiographi & quidem imperitiſſimis, ſeptuaginta Seniores quinque duntaxat Moſis libros Græce reddiderint, ſive Pentateuchum. Nec falſi minùs ſimile eſt Hieroſolymitanos fuiſſe, ut fuit Autor Nicopolitanæ, cùm Alexandrinos vel character illius quo utuntur ſermonis prodat, quod oſtendemus alibi.

§ Nunc ad quæſtionem ut reſpondeamus, verbo dicimus fruſtra ſe fatigare quotquot *αὐθεντίαν* verſioni LXX, conciliare ſtudent, ſiquidem nulla extat ejuſmodi verſio. Quod ut liqueat notanda hæc duo ſunt. I. Quæ nunc eorum nomine venit, eam non auſim negare quidem à LXX fluxiſſe à quibus tota olim ſortiebatur nomen, licet illi Pentateuchum duntaxat convertiſſent. II. Affirmo tamen adeò luxatam, & interpolatam, & perturbatam, & laceram, & corruptam, ut alia videri non immeritò poſſit. Ac *prius* quidem nimirum hanc quâ nos utimur non aliam eſſe quam *τῶν* LXX patet ex eo quod Hieronymus quæſtiobus in Geneſin docet Gen. II. vertiſſe ſeptuaginta Seniores *κατὰ ἀνατολάς*; Aquila verò *ἀπὸ ἀρχῆς* verterat, Symmachus *ἐκ πρώτης*, Theodotion *ἐν πρώτοις*. Et ibidem vocem הרדמה LXX reddiderunt *ἔκστασιν*, Aquila *καταφορὰν*, Symmachus *κάρον*. Et Gen. III. לרוח היום Septuaginta *τὸ δειλινόν*, Aquila *ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας*, Symmachus *διὰ πνεύ-*

Digitized by Google

πνεύματος τῆς ἡμέρας, Theodotion ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας. Sic Eſa. LIII. 2. Septuaginta Ανηγγείλαμεν ὡς παιδίον; Aquila καὶ ἀναβήσεται ὡς τιθηνιζόμενον, Symmachus ἀνέβη ὡς κλάδος, Theodotion ἀναβήσεται ὡς θηλάζον. Sic Eſa. LIV. 1. Septuaginta ῥῆξον καὶ βόησον, Aquila ἱλάρυνον ἐν ἀγαλλιάσει, Symmachus κελάδει αἴνεσιν, Theodotion ῥῆξον εὐφροσύνην καὶ τέρπου, & quæ ſimilia notari poſſunt. At in hodiernis Græcis Bibliis legitur, & καθ' ἀναπλὰς, & ἔκτασιν, & τὸ δειλινὸν in Geneſi; & apud Eſaiam ἀνηγγείλαμεν ὡς παιδίον; & ῥῆξον καὶ βόησον; Ergo quæ ſupereſt non alia eſt quàm LXX verſio, quæ non penitùs interiit. Adde quod ex collatione Verſionis Hieronymi Latinæ quam in ejus commentariis habemus in Prophetas majores & minores; licet nonnulla diſcrepent ſatis tamen liquet hodiernum textum Græcum LXX Interpretum eundem eſſe maximam partem cum eo quo Hieronymus utebatur. *Poſterius* autem, nimirum licet non interierit, adeò tamen labefactatam eſſe, ut ſicut navis Argo, tàm ſæpe refecta, nec eadem nec alia videatur, liquet ex eodem Hieronymo, qui primò rariſſimam eſſe docet jam ſuo tempore, ſecundò nec totam extare, tertiò variè luxatam & mendis oppletam eſſe. Rariſſimam eſſe, cùm ait Epiſtolâ ad Auguſtinum octuageſimâ nonâ *vix unum aut alterum inveniri librum in quo Septuaginta Seniorum editio pura eſſet.* Nec totam extare; cùm ait præfatione in Eſdram: *ſi quis vobis Septuaginta oppoſuerit Interpretes, mittite eum ad Euangelia in quibus multa ponuntur quaſi de veteri Teſtamento quæ apud LXX Interpretes non habentur, & quærite ab eo ubi ſcripta ſint.* Variè denique luxatam & mendis oppletam eſſe, cùm ait præfatione primâ in Paralipomena ſe fruſtra futurum fuiſſe in Bibliis vertendis ſi eorum verſio integra haberetur ut fuit ab iis edita, *Quod enim ſemel aures hominum occupaverat, & naſcentis Eccleſiæ roboraverat fidem, juſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari.* Non quòd eſſet data divinitus, aut Prophetico afflata ſpiritu, ſed quia ſemel aures hominum occupaverat & naſcentis Eccleſiæ roboraverat fidem: vel ut Auguſtinum Hieronymo ſubjiciam, *Quia non potuit eſſe parvi ponderis quæ ſic meruit diffamari & quâ uſos Apoſtolos res ipſa indicat.* Quod ſi jam ævo Hieronymi tam rara & lacera & impura fuit hæc Verſio, quo nomine cenſebimus eam quæ per tot diſcrimina rerum, per tot decurſus ſeculorum, per tot manus hominum imperitè curioſorum ad nos pervenit? Ut LXX Interpretum eſſe concedam quis docebit utrum Heſychiana ſit, utrum Lucianéa, utrum Palæſtina? quis utrum eam debeamus Alexandrinis, an Conſtantinopolitanis, an mediis Provinciis? Ac fortaſſis ex nullo trium illorum generum eſt ea quâ nos utimur. Nos quidem arbitramur eſſe Origenianam, eam nimirum, quam Septimam vocari diximus, & ex Theodotione mixtam, in quâ *ubicunque virgulæ,* Hieronymi verba ſunt, *id eſt obeli ſignificant quòd LXX plùs dixerint, quàm habetur in Hebræo, ubi autem aſteriſci* id eſt *ſtellulæ prælucentes, ex Theodotionis editione*

Digitized by Google

editione ab Origene additum eſt. Quæ jam certè Κοινὴ dici meretur (ſed alio ſenſu quàm olim Κοινὴ Vulgata dicta eſt ἡ λȣκιανὶς) ut apud nos eſt ac veluti proſtituta, mixta quibuſvis & communis omnium. Nam quo mihi tu diſcerniculo cribrabis eam ut quid ſit è Theodotione ſuppletum, quid à LXX profectum definias? Obeli nulli ſunt, evanuerunt aſteriſci, & lemniſci, & hypolemniſci pariter deſiderantur; *Nox atra cavâ circumvolat umbrâ*,& nullæ prælucent ſtellulæ. Quod veru tranſadigendum, quod gladiolis jugulandum erat, id ambabus ulnis fortaſſe pro germano nunc amplectimur. Quod Theodotionis eſt, nos τοῖς LXX tribuimus. Quod in paucis legebatur exemplaribus & hypolemniſco notabatur, nos illâ deſtituti ἀναγνωϱίσεως tanquam in omnibus legeretur, ſine ſcrupulo accipimus. I nunc, & Sixtinam, quam Nobilius accuravit, germanam & geminam τῶν LXX prolem putato. Ut fateamur quædam eſſe reſtituta, quæ pejùs habebant in Aldinâ,non tamen illam,vix certè magis quàm hanc, prorſus incorruptam exiſtimamus, niſi cæcutire volumus in apertiſſimâ luce. Nam ſi diſpoſitionem ac ordinem librorum excipias quos accommodatiùs ad morem antiquum Sixtina digeſſit, hæc pariter ut aliæ mendis & gloſſematis ubique ſcatet. Hoc tamen in gratiam Pontificis,& Urbis,cujus præfert nomen, jactatum oportuit, hanc ipſiſſimam eſſe LXX Verſionem. Quod vellemus quidem nos, & ſi res eſſet, grato animo tanquam Dei munus amplecteremur. Veneranda nobis eſſet propter canam antiquitatem, pretioſa ob Veterum commendationem, auguſtiſſima propter uſum Eccleſiæ univerſalem: quâ laude neſcio an altera ulla Verſio gaudeat. Primum ei locum primamque dignationem inter humanæ opera induſtriæ non illibenter largiremur: cùm præſertim hunc ei ſoli honorem habuerint Apoſtoli, ut ſuis eam ſcriptis inſerverint. Non tamen extra illa quæ recitantur ab Apoſtolis & recitando ſacro ſupremæ autoritatis ſigillo ſanciuntur, Prophetica nobis eſſet aut Apoſtolica; non divina vel Canonica, ſed nec authenticæ ac ἀνυπευθύνȣ veritatis, niſi quatenus cùm Hebræis fontibus conſentiret. Fuerint enim LXX Seniores illi flos delibatus populi Iudæi, & optimo Codice inſtructi, & Linguæ tàm ſuæ quàm Græcæ peritiſſimi, ac inſuper ſpectatiſſimi candoris, ut nihil gratiæ dederint aut Regis Ægyptii, aut Gentis ſuæ, quæ tamen ſingula poſſunt in dubium non immeritò revocari: tamen homines credo,fuerunt, nec fuerunt Prophetæ nec Apoſtoli, cùm Prophetæ deſiiiſſent, Apoſtoli nondum eſſent: nihil ergo humani ab iis alienum putamus, adeóque licet primitiva exemplaria, ipſorum propria manu deſcripta, vel ea quæ Ptolomæo tàm concinnè ac ſplendidè laborata, tàm affabre atque ad unguem compacta dicuntur obtuliſſe penes nos eſſent hodiè nullo per temporum injuriam vel hominum incuriam vitio afflata, quod ſine miraculo fieri potuiſſe nemo dixerit, non tamen æquari pateremur cum fonte rivum licet limpidiſſimum ac penitùs illimem. Jam verò cùm certiſſimum ſit adeò non extare LXX Seniorum MS. aliquem aliquem librum, ut qualis extat ævo noſtro eorum Interpretatio variè mutila, &

luxata

Digitized by Google

luxata paſſim & commaculata deprehendatur, mirum profectò non deeſſe, qui nobis eam obtrudere tanquam cœlo delapſam & authenticam, & ipſius Hebræi Canonis *κάνονα* non verentur. Mitto LXX Interpretes Pentateuchum duntaxat convertiſſe; non igitur in cæteris libris *κανών* eſſe poterunt. Certè ſi quis Pſalmorum Interpretationem iis tribuat, neceſſe eſt fateatur imperitiſſimos fuiſſe. Conſtat hanc fuiſſe non LXX viralem, ſed *κοινὴν* quæ *λυκιανὶς* etiam dicebatur, ex Hieronymi ad Suniam & Fretellam Epiſtolâ. *Κοινὴ* autem iccirco dicebatur quòd eodem autore Hieronymo varia eſſet, ac *pro locis & temporibus, & pro voluntate ſcriptorum corrupta.* Omitto pariter dicere librariorum incuriâ & oſcitantiâ menda irrepſiſſe vix numerabilia, multa prætermiſſa, multa commiſſa, multa immiſſa quæ ſenſum vel immutant vel adulterant. Illud etiam tranſeo ipſius Origenis tempore tantam fuiſſe labem huic interpretationi factam, ut Lucianus, Heſychius & ipſe Origenes in ea emaculanda, velut in Augiæ ſtabulo purgando deſudârint. Quantò magis tali auxilio & Cenſoribus iſtis noſtra egerent tempora ferrea, tot ſeculis ab illorum ævo aureo diſtantia? Hoc tantùm afferam nunc quidem notari poſſe non paucos lapſus, qui nec temporum injuriæ, nec hominum incuriæ, nec deſcriptorum indiligentiæ, nec ſciolorum nimiæ diligentiæ quod corrigere ſatagunt corrumpentium attribui poſſunt, ſed ipſorum LXX Interpretum ignorantiæ ac infirmitati accepto ferri debent. Homines erant: longum opus: breve ſpatium. Porrò ne quis exiſtimet ad cauſam vincendam hæc à nobis adduci paulò iniquiùs, ultrò ac ingenuè profitemnr, loca dari plurima, quæ perperam ſunt à Viris doctis erroris poſtulata, quia primâ fronte quidem videntur ſenſum fundere parùm idoneum vel cum Hebræis fontibus parùm conſentaneum: quæ tamen loca ſi penitius introſpexeris, appoſitè ac eruditè à LXX Senioribus converſa fuiſſe non diffitéberis. Talia ſunt ea I. in quibus de verbis non ita ſolliciti rectè interea ſenſum expreſſerunt. II. in quibus aliter legérunt quàm hodierni Iudæorum & Chriſtianorum Codices, quia puncta nimirum alia & alium Codicem uſurparunt. III. in quibus non tàm ex Hebræo quàm ex Syriaco aut Chaldæo vocum ſignificationes ruſpantur. IV. in quibus non communi, multò minùs Atticâ utuntur Græca linguâ, ſed idiomate Alexandrino, Alexandrini cùm eſſent. Quæ jam quatuor niſi quis animadvertat ſedulò, nimium ſæpe habebit pro erroneâ, vel ineptâ, quæ pia eſt ac erudita interpretatio. Demus exempla. *Primò* ſenſum non verba reddiderumt locis innumeris, ut Gen. cap. XII. ἤτασε κύριος τὸν Φαραὼ ἐτασμοῖς μεγάλοις *examinavit* Dominus Pharaónem examinibus magnis pro *flagellavit* quod eſt in Hebræo: Nam & *examinare* non ſecus ac *flagellare*, communis eſt vox tùm paternæ caſtigationi, tum juridicæ punitioni, quæ poſterior hîc locum habet. Hoc proinde à Viro doctiſſimo flagellatum nollem. Sic Gen. xx. ταύτην τὴν δικαιοσύνην ποιήσεις εἰς ἐμὲ pro *hanc miſericordiam.* Quod immeritò reprehenditur. Nam quis neſcit & apud Magiſtros

Judæorum

Iudæorum opus juſtitiæ, pro charitatis & miſericordiæ opere uſurpari, & in Novo Fœdere pariter *δικαιοσύνην ἀντὶ τῆς ἐλεημοσύνης?* Sic Eſaiæ LIX. 19. *Veniet Spiritus Domini* כנהר צר *ſicut fluvius anguſtus* LXX generoſè reddiderunt *ὡς ποταμὸς βίαιος ſicut fluvius violentus*, longè certè meliùs quàm vel Symmachus qui *θλίβων*, vel Theodotion qui *ἀντιμαχόμενος*, reddiderat: hi quippe ſcrupuloſè verba penſarunt, cùm LXX luculentiſſimè rem ipſam expreſſam dederint. Nempe fluvius quantò anguſtior, tantò violentior devolvitur. Quorum veſtigia premens Hieronymus: *Veniet ſicut fluvius violentus ira Domini*. Nec aliter Pſal. XL. 7. אזן כרתה לי *aurem perforaſti mihi*, LXX *σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι* quod Autor ad Hebræos retinuit Hebr. x. 5. non retinuiſſet autem interpretationem uſque adeò ab origine diſcrepantem quoàd verba, niſi quoàd ſenſum apprimè quadraret. Mitto enim quòd *σῶμα* Græcis *ſervum* ſignificat ut in Epigrammate, *Σώματα πολλὰ τρέφειν καὶ δώματα πόλλ' ἀνεγείρειν, Ἀτραπὸς ἐς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη*, atque alibi ſæpe apud autores Græcos. Auris autem perforandæ ritus ad ſervos pertinuit. Satis eſt quod naturam humanam non Regio ſplendore circumfuſam, ſed vili ac ſervili conditione veſtitam Chriſtus aſſumpſit, in qua naturâ Chriſtus Dei ſervus factus eſt dicto Patris audiens, & obediens uſque ad mortem, ut dicamus idem ſignificari verbis hiſce *Corpus coagmentaſti mihi*, quod illis, *Aurem perforaſti mihi*; ne jam id obſervemus Hebræam vocem non modò perforandi, ſed apparandi etiam ſenſu reddi poſſe, à quo poſteriori ſenſu Græca vox Apoſtoli non abludit. Quòd niſi locus hic ab Apoſtolo recitaretur, non eſt dubium quin LXX propter ejuſmodi verſionem, quæ tàm videtur aliena, in reprehenſiones multorum incurrerent. Hoc ipſum autem locum habere in quamplurimis aliis locis, ubi LXX non errore ſed conſilio judicioque certo ſenſum potiùs quàm verba ſpectarunt luce meridianâ clarius arbitramur. *Secundò* interdum ideò videntur hallucinati, cùm hallucinati non ſunt, ſed aliter legerunt: quod innumeris exemplis probare eſt, ut Pſalmo XLIX. 13. בל ילין *non pernoctat*, LXX *οὐ συνῆκε non intellexit* reddiderunt, non ex ignorantiâ, ſed ex diverſa lectione, quippe legerunt proculdubio יבין ut verſu ejuſdem Pſalmi extremo. Sic 2 Reg. II. 14. dicit Elizæus *Ubi eſt Dominus Deus Eliæ* אף הוא *etiam ipſe.* LXX Ποῦ ὁ θεὸς *ἠλίου ἀφφώ.* quæ vox quàm benignum argutandi locum dederit, cuivis notum eſt, cùm intereà *παρόραμα* ſit ortum ex conjunctione perverſâ duarum vocum. Sic Mich. I. 10. אל תגידו *ne annuntiate* in Gath: LXX *μὴ μεγαλύνεσθε*, legerunt enim אל תגדילו Accedat & illud Pſal. XX. 6. *in nomine Dei* נגדל vexillum erigemus: LXX *μεγαλυνθησόμεθα*, legerunt נגדל. Sic Pſal. LXXVIII רמים *excelſi*, LXX *μονοκέρωτος* legerunt enim ראמים. Sic Eſa. 33. 2. זרועם brachium eorum: LXX זרעם legerunt & *σπέρμα αὐτῶν* reddiderunt, & quæ ſimilia incredibiliter quàm multa congeri poſſunt. In quibus propter elementorum ſimilitudinem ac affinitatem lapſi ſunt quidem legendo: at non convertendo; quandoquidem quod legerunt,

Digitized by Google

runt, id optimè convertunt. Neque verò putem lapſos perpetuò, ſed interdum & ſæpenumero, cum diverſa vel dubia occurreret lectio, certâ ratione ac judicio alteram prætuliſſe alteri, vel quòd videretur aptior, vel quòd alterutra è duabus pariter aptis eligenda eſſet. Unde non rarò videtur, ſed videtur, ea quam ſequuti ſunt Lxx lectio commodior eâ quæ in Hebræo repræſentatur: certè commodior ab ipſis prudentibus non hallucinantibus exiſtimata eſt: ut 2 Sam. XVIII. 3. כי עתה *quia nunc ſicut nos decem millia.* Lxx ὅτι σὺ ὡς ἡμεῖς δέκα χιλιάδες *quia tu ſicut* decem millia è nobis, legerunt non עַתָּה ſed אַתָּה, Vide 1 Chron. vi. 57. & alia ejuſmodi.

Tertiò Lxx voces Hebræas non juxta ſignificatum quem apud Hebræos, ſed quem vel apud Syros vel apud Chaldæos ſortiuntur, amant reddere, non per ignorationem, ſed conſulto conſilio. Sic in quinto illo Euangelio Eſa. LIII.10. *Dominus voluit ipſum contundere* דַּכְּאוֹ Lxx καὶ Κύριος βούλεται καθαρίσαι αὐτόν *mundare ipſum.* Nempe Chaldæis דְּכָא *mundus fuit* ſignificat, & in Pihel *mundavit* ab Hebræo זָכָה *mundus fuit.* Nec aliter Pſalm. LI. 6. תִּזְכֶּה בְּשָׁפְטֶךָ *purus ſis cùm judicaveris* Lxx καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε, ubi redditur νικήσῃς *vincas* juxta Syriacam non Hebræam ſignificationem. Quippe זְכָא Syriacè *vicit.* Certè Paulus hunc locum è Pſalmo laudat juxta Lxx Rom. III. 4. ubi Syrus ותזכא *& vincas.* Nempe ſolent in linguis omnibus militaria vocabula trahi ad forenſia judicia juxta illud, *juvat exercere togata Munera militiæ, juvat & ſine ſanguinis hauſtu Mitia legitimo ſub Judice bella movere.* Unde cauſam vincere dicuntur qui ſuperiores in judicio ſunt: *Ut juſtificeris* ergo vel mundus appareas, &, *ut vincas cùm judicaveris*, vel ut Lxx, *cum judicaberis.* (infinitivum Kal. exponentes paſſivè ut Geneſ. IV. verſu poſtremo) quoàd ſenſum nihil aut parùm diſcrepant. Sic Pſal. CXLI. 5 בְּרָעוֹתֵיהֶם Lxx ἐν ταῖς εὐδοκίαις αὐτῶν, à Syriaco רעא ſignificante *complacuit.* Sic Pſal. VII. 3. μὴ ὄντος λυτρουμένου, vocem פרק videntur accepiſſe Chaldaïca ſignificatione. Sic vox רשע quæ ſignificat Hebræis irrequietum & improbum: nulla enim pax improbo, inquit Deus apud Prophetam, redditur ἀσεβὴς paſſim à Lxx, quod non apud Hebræos ſed apud Syros denotat. Sic Gen. II. 1. צבאם *exercitus illorum* Lxx ὁ κόσμος αὐτῶν, quod fluxiſſe videtur à Syriaco צבת κοσμεῖν. Nec minus mirum Lxx ita ſeſe comparare tùm etiam cùm diverſa eſt radix. Notiſſimum exemplum eſt in voce דֶּבֶר quæ *peſtem* ſignat Hebræis, & à Lxx θάνατος redditur notione Syrorum qui peſtem vocant mortem antonomaſticè. Hinc Cyprianus librum de peſte inſcripſit *De mortalitate.* Hoc æmulatus eſt Johannes perſpicuo in hanc rem loco Apoc. VI. 8. Neque Chaldaïſmos aut Syriaſmos tantùm, ſed Hebraïſmos longè ſæpiùs admittunt Interpretes Græci & verbis Græcanicis Hebræam retinent ac repræſentant verborum ſtructuram, cujus rei obvia ſunt exempla.

Quartò demùm Dialectos Græciæ adhibent, ut Macedoniſmos, præſertim &

Digitized by Google

Alexandriniſmos, Alexandrini cùm fuerint. Alexandrini verò multis utebantur vocibus non benè Græcis, quod ex Euſtathio ac Athenæo liquet. Cujuſmodi apud Lxx occurrunt quàmplurimæ, ut cùm ἐξηγηταὶ, σοφοὶ, σοφισταὶ, de vatibus & Magis uſurpant, voces Græcæ quidem ſunt: at ſignificatio Alexandrina. Sic Levit. xix. 7. ἄθυτον quod Græce ſignificat *non litatum* Lxx de *re profanâ & pollutâ* uſurpant more Alexandrinorum, & quæ ſimilia Viri doctiſſimi annotarunt. Non igitur debemus inclementiùs Interpretes Græcos accipere, quoties eorum barbaries poteſt aliquâ ex quatuor allatis obſervationibus purgari vel defendi. At verò fatendum eſt multas in ipſis culpas notari, quibus nulla poteſt excuſatio comparari, nec per generoſum illum verborum & litteræ neglectum, nec per variantes Codices & aliis punctis notatos, nec per Syrorum aut Chaldæorum conſuetudinem, nec per Alexandrinum idioma denique. Nam *primò* valdè humanum id eſſe quis negaverit, quod ubi dignus vindice nodus incidit, & vox paulò difficilior ad interpretandum, illi relinquunt intactam & prætervehuntur? Nempe ſatius ἀπροσεξίας & incogitantiæ, quàm barbariſmi ac ignorantiæ poſtulari. Verùm & audentius illud videtur, quòd Hebræam vocem paulo difficiliorem in contextu ſuo ſed Græcè ſcriptam relinquunt 1 Sam. xv. 23. & Reg. viii. 8. & Job. xviii. 32. & Dan. v. 7. Item Geneſ. xxii. 13. בַּסְּבַךְ *in perplexitate* locum ſatis perplexum declinarunt, & ἐν φυτῷ σαβὴκ reddiderunt. Quam plantam in rerum naturâ fruſtra quæſieris. Aries ille quem vidit Abraham impedita certè habuit cornua in denſis aut perplexis aut ramis, aut arbuſtis, aut vepribus, ſed quod genus ramorum aut arbuſti fuerit illud, aut quæ ſpecies veprium, nemo niſi curioſior æquo rimari tentaverit. Cum ſcripturâ loquamur, cum eadem taceamus. Sic & 2 Reg. II. 14. vox ἀφφώ quia minùs intelligebatur & duæ voces ab ipſis in Hebræo perperam conjunctæ legebantur, comparet in Græca verſione, ac monſtrum parit. Quæ difficultas miſerabilem in modum torſit Patres Eccleſiæ, quam intereà, ſi modo rectè legas neque dividenda conjungas, nullo negotio poſſis perſolvere. Etiam doctiſſimos Patrum hic nodus exercitos habuit. Αφφώ quippe κρύφιον interpretati ſunt, cùm καὶ αὐτὸς interpretari debuiſſent. Verè tamen κρύφιον dixerunt, quod ipſis planè ignotum & abſconditum erat, cùm tamen eſſet pueris nedum Patribus facile ad intelligendum, qui modò vel mediocriter Hebraïcè ſcirent. Sic Jeremiæ xxiii. Dominus *juſtitia noſtra* reddiderunt Ιωσεδὴκ. Super hæc Hieronymus non uno loco conqueritur integras periodos à Lxx fuiſſe prætermiſſas incredibili numero: *quæ ſi voluero*, inquit, *cuncta digerere non libro ſed libris opus erit*. Quorſum autem tàm ſæpe id fecerunt, niſi quòd, certè interdum, hærebat aqua? Sed quacunque demùm de cauſſâ id fecerint, non benè factum ab iis conſtat.

Secundò quâ tandem poſſis excuſatione ipſos à culpâ vindicare, cùm appellativa nomina velut propria ſumunt, ut

Nehem.

Digitized by Google

Nehem. vii. 70. Jerem. xxxii. 44. & xxxviii. 14. vel cùm ex adverſo propria pro appellativis accipiunt, ut Levit. xviii. 21. & Ierem. l. 21. & Gen. xiv. 15. *Zuzeos Hanis* reddunt ἔθνη ἰσχυρὰ ἅμα αὐτοῖς. & Gen. xi. 28. *Ur* Chaldæorum, ab iis redditur ἡ χώρα, & 2 Sam. v. 16. Chuſai *Arcaus* הארכי amicus David, redditur ἀρχιεταῖρος Δαυὶδ princeps amicorum Davidis. Vel deniquè ubi propria cum appellativis commiſcent, ut hinc exeat velut Hybrida vox,& adverbia cum nominibus,ut Gen. xxviii. 19. ואולם לוז *Verùm tamen Luz*, LXX Οὐλαμλοὺζ?

Tertiò quis non eos ἀνθρώπινον τι πεπονθέναι agnoſcat, ubi planè contrarium ejus, quod eſt in Hebræo reddidérunt, ut cùm idem in Geneſi affirmatur & negatur in Hebræo & in Græco, de corvo redeunte in Arcam: ut Gen. xix. θύραν προσέκλεισεν *oſtium aperuit* pro *clauſit*, de quo tamen infrà, ut cùm 1 Sam. xxv. מימי *aquam* reddidérunt οἶνον vinum, quæ duo non minùs contraria videntur quàm ignis & aqua; ut cùm negativam omittunt, cùm extat in Hebræo, aut adjiciunt cùm in Hebræo deſideratur, quod utrumque identidem faciunt, ut Pſal. xxxix. 9. *Probrum inſipienti ne tradas me* quod eſt in Hebræo Græcè reddunt LXX ὄνειδος ἄφρονι ἔδωκάς με: Sic Pſalm. cv. 28. ולא מרו *& non rebelles fuerunt* LXX reddunt affirmativè καὶ παρεπίκραναν. Nimirum ad Ægyptios retulérunt, quod ad Moſem ac Aaronem relatum oportuit. Equidem ſcio non deeſſe qui LXX defendant hoc loco, quaſi ſubintellexerint interrogationem in Hebræo, (cujus rei exempla dedimus aliquot ſuperiùs quæſt. 4. reſp. ad argum. 4.) quaſi ſcriptum eſſet והלא מרו ut Prov. xxiv. 28. ubi exprimitur ה interrogativum; ſubintelligitur autem Exod. viii. 26. licet Elias Levita doceat ו nunquam præponi ה interrogativo, cui Mercerus adverſatur. Legentes itaque in Hebræo, *& an non rebellarunt*? rectè convertiſſent, quod idem ſonat, καὶ παρεπίκραναν, *& rebellarunt*. Sed quid fiet aliis exemplis ubi σοφὸν iſtud φάρμακον locum non habet? ut Gen. 49. 24. Sic Pſalm. 74. *non cognoverunt* redditur à LXX quod eſt in Hebræo, *cognoſcetur*. Sic Gen. 30. quod Hebraïca veritas dicit *Ioſephum accuſaſſe fratres*, LXX dicunt Ioſephum *accuſatum à fratribus*: tam turpi errore ut eum Arias emendare auſus ſit. Verùm & negativam addiderunt Pſal. vii. 3. οὐκ ὄντος λυτρουμένου, μηδὲ σώζοντος. Sic & Proverb. v. 16. μὴ ὑπερεκχείσθω σοὶ ὕδατα, cùm negativa deſideretur in Hebræo.

Quartò quis eos pro divinis agnoſcat ubi tàm inconditè vertunt, ac perturbatè ut nullus commodus elici ſenſus queat, ut 1 Sam. 27. 8. & Pſalm. 90. 9. & Pſalm. 68. βασιλεὺς τῶν δυνάμεων τοῦ ἀγαπητοῦ &c. ubi Delio natatore opus eſt aut Œdipo; vel tàm ineptè ac alienè ut alium librum non codicem Hebræum vertiſſe videantur. Exempla ſunto Geneſ. 6. 6. οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς ἥμαρτες, ita LXX, de quorum obſcuritate hoc loco Veteres ac recentiores conqueruntur, cùm nihil tale ſit in Hebræo. Sic Iob 30. *E medio expellebantur*,

tur, clamabant contra eos tanquam contra furem, quod eſt in Hebræo, Lxx reddunt, Α'λῆμοι ἢ καὶ τεθαυλισμένοι, ἐνδεεῖς παντὸς ἀγαθοῦ. καὶ οἱ ῥίζας ξύλων ἐμασσῶντο ὑπὸ λιμοῦ μεγάλου ἐπανέστησαν μοὶ κλέπτ). quæ penitus ἀπροσδιόνυσα nemo non videt.

Quintò licentiùs agunt etiam ubi ſignificatum vocis alicujus ex alterâ quæ ſimilis eſt ei vel ſcripturâ vel pronuntiatione mutuantur: nec excuſari merentur. Nam quo jure quâve autoritate Amos.8. 8. אור convertunt ποταμὸς juxta ſignificatum vocis non abſimilis nempe נהר, & Amos 6.1. promiſcuè accipiunt נקב & יקב & Zach. 4. 7. שאה & שוה & Gen. 5. ac Ierem. 41. 10. נחם & נוח niſi fortè ipſa vicinitas iis impoſuit, nec jam licentia ſed fruſtratio fuit. Sic Pſal. 2. 9. ποιμανεῖς αὐτοὺς reddidere תרועם à רעה & Pſal. 4. 7. נסה. ἐσημειώθη mutuati ſignificationem à נסס & quæ ſunt his ſimilia.

Sextò ne hoc quidem condonandum iis putamus licet alioqui ſatis ingenioſum videatur nonnullis, quod merâ ſoni ſimilitudine adducti ſenſum negligunt ut voces Græcas Hebræis ſolo ſono perſimiles adhibeant, ut cûm Pſal.15.12. תוך *medium*, ſive *dolum* reddunt τόκος, quia fœnus dolo malo exercetur ſcilicet, nec non פח παγίδα Exod.39.3. & טרוף τροφὴν Pſal. 3. 5. & תרשיש θάλασσαν & ſi quæ talia, quæ bellè dici poſſunt excogitata, vera dici non poſſunt. Nam quis non videt hunc eſſe ingenii luſum in re ſeriâ, non ſatis pro religioſi officio Interpretis? Nec uſus eſt ullus hujus argutiolæ niſi fortè putarunt vocum harum Græcarum Etymologiam ex vocibus illis Hebræis arceſſendam eſſe. Quod nimis vanum foret, cùm earum vocum in ſuâ linguâ Græcâ facilis ſit ad inveniendum origo, & innumerabiles occurrant in linguis omnibus vocum ſimilitudines per fortuitam συνέμπτωσιν, ex quibus tamen ſi quis efficiat, unam igitur ex alterâ derivari, næ facit intelligendo nihil ut intelligat. Iuſtum compoſuerat hîc Genevæ Lexicum Henricus Stephanus vocum Sabaudicarum, quas ex Græco eruebat. Sic muſtum *la moda* μῦδον, ſic comam *les cateu* χαίτας, &c. ne jam alios tangam, qui tentarunt idem operoſiùs in linguis aliis. Hieronymum non tacebo, qui LXX opinor æmulatus Soph. 3. 18. quod eſt in Hebræo נוגי *maſtos*, reddidit *nugas*, neque id modò, ſed & in Hebræo ipſum eſſe Latinum ſermonem aſſeruit. Quod adeò ludicrum ſibi nunquam permiſiſſet Vir tantus, niſi LXX præeuntes habuiſſet, ita inſuper linguæ ſtudioſus Hebraïcæ, ut eam cæterarum voluerit eſſe matricem omnium.

Septimò levia ſunto quæ prædiximus omnia (cùm intereà humano magis quàm divino Spiritu ſcripſiſſe Interpretes illos clarè ſignificent: Spiritus enim Sanctus non aucupatur ſyllabas) tamen fatendum eſt graviora in iis errata notari poſſe, ut Gen. 3. ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τ. θηρίων, pro Maledictus tu præ omnibus beſtiis. Hebraïca verbum pro verbo expreſſerunt, ſenſum perdiderunt. Sic Gen. 18. & alibi ποιεῖν reddunt עשה ubi ſignificat mactare vel offerre hoſtiam: unde τοῦτο ποιεῖτε nonnulli volunt eſſe in verbis Domini Euchariſtiam in-

ſtituentis

ſtituentis *hoc ſacrificate*: cùm Græcè *ποιεῖν* hunc ſenſum non admittat, niſi per audaciſſimam metalepſin, quia ῥέζειν utrumque ſignificat, ut ſi quis θυγατέρα *puellam* vocaret *pupillam* oculi quia κόρη utrumque ſignificat: hoc enim, (aut ſimile quid) non ſine aliis multis adducit exemplum Euſtathius ad Homerum, qui nunc non eſt ad manum. Sic ubi pro *filiis Dei* ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ verterunt, quæ verſio fabulis, quas viri tamen graviſſimi ſuſceperunt olim quamplurimi, locum dedit, Gen. 4. Et Deut. 32. *Statuit terminos populorum pro numero filiorum Iſraël* quod eſt in Hebræo, reddiderunt ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ, quæ verſio pariter illi perſuaſioni locum dedit, ſingulis gentibus Angelos præeſſe ſingulos, quam ævo etiam noſtro magni Theologi complectuntur. Sic quod eſt in Hebræo, *ipſe conteret tibi caput*, reddunt LXX, αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν *ſervabit* pro *conteret*. Sic in venditione Ioſephi LXX commutarunt argentum in aurum, & *viginti aureos* pro *viginti argenteis* poſuerunt. Credo, quod vilius pretium videretur viginti argenteorum, hoc eſt quatuor imperialium, ſi ratio ad monetam noſtram redigatur. Quod iterum peccarunt, ne quis putet ſemel iis excidiſſe Geneſ. 45. ubi pro *trecentis argenteis* rurſus *trecentos aureos* reddiderunt. Quapropter ab Hieronymo caſtigantur & tradit. Hebr. in Gen. & in 26. Matth. Sic Ion. 3. ἔτι τρεῖς ἡμέραι *& Ninive ſubverteretur*, cùm notum ſit in in Hebræo legi, *Adhuc quadraginta dies*. Sic Pſalm. 2. נשקו בר *oſculamini filium* reddidére LXX δράξασθε παιδείας, *apprehendite diſciplinam*. Scio quàm operosè nonnulli conentur hanc verſionem tueri, non tàm LXX Interpretum ergò quàm in gratiam Vulgatæ verſionis. At fruſtra ſunt, cùm ſudant nitendo nec hilum proficiunt ut probent illam Verſionem ab Hebraïcâ origine non diſcrepare ſenſu: Nam quis eſt mortalium qui cum audit, *Apprehendite* diſciplinam, informet animo aliquid vel de filio, vel de oſculo? Deinde cur ergo Veteres Eccleſiæ Doctores adverſus Iudæos & Arianos nunquam hæc verba protulerunt, quæ tamen, ut in Hebræo leguntur, adeò luculentum iis argumentum præbebant. Certe quin multa Patres illi protulerint eâ in cauſâ longè longéque minùs efficacia, non eſt apud me dubium. Sic Pſalm. 72. quod eſt in Hebræo בצי LXX reddiderunt *in ſiti*. Sic Pſal. 78. pro eo quod eſt in Hebræo, *Ut quid invidetis montibus opimis* vel *excelſis* vel *gibboſis*, גבננים LXX reddunt ἵνα τί ὑπολαμβάνετε ὄρη τετυρωμένα; *ut quid ſuſpicamini montes coagulati, vel incaſeati* ut habet Auguſtinus. Sic Pſal. 90. 9. LXX reddunt ἀράχνη mirificè cùm nihil in Hebræo reſpondeat. Sic Ezech. 8. 15. תועבות *abominabilia* LXX reddunt βδελύγματα, nullâ planè ratione, &c. Pauca hæc de multis. Iam verò quid afferri poſſit non video, ut Seniores excuſentur niſi hæc demum quatuor, vel I. puncta eos alia legiſſe, quod conjicere ac divinare quemadmodum contigerit non eſt cujuſvis. At ego ut hoc largiar in quibuſdam uſu venire, tamen eos erraſſe contendo, qui puncta legerunt ea ex quibus pravus & alienus exiſtit ſenſus, cùm ea legere debuiſ-

Digitized by Google

debuiſſent, ex quibus oritur longè commodior, & qui cùm anceps foret lectio, pejorem optarunt, potiori ſpretâ.

II. Vel eos non ex inſcitiâ ſed ſtudio ac de induſtriâ loca quædam perperam interpretatos ne myſteria ſuæ Legis invulgarent. Hieronymi verba ſunt præfatione in Pentateuchum: *Judæi prudenti factum dicunt eſſe conſilio, ne Ptolomæus unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet. Quod maximè idcirco faciebant quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicunque ſacratum aliquid Scriptura teſtatur de Patre filio & Spiritu Sancto aut aliter interpretati ſunt aut omninò tacuerunt, ut & Regi ſatisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent.* Idem præfatione in Eſaiam ſuſpicatur LXX noluiſſe fidei ſuæ ſacramenta perſpicuè Ethnicis prodere, *ne ſanctum canibus & margaritas porcis darent.* Miram verò defenſionem! (quanquam vix putem Hieronymum LXX defendere quos adeò libenter inſectatur) quâ, modò liberentur à culpâ inſcitiæ LXX Interpretes, poſtulantur malignitatis ac invidentiæ. Quaſi verò non hæc vitia ſatis oſtenderent quod quærimus, non eſſe verſionem hanc à Spiritu ſancto profectam: ut jam de reipſa nihil contendam. Quanquam nec illud ſit veriſimile Senes optimos Ptolomæo Regi fucum facere voluiſſe, aut tot numero ſeorſum etiam ſcribentes in eandem piam ſcilicet fraudem conſenſiſſe. Si res dicenda eſt, equidem arbitror eos Trinitatis & alia myſteria idcirco non prodidiſſe, quia neſciebant ipſi. Deinde vix unus eſt locus ex iis quos vitiatos à LXX jam produximus, quo myſterium aliquod contineatur. Quid igitur fiet reliquis, in quibus myſterium occurrit nullum? Denique illud incredibile dictu eſt Spiritum ſanctum Chriſtianos omnes, quibus intereà hæc ornabatur Sponſa non Ptolomæo, myſteriorum cœleſtium notitiâ fruſtratos voluiſſe, ut Regis unius (qui tamen idololatra fuit, ſi fides Chryſoſtomo) ſcandalum declinaret.

III. Ut excuſentur LXX poſſunt afferri tredecim loca illa quæ Iudæi perhibent ab iis nec inſciis nec imprudentibus converſa perperam, non ut myſterium aliquod velarent, ſed aliis de cauſis levioribus. Narrant hoc Talmudici: narrat & Ioſippus in principio hiſtoriæ ſuæ. Non enumerabo ſingula tredecim: de primo duntaxat & ultimo dicam nonnihil. Ac de primo quidem Gen. I. 1. dicunt LXX non, *In principio creavit Deus* ut eſt in Hebræo, ſed ita reddidiſſe, *Deus creavit in principio*: cujus rei bella ratio adducitur, *nequid præcederet nomen Dei*: ſed & altera ſubjicitur pulchra & memorabilis, *ne videlicet ſic accipiatur quaſi Bereſchit fuiſſet formator, Deus autem formatum.* Ad ultimum quod ſpectat Levit. 11. 16. & Deut. 14. 7. ubi vox ארנבת occurrit, quæ *leporem* ſignificat; quam vocem pro ſua prudentia Senes *οἱ ἑβδομήκοντα* non reddiderunt *λαγὸν leporem*, ſed צעירת רגלים *parvam pedibus.* Quid ita? *eò quòd* inquiunt Magiſtri *Ptolomæi uxor vocabatur Arnepta, lepus, ne diceret: irrident me Judæi: poſuerunt nomen uxoris meæ in lege ſuâ.* Sed alii plauſibiliùs id factum ajunt, ne Ptolomæus Lagorum filius & nepos irrideri ſe putaret ſi cognominis animalis inter immunda fieri mentionem deprehenderet: Quocirca vertiſſe Græcos

Inter-

Digitized by Google

Interpretes non λαγὸν ſed δασύποδα *hirſutam pedibus* שעירת רגלים cujus in vicem *parvam pedibus* dixére Magiſtri צעירת pro שעירת legentes, proclivi mutatione. Atqui tredecim tantùm numero ſunt illa loca, cum ſexcenta & ſexcentis plura ſint, in quibus peccat LXX verſio. Ergo non valebit hæc defenſio certè pro tot cæteris. Adde quòd hæc ſi tàm vera forent, quam falſa opinor ſunt, ſatis liquidò demonſtrarent non ſcripſiſſe iſtos Interpretes afflatu divino: Nam quid eſt magis indignum cœleſti Spiritu, quàm ſedulò cavere ac ſollicitè, ne vox aliqua præponatur Deo in verborum collocatione? aut ne, quoties nominatur lepus, violari ſe putet cognominis mulier, aut Ptolomæus Lagidarum gentem? Totum illud quis non videat olere Cabalam? Neque verò tredecim hodiè illa ſic leguntur apud LXX, quemadmodum Ioſippus narrat ab iis conſtituta. Quippe, ut mittam cætera, non legimus in ipſo primo limine Geneſ. Ὁ Θεὸς ἐποίησεν ἐν ἀρχῇ ſed Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεός. At, inquies, hoc ut alia multa corruperunt ardeliones exſcribendo.

IV. Etenim hoc adduci ſolet à defenſoribus τῶν LXX quæ ſunt apud eos corruptelas non ab iis eſſe, verùm tàm longo temporis ſpatio, per ſecula novemdecim, tot amanuenſium ac deinde typothetarum culpâ inoleviſſe. Quod nemo diffitetur, & exempla in promptu ſunt, quibus id ſæpenumero contigiſſe manifeſtum fiat. Gen. xi. 2. pro πεδίον legebatur παιδίον & apud Procopium Eſa. LIII. 2. pro παιδίον ex adverſo πεδίον, ob affinitatem pronuntiationis. Gen. xv. 15. in ſenectute bonâ, *ſepelieris*, LXX τραφεὶς pro ταφείς. Gen. xix. 6. pro προσέωξεν ὀπίσω αὐτοῦ aperuit poſt ſe προσέωσεν ὀπίσω αὐτοῦ *clauſit poſt ſe*, de quò ſuprà. Ioſ. ix. 4. ἐπεσιτίσαντο pro ἐπισιτίσαντο. Vide Maſium. Habac. II. 5. ubi יין eſt in Hebræo *vinum*, LXX κατοιόμενος, Hieronymus *arrogans*, juxta illud vetus & verum verbum, ἡ οἴησις ἐγκοπὴ προκοπῆς: at legendum videtur omninò κατοινώμενος. Soph. II. ἅλωνος pro ἁλὸς, *ſalis*. & III. 10. προσδέξομαι pro προσδέξομαι quod planè reſpondet Hebræo. Hoſ. v. 12. καὶ ἐγὼ ὡς ταραχὴ τῷ Ἐφραὶμ Hebraïce כעש *ſicut tinea* pro ὡς τίνη. & apud eundem ix. 8. σκότος pro σκοπὸς. Zachar. x. 2. ἐξηράνθησαν pro ἐξήρθησαν. Malach. II. 15. καὶ οὐ καλὸν ἐποίησε pro καὶ οὐκ ἄλλον ἐποίησε. Lam. IV. ἀνήφθησαν *accenſi ſunt* pro ἀνεπτήσαν avolarunt. Pſal. LXXIV. 8. καταπαύσωμεν pro κατακαύσωμεν. Pſal. CXXXII. 15. χήρα pro θήρα, & quæ paſſim alia & Hieronymus olim, & ævo noſtro Druſius aliiſque obſervitant. Sed quid tùm poſteà? Sunt quædam exſcriptorum σφάλματα, ergóne nulla Scriptorum? quædam typothetarum ſunt; nullane igitur Interpretum? Certe quæ ſunt producta ſuperiùs non poſſunt attribui amanuenſium vel oſcitantiæ vel temeritati. Sed, inquies, tot numero ſunt, quæ fortè nos latent peccata exſcriptorum, quædam ut ex iis & immeritò quidem videantur in Autores ipſos interdum refundi. Verùm enimverò non agitur hîc laus & exiſtimatio

Digitized by Google

ſtimatio Interpretum ſed inquiritur pretium & utilitas Interpretationis, quam qui fatetur variè corruptam, & mendoſam, undecunque id contigerit, fatetur idem non eſſe à nobis, qualis nunc habetur, magni faciendam. Quippe tametſi data divinitus foret aut à Spiritu ſancto præditis hominibus profecta, cùm tamen uſque adeò vitiata, perturbata & mutila ſit, ut alia prorſus videatur, ne ſic quidem apud nos autoritate ſummâ polleret, niſi quatenus cum Hebraïcâ veritate conſentiret. Si verò quemadmodum rationibus addiximus pro lucubratione humanâ exiſtimari debet, quamvis ad nos uſque prorſus integra & illibata perveniſſet, non eſſet Hebraïco æquiparanda textui, nedum anteferenda, quoties ab eo diſcreparet. Jam verò cùm hoc utrumque conſtet pariter & humana induſtria elaboratam eſſe, non revelatam inſtinctu divino, & inſuper, qualis manibus noſtris verſatur, & qualis Romæ tanto ambitu ac typho cuſa eſt; miſerè fœdam, luxatam, & Virbii membrorum inſtar disjectam, & errorum pleniſſimam eſſe, quid ſupereſt quam ut nec nimium aſpernemur eam & inter humanæ opera diligentiæ juſtâ veneratione proſequamur, nec adoremus tamen, aut in ſublimi cœleſtis autoritatis arce collocemus; quaſi juxta hunc rivum ſatis lutulentum Hebraïca origo ſuæ integritati reſtituenda eſſet. Non arbitramur quidem ilicò inclementius abjiciendum quicquid ab Hebræo videtur prima fronte diſſidere. Nonnunquam enim hoc idem paulò penitiùs meditatum adeò non adverſari Hebræo deprehendes, ut multam ei lucem inferat. Sed permulta interim loca ita conclamata ſunt, ut clarè pateat abſurditas, & humanum hoc eſt ad lapſus proclive prodat ingenium. Atque hinc jam liquet niſi fallimur quem locum apud nos hæc Verſio ſortiri debeat.

Nunc ad Argumenta.

Ad I. Reſp. non præſtare nos Auguſtini dicta omnia, præſertim ea, in quibus de rebus ad Græcam Hebræamque linguam pertinentibus judicium interpoſuit ſuum. Quàm enim utriuſque fuerit imperitus, Hebraïcæ potiſſimùm, paſſim prodit. Quod mireris in Afro, qui Punicâ utebatur linguâ, cujus maxima eſt cum Hebraïcâ neceſſitudo; cùm Stridonenſis Hieronymus, cui tale deërat adjumentum, nec ſumptibus nec labori pepercerit, ut ejus notitiam ſibi compararet. Auguſtino igitur non abs re opponimus, atque adeò hîc quidem anteponimus Hieronymum. Inter quos non æmulatio quidem fuit, ſed aliqua tamen acerbitas. Nec niſi rarò ſequitur Auguſtinus natu majorem Hieronymum, ſed ire amat in alia omnia. Dixerat Hieronymus LXX non *vates* ſed *interpretes* fuiſſe Præfat. in Pentateuchum. Et poſtmodum, ea ſubjicit, quæ notanda ſunt adverſus id quod objectum eſt ſuprà ex Hieronymo, LXX myſteria Fidei ſuæ prodere noluiſſe; quod ubi dixit Hieronymus aperuit Iudæorum ſententiam, hic verò jam ſuam: *Illi interpretati ſunt antè adventum Chriſti, & quod neſciebant, dubiis protulere ſententiis: Nos verò poſt paſſionem & reſurrectionem ejus non tàm Prophetiam quam hiſtoriam ſcribimus. Aliter enim audita, aliter viſa narrantur. Quod meliùs intelligimus, meliùs & proferimus.* Et quiſquam nobis Hieronymum prætereà objiciat in hac cauſa? & Epiſtola CI ad Pammachium: *Num omnin*

omninò repudiandi ſunt, quia iſtum locum qui ad Chriſti maximè pertinet Sacramentum aliter tranſtulerunt? an danda potiùs venia ut hominibus, juxta Jacobi ſententiam dicentis. Multa peccamus omnes? Contrà verò Auguſtinus non uno in loco LXX in cœlum vehit. De Civit. Dei XVIII 43. *Spiritum* ait *qui in Prophetis erat, eundem ipſum fuiſſe etiam in LXX cum iſta transferrent.* Et lib. XV. cap. 25. *Meritò creduntur LXX interpretes accepiſſe Spiritum Propheticum ut ſi quid ejus autoritate mutarent atque aliter quàm erat quod interpretabantur dicerent, neque hoc divinitus eſſe dictum dubitaretur.* Nec tantùm inter ſe pugnant, ſed ipſi ſecum iſti duo Patres, Patrum facilè optimi. Non enim loca deſunt, ſi verum amamus, in quibus & longè frigidiùs Auguſtinus de LXX & multò clementiùs loquutus eſt Hieronymus. Utriuſque pugnæ origo inveſtiganda nobis eſt. Ac prioris quidem non aliam cauſam putamus, quàm quòd rarò ſint *ὁμόψηφοι*, in hoc autem negotio ratio propria quædam fuerit, cur invicem diſſentirent. Utérque ſuis rebus conſultum voluit. Auguſtinus Hebraïcè omninò neſciebat, Græcè ſciebat mediocriter. Ejus itaque plurimum intererat verſionem Græcam autoritate ſuâ non excidere. Hieronymus novam Bibliorum verſionem ſuſceperat, quod, ſi promanaverat à ſpiritu cœleſti Græca verſio, fruſtrà moliretur ex Hebræo, & ſacrilegè faceret, qui tàm ſæpe à Græco LXX diſcederet: iſtius itaque plurimùm intererat Græcam verſionem autoritate illâ, quam uſurpaverat, dejicere. Ambo ſuam ſtrenuè cauſam egére. Quantum invidiæ ſuſtinuerit Hieronymus ob verſionem novam ſuſceptam ex Hebræo, velut in præjudicium LXX ipſe non ſemel commemorat. Expoſtulat cum eo ſuaviter nec ſine aculeo Auguſtinus ea propter; Hieronymus *litum melle gladium* quandam Auguſtini Epiſtolam vocat ipſe ſale ac aceto multo Auguſtinum perfundens. At cur ſecum ipſi pugnant? more hominum qui multa & magna volumina conſcribunt: neque hic modò ſed alibi ſæpe ſibi parùm conſtare ambos videas. At hîc quidem ratio in promptu eſt. Auguſtinus cùm ex animi ſententia loquitur, *Solis iis Scripturarum libris qui Canonici ſunt*, inquit, *novi hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum autorum ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam.* Quod ut non temerè à nobis allatum ſcias, obſerva quæſo Auguſtinum cùm ad Hieronymum hac de re ſcribit, ubi maximè locus erat, nunquam tamen dixiſſe LXX divinitus inſpiratos, quo uno maximè, ſiquidem id perſuaſum habebat, niti debuit. Sedulò cavit ne quid ſimile proferret, quo latus apertum Hieronymo præberet. At in libris de Civitate Dei, cauſæ inſerviens ac inſtituto, quia impunè poterat, nec Hieronymi Cenſoriam virgam extimeſcebat, Prophetico ſpiritu LXX dignatur. Neque id gratis aut fruſtrà, ſed ubi ſeſe in eas conjectum ſenſit anguſtias, ex quibus alium exitum non inveniret. In Hebræo legebantur 40 dies Jon. III. At apud LXX *Adhuc tres dies.* Nihil quidem intentatum relinquit, ut hunc nodum ſolvat, & omnia expertus fruſtrà, ſeſe demùm ad hanc veluti ſacram anchoram recipit, eundem in Prophetis & LXX fuiſſe ſpiritum. Hieronymo alia fuit cauſa cur ſibi parùm conſtaret. Ipſi nempe duo

Digitized by Google

hæc objicebantur. Alterum, non debere ipſum aggredi Verſionem ex Hebræo novam, cùm LXX Verſio Eccleſiæ uſui abundè ſufficeret. Alterum, non aliud ipſum hac Verſione novâ in animo habere, quàm ut funditus dirutâ LXX exiſtimatione ac dignitate, ſuam ipſe Verſionem in illorum vicem Eccleſiæ obtruderet. Ad prius ita reſpondebat, ut nihil minus quam Prophetas fuiſſe LXX diceret; itaque liberum ſibi fuiſſe aliter quàm ipſi reddere, ac lapſus eorum notare. Ad poſterius regerebat ſe nihil LXX interpretibus derogatum velle, niſi quatenus ab Hebraïca veritate diſcedebant, & ubi corrupta erat eorum interpretatio: itaque in eorum quandoque defenſionem provehitur, ut cùm ait eos noluiſſe margaritas porcis objicere, ita tamen ut eum non tàm ex ſuâ quàm aliorum mente loquutum intelligas. Ad reliquos Patres, Irenæum, qui *unum & eundem ſpiritum qui in Prophetis prædixit & in Senoribus interpretatum eſſe quæ prophetata fuerant*, ſcribit lib. III. Clementem Alexandrinum, &c. quod attinet, ſi nihil aliud intelligerent, quàm hæc omnia non ſine numine adminiſtrata, & ſingulare Dei conſilium hîc interveniſſe, qui Ptolomæo hanc mentem indiderit ut vocaret, Eleazaro ut mitteret LXX, ipſis autem ut libenter converterent, Deumque adeò ſapienter ac feliciter abuſum Ptolomæi ambitioſâ curioſitate, ut gentes Verſionis illius Græcæ ſubſidio Chriſto lucrifaceret, eſſent utique ferendi. Aut ſi gradus divini afflatus acurate diſtinguerent, ut unus ſit immediatus & extra ordinem, alter mediatus & communis omnium, licet præcellens in quibuſdam, & τοῖς Lxx præcellentiſſimum in hoc genere gradum concederent, vindicias nos quidem iis pararemus, qui revelari Patrum nuditatem haud libenter patimur. Jam verò cùm eorum verba diſertiora ſint, quàm ut ullam θεοπνευστίαν ejuſmodi poſſint admittere, quid ſupereſt quàm ut eos non minus certè quàm LXX humanis & erroribus & affectibus obnoxios vixiſſe fateamur?

Ad II. Reſponſ. Fabulas non Hiſtorias eſſe in quibus prodigia cellularum narrantur, quas & Hieronymus *fabulis non refabricatas* aſſervit. Alioqui cur Ariſtæas, qui primus omnium, nec indili genter hanc hiſtoriam poſteris commendavit, de cellulis verbum non fecit? Cur Joſephus in uno conclavi factam eſſe hanc interpretationem aſſervit? licet contrà Joſippus, *Ptolomæum repoſuiſſe ſingulos in ſingulis domibus ſeorſum* contra fidem Joſephi, cujus non abbreviator jam ſed amplificator dici meretur. Cur apud Philonem, Tertullianum, Euſebium rem totam narrantes, interim de cellulis ac ædiculis altum ſilentium? Cur inter eos qui cellulas produnt non leve diſſidium? Juſtinus enim unam ſingulis cellulam tribuit, Epiphanius binos uni cellulæ Interpretes incluſit. Ad alterum miraculum de conſenſione unanimi omnium quod attinet, agnoſcimus ex priſcis Doctoribus permultos hanc perſuaſionem imbibiſſe. Quantò melius Hieronymus *in unâ Baſilica congregatos contuliſſe non propbetaſſe ſcribit* Præfat. in Pentateuchum, cui ſoli, quia ſolus Hebrææ linguæ peritus fuit, plus equidem tribuerim hoc in argumento quàm millenis aliis. Nam qui fontes Hebræos adeunt, facilè deprehendunt

Digitized by Google

non ab omnibus omnes libros, ſed ab aliis alios per partes diſtributis operis fuiſſe redditos. Ac demùm de tertio miraculo, quod in brevitate ſpatii 72 dierum conſtituitur nihil habeo dicere niſi commatis ejuſdem cum reliquis eſſe, ac fucum ſatis ex eo pellucere, quod pro numero Interpretum dies quoq; interpretationis 72 putantur. Nam qui fabulam procuderunt, cum breviſſimum ſpatium quærerent, in vago & arbitrario computo non habuerunt ubi pedem figerent, niſi numerum ipſorum Interpretum. Quod interea prodigium erit longè maximum, ſiquidem univerſa Biblia, quod ultrò admiſit Baronius, tam brevi ſpatio converterunt. Sed nos, ut alias nunc rationes, & graviſſimas quidem omittamus, ideò Pentateuchum ſolum exiſtimamus à LXX converſum, quia hoc, ut dicitur, *αὐτὸ τὸ πρᾶγμα βοᾷ*. Si quis enim diligenter contulerit verſionem Pentateuchi cum cæterorum librorum verſione Græcâ, ſtatim ex diverſo charactere, diverſos Autores fuiſſe comperiet. Non eſt prorſus indigna LXX virûm Autoritate Pentateuchi verſio, licet nævis non careat ſuis. At cæterorum librorum verſio procul ab illius pręſtantiâ eſt, ac multò pluribus craſſioribuſque mendis undique ſcatet. At Patres quos ſuprà memoravimus aliter ſentiunt, inquies. Illis ego Joſephum è Judæis, è noſtris Hieronymum libenter oppoſuerim *πολλῶν ἀντάξιους ἄλλων*. Eos autem qui nobis ædiculas inſtruxerunt nec moror in hac cauſâ, nec miror ſuſcepto faventes negotio, ut res mirabilior eſſet, non modò Pentateuchum ſed uniuerſos libros ſacros à LXX fuiſſe converſos tam brevi ſpatio, tradidiſſe. Quod ajunt Apoſtolos recitaſſe loca Prophetarum nec Pentateuchi modò è verſione Græcâ facilè ſolvitur. Aliæ quippe verſiones Græcæ fuerunt magno in uſu, quæ LXX nomine veniebant & ipſæ. Quod addunt non fieri veriſimile Ptolomæum tot hiſtorias & oracula Prophetarum habuiſſe inſuper, leve eſt: quippe cùm apud ipſos Judæos Pentateuchus eximius & in præcipuâ quâdam veneratione ſit. Unde autem fluxit adeò lepidum commentum de conſenſu mirabili tot capitum & cæteris næniis? A Judæis. At hi quo prætextu, quo colore hanc fabulam in ſcenam produxerunt? Non diſplicet Viri longè celeberrimi conjectura, qui putat ex XXIV. 9. Exodi originem traxiſſe ubi hæc leguntur *καὶ ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρων Ισραήλ οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς* & commate 11 *καὶ τῶν ἐπιλέκτων τῶν Ισραήλ οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς*, quanquam profectò ſatis non capio, quo tandem pacto tam ſtramineo fundamento inædificata fabula tot & tantos plauſores meruerit.

Ad III. Reſponſ. præter miracula commentitia circumſtantias quoque alias hanc narrationem falſi ſuſpectam reddere. Nam primò de Rege Ptolomæo meritò dubitatur; deinde de LXX. De Ptolomæo ut dicamus priùs, ea narrat Ariſtæas, & alii longè graviores Ariſtæâ viri complectuntur, quæ cordato lectori parùm ſe probant, ſive ingenium Ptolomæi reſpicias, ſive rationes temporum. Eo enim fuiſſe dicitur ingenio Ptolomæus, ut incredibile dictu ſit eum de ſacris & religioſis libris nedum de Judaïcâ Lege uſque adeò ſollicitum fuiſſe, non modò

quia idololatra & religioni damnatæ faveus à Chryſoſtomo perhibetur, ſed etiam quia cuncti teſtantur Hiſtorici moribus eum fuiſſe profligatiſſimis. At aliquâ certè numinis reverentiâ tactum fuiſſe oportet qui ad tàm erectum & nobile propoſitum animum appuliſſet, adeóque diras horribiles adhibuiſſet, ſi quis ex opere illo demeret quicquam vel demutaret. *Scilicet is Superis labor eſt*. Quod intereà Ptolomæo tribuitur. Non erat autem uſitata dirarum conſuetudo apud Græcos Romanoſque niſi cum extrema inciderant. Quanquam alii narrant Demetrium juſſiſſe, ut pro ſuâ Iudæi conſuetudine imprecarentur, ſed addunt iidem juſſu Regis procuratum omni ſtudio ut hæc editio ab omni maculâ illæſa diligentiſſimè cuſtodiretur. Non erat autem pro moribus Ptolomæi hac tanta religione affici, qui *Philadelphus* audire voluit, aut per deridiculum audivit, ſed *Miſſadelphus* benè dictus eſſet. Duos enim fratres interemit, quorum ſanguine quæſivit imperium. Arſinoen autem non ſororis loco, ſed ſupra dilexit quàm fratrem decuit. Hunc talem & fraternâ cæde madentem, & inceſtis nuptiis pollutum uix eſt credibile tàm præclaro facinori tanta mole, tanto ambitu, tanto paratu incubuiſſe. Legis quidem potuerit exemplar etiam ſceleſtiſſimus optare ad ornamentum Bibliothecæ; at Legis Iudaïcæ Græcam interpretationem, quam ipſe intelligeret ad alioſque propagaret, imperare non erat niſi Regis optimi. Ad rationes temporum quod attinet dicitur id aggreſſus Ptolomæus inſtinctu & ſuaſu Demetrii Phalerei Bibliothecæ præfecti, quem conſtat ex Hermippo apud Laërtium initio ipſo regni fuiſſe pulſum in exilium à Ptolomæo, in exilioque aſpidis morſu necatum. Non potuerit igitur inſtruendæ Bibliothecæ hortator & procurator fuiſſe. Hoc enim non ſub initium Philadelphi contigit, ut habet Euſebius, ſed anno ejus XXXIII. ut rectè Africanus commemorat, & argumento eſt, quod referente Vitruvio lib. 7. Eumenis Pergami regis æmulatione accenſus eſt Ptolomæus, ut Bibliothecam compararet. Eumenes autem regnare cæpit anno demum Philadelphi XXIII, & Ptolomaïcæ Bibliothecæ cuſtos præpoſitus fuit non Demetrius ſed Ariſtophanes ille inter Dramaticorum filios nobilis eodem referente Vitruvio. Accedit quòd litteræ Demetrii ad Regem, Regis ad Pontificem Pontificis ad Regem amœbææ quo tempore finguntur ſcriptæ non erat in vivis Demetrius, adeóque tres illas Epiſtolas παιδία eſſe τȣ̃ αὐτȣ̃ πατρὸς ex ſtilo pellucet. Hæc de Ptolomæo. Ad LXX nunc me converto: *Sed vos qui tandem, quibus aut veniſtis ab oris*? Incerta enim pariter hic omnia & ἄδηλα. Simeonem quidem Iuſtum, qui ſalvatorem ulnis complexus eſt, & Ieſum filium Sirach, & Eleazarum qui ſub Antiocho martyrii coronam tulit inter LXX Interpretes audio memorari. Sed quo teſte? quibus indiciis? credo quia Senes fuiſſe perhibentur. Baronius ad A. CCXXXI exiſtimat ipſos Synedrii magni aſſeſſores LXXIIvirali verſioni adornandæ adhibitos fuiſſe, atque adeò Pontificem ſummum Eleazarum tanquam Synedrii præſidem. Atqui narrant Veteres unanimi conſenſu Eleazarum à Ptolomæo rogatum non

ut

ut veniret, ſed ut mitteret, miſiſſe qui Regiæ voluntati ſatisfacerent: non igitur ipſe cum iis ad Regem commeârit. Ut omittam quod Pontifex maximus Synedrii præſes dicitur errore manifeſtario; alius enim ראש הישיבה *caput ſeſſionis* erat, alius Pontifex maximus; quid affert Pater Annalium Eccleſiaſticorum, quo tam novum repertum contra Veteres tueatur? ***Seniorum*** nomine ſcilicet vulgo veniebant Synedrii Hieroſolymitani ſenatores. Eleazarus primarium Synedrii membrum fuit. Ergo, &c. Nempe non aliter numerus τῶν Lxx conſtaret. Quas illis pœnas daret, ſi quis noſtrûm in rebus antiquis tantâ licentiâ tantâque confidentiâ verſaretur? quoties Novator appellaretur? Quaſi verò ***Seniorum*** nomen, ut Patrum, non attribueretur ſapientibus ætatis provectioris quanquam in nullo conſtitutis officio. Quis autem in animum inducat extero Regi gratiam facturos Synedrii magni Senatores Hieroſolyma & populum ſuum cui jus dicere tenebantur deſerviſſe cunctos? aut rem adeò memorabilem, qui cætera μετὰ πολλῆς φαντασίας omnia corraſerunt etiam cum veſtigiis ædicularum, etiam cum pulviſculo, ſilentio prætermiſiſſe? donec emerſit Baronius, qui rem tenebris ſepultam, & omni ævo ignoratam nos docuit μάλα αὐθεντικῶς. *At*, inquit Baronius *ego non primus id aſſero, ſed ejuſdem ſententiæ Origenes fuiſſe viſus eſt.* Non dixit *fuit*, quia non potuit, ſed *fuiſſe viſus eſt*, quia lurida quæcunque tuetur, arquato videntur. Equidem apud Origenem tale nihil invenio. Seniores vocat: hoc tantùm. Sed & Ariſtæas eos eodem nomine vocat, qui tamen, cùm cætera commemoret omnia pompaticè quæ faciunt ad commendationem hujus fabulæ, ut de cellulis, ita de Concilio Sanhedrin prorſus tacet. Hilarius unus nonnihil videtur ejuſmodi tradere: ſed iterum ***videtur:*** nam ne hic quidem diſertus eſt. Nec aliunde ſuum traxit errorem quàm ex loco Exod. xxiv. 9. ſupra laudato. Mirum autem cur non adjecerit Baronius aptiſſimos huic operi fuiſſe Senatores Sanhedrin, quippe quos oportuit ſeptuaginta linguarum eſſe peritos (ut idem ſit ubique numerus) ne opus eſſet audire quenquam per Interpretem, ut à Magiſtris proditum eſt. Quod eſſet fabulas fabulis contegere ne perpluant. Quid autem pro Baronio reſponderi poſſit non video, cùm Iudæos legimus quotannis diem illum tanquam infauſtiſſimum Iſraëli ac piacularem jejunio procurare ſolitos, quaſi ob publicam calamitatem, atque adeò tenebras per totum orbem fuiſſe ſparſas ſub Ptolomæo dictitare, ſiquidem res tota geſta eſt atque adminiſtrata non modò auſpiciis & autoritate ſed operâ & manu totius Concilii Sanhedrin, ipſiuſque ſummi Pontificis, cujus erat de Lege, Rege, ſacerdote, atque Prophetis decernere, quod ipſe Barônius agnoſcit? Deberent potiùs illum diem niveo lapillo notatum gratâ memoriâ recolere, quod & alii ſtrenuè feciſſe dicuntur diſcumbentes ac ſub dîo epulantes in Phari littore, ut habet Philo. Baronii verba ſunt: ***Tanta quidem in ſacro illo Senatu inerat autoritas, ut quod illi feciſſent, nefas ducerent in controverſiam revocare.*** Unde igitur factum eſt, quod Iudæi omnes Hebraïca utentes linguâ non modò in contro-

troverſiam revocant facinus illud Supremæ Curiæ Sanhedrin, ſed etiam diris devovent impunè ac publicitùs? Adde quod dicitur Eleazarus ſenos ex ſingulis tribubus electos miſiſſe. Non autem conſtabit ratio, niſi dicatur miſiſſe ſeipſum. Patet autem tunc temporis & uti loquuntur *ad actum* electos fuiſſe, ſi ritè Ariſteæ verba perpendimus. Quanquam ne hoc quidem admittendum eſt. Nam per id temporis poſt captivitatem ſcilicet Babylonicam nec electi erant Senatores Sanhedrin ex duodecim tribubus, nec alii *ad actum* poterant eligi niſi ex tribubus Iudæ ac Benjamin. Diù quippe anteà Salmanaſſar decem tribus in Aſſyriam deportaverat. Ad numerum LXX quod ſpectat, equidem juxta cum cæteris commentitium arbitror. Nec deſunt qui fuiſſe tantùm quinque interpretes affirment. Quod facilè crediderim, ſed miſſos aut certè non prohibitos ab Eleazaro, ut Synedrii totius vel autoritate vel conſenſu facta interpretatio hinc LXX nomen invenerit. *Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.*

Ad IV. RESP. Fieri poſſe ut commodior videatur LXX verſio ipſa Hebræâ origine, cum reipſa talis non ſit. Quòd ſicubi rem acu tetigerunt, quod dici ſolet, id non ipſorum ſolertiæ tribui debet, ſed emendatiori quibuſdam certè locis exemplari, quod præ manibus habuerunt. Nec tanti ſunt, quæ dicuntur apud ipſos verſa commodiùs, ut propterea fontes Hebræos ex eorum Verſione corrigendos arbitremur. Neque tamen ſpernenda lux eſt quæ poteſt hinc locis obſcurioribus inferri, modò ne quis tantùm ſibi arroget, ut ſi quid apud LXX palato ſuo ſapientius deprehenderit, continuò id reſcribendum in ipſo textu pronuntiet ac ſanciat. Quippe non ſi quid planius, continuò & idem verius. Ut cætera mittamus exempla, quorum in nonnullis fateor verſionem LXX commodiſſimam, certè illud Pſal. XIX. *εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ Φρόγγος αὐτῶν*, quod Apoſtolus recitat Rom. VIII. juxta LXX qui videntur legiſſe קלם non קום ut eſt in Hebræo, plauſibile in primis eſt. Attamen ut eos ita legiſſe non illibenter conceſſerim, perperam intereà legiſſe quid ſi dixerim? Nam קום quod habetur in Hebræo codice variè defendi poteſt. Similitudo quippe ducta videtur à litteris & lineis; quibus elementarii pueri ſuis in ſcholis informantur. Qui liber naturæ vulgo dicitur. Hac eadem voce uſus eſt Propheta Eſaias capite XXVIII. ut rudem infantiam Iſraëlitici populi deſignaret. קו לקו צו לצו *lineam poſt lineam, præceptum poſt præceptum* populum illum ait eſſe docendum, inſtar puerorum. Ita hîc apud Pſaltem *dies diem docet, & nox alteri oſtendit ſcientiam.* Deinde fieri poteſt ut aliter non legerint, ſed *φθόγγον* acceperint pro ſcriptura litteræ, non aliter quàm diphtongum & vocalem ſcriptam quoque dicimus. Ita ſumitur *φθόγγος* apud Plutarchum in vitâ Fabii. Denique doctiſſimi Hebræorum filii קו non tantùm pro lineâ ſed etiam pro ſono accipi contendunt. Quod ſi res eſt, non aliter, nedum meliùs, legerint LXX, ſed idipſum quod eſt in Hebræo repræſentârint. Quæ fortè ratio Paulum impulerit, ut verſionem LXX retineret Rom. VIII. quoniam quan-

Digitized by Google

quantumvis ab Hebræo diſcrepare videatur, non diſcrepat. Novimus tamen etiam tùm retineri ſolitam, cùm longè diſcrepat: qua de re jam nobis afferendum eſt nonnihil.

Ad V. RESP. fatendum eſſe Novi Teſtamenti ſcriptores verſionem Lxx ſequi tùm etiam cùm ab Hebræo diſcedit I. Sic Matth. IV. 7. καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις ubi vox μόνῳ additur ad verba Deut. 6. 13. & licetnon compareat in Hebræo, tamen ab Euangeliſtâ retinetur. Sic Matth. XV. 9. μάτην additur ab Euangeliſtâ juxta Græcos, μάτην δὲ σέβονταί με, licet in Hebræo deſideretur. II. Nec modò ubi aliquid additur, ſed etiam ubi omittitur à Lxx, pariter omittunt idipſum Euangeliſtæ ac Apoſtoli ut Eſa. XL. 3. omittunt Lxx בָּעֲרָבָה omittit pariter Matthæus cap. III. confer Eſaiæ VIII. 23. cum Matth. IV. 15. & Eſa. XL. 5. cum Luc. III. 6. & Deut. VIII. 15. cum Act. III. 22. ubi quod omittitur à Lxx, licet habeatur in Hebræo codice, pariter omiſerunt Novi Teſtamenti ſcriptores. III. Nec tantum ubi addiderunt ac omiſerunt aliquid ſed etiam ubi permutarunt vocum ſignificatus οἱ Lxx, eorum tamen veſtigiis inhærent Apoſtoli ac Euangeliſtæ ut Eſa. XLII. 4. *& legem ejus inſulæ expectabunt*, reddidére Lxx καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι. quos Matthæus etiam in tantâ diverſitate ſequitur cap. XII. 21. ſic Pſal. VIII. 3. *Fundaſti robur* in Hebræo, Lxx, κατηρτίσω αἶνον *perfeciſti laudem* hoc autem non illud expreſſit Matthæus cap. XXI. 16. Sic Pſal. XVI. 9. *gloria mea* in Hebræo, Lxx γλῶσσά μου quos ſequitur non Hebræum Lucas Act. II. 26. Sic Eſa. XXVIII. 16. *Qui credet non feſtinabit* in Hebræo, Lxx ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ μὴ καταισχυνθήσεται quos Petrus inſequitur 1 Petr. II. 6. & quæ ſunt ejuſmodi. Ad hæc omnia ſolemnis eſt quam ſupra tetigimus reſponſio, idcirco factum id eſſe quod Lxx verſio, ſeu verſio Græcâ in quâ Lxx facilè principem obtinebant locum, verſaretur manibus omnium atque in ſynagogis prælegeretur: non igitur decebat Apoſtolos intempeſtivè ac nullâ neceſſitate controverſiam de verſionibus commovere, cùm in illâ verſione Græcâ licet inquinatâ præſidii ſatis invenirent, planè ut noſtri quandoque Theologi adverſus Pontificios ex Bibliis Lovanienſibus diſputant *ad hominem*, ut ita loquamur. Sic & Apoſtoli κατὰ συγκατάβασιν omnia facti ſunt omnibus, & συγχωρητικῶς nequid novitate offenderent, in gratiam tùm Gentium, quibus convertendis Græca deſtinabatur lingua, tùm Iudæorum illorum, qui Hebraïcâ vix utebantur, uſu communi receptiſſimam verſionem adhibuerunt. At, inquies, interdum ſacri ſcriptores Novi Teſtamenti, nec Lxx ſequuntur nec Hebræam originem, ſed tertiam interpretationem, idque tùm etiam cùm Lxx planè idem reſonant, ac referunt nobis, quod in Hebræo legitur. Quid ergo cauſæ dici poteſt, ſiquidem Græcam ſequuti ſunt Editionem licet ab Hebræa veritate procul abeuntem, ne fortè aſſuetos huic verſioni populos turbarent, cur eam neglexerint ac inſuper habuerint quamvis apprimè cum Hebræo conſentientem? Quod certè multò quàm illud magis populos turbaviſſet.

bavifſet. Longè quippe maximum hinc Iudæis oblatum eſſet ſcandalum, qui non immeritò quiritari poterant floccipendi ab Euangeliſtis & Apoſtolis autoritatem tùm Lxx-virûm, tùm Hebræorum fontium, cum aliquid alienum ab utriſque, ac veluti tertium producunt, quod nec in verſione Græcâ nec in origine compareт Hebræâ. Hoc feciſſe ſcriptores Novi Teſtamenti clarum eſt his exemplis. Eſa. VII. 14. *Vocabit nomen ejus Immanuël*, Lxx *vocabis*, Matthæus *vocabunt*. Sic Mich. v. 2. *Bethleem Ephrata*, Lxx Bethleem domus *Ephrata*, Matthæus *Bethleem terra Juda*. Eſa. xxix. 10. נסך ſuperfudit, LXX *πεπότικε potavit*, Matthæus ἔδωκε dedit. Confer Oſeæ XIII. 14. cum 1 Corinth. xv. 55. &c. Nodus hic igitur ut perſolvatur, etiam atque etiam notandum eſt. I. Euangeliſtas & Apoſtolos, non tàm fuiſſe teſtes, qui ſeſe verbis adſtringerent, aut diſputatores qui Veterum autoritate non propriâ dogma ſuum confirmarent, quàm Interpretes ac Paraphraſtas & enarratores Prophetiarum, qui ſæpenumero eundem ſenſum verbis aliis retulerunt. Cùm autem idem ineſſet in iis, quo Prophetæ loquuti erant ſpiritus, optimus interpres ſui, certum eſt eos à legitimo ſenſu nunquam diſceſſiſſe. II. Viros divinos minimè decebat, quod eſt ſolemne ſcriptoribus humanis, captare bonæ Fidei exiſtimationem, loca recitando ſcrupuloſè totidem verbis ac ſyllabis. Loquebantur quippe ὡς ἐξουσίαν ἔχοντες, & ſui fiduciâ, nimiam diligentiam & ſollicitam verborum enucleationem aſpernabantur. Non philoſophicâ ſubtilitate, non Grammaticâ utebantur ambitione. Quod veluti pædagogicum etiam ſcriptores profani fugiunt, ſi qui ſunt paulò celſiori conſcientiâ. Certè nonnullis non alia magis ratione ſuſpectum videtur Hebræum Matthæi Euangelium, quàm quòd præter morem ac dignitatem Euangeliſtarum, nimis affectando bonam fidem, non ſententiam Prophetarum appendat, ſed annumeret verba. Quod homine dignum erat, non dignum erat Dei legato, æquali cum Prophetis ipſis autoritate munito. III. Licet Spiritus ſanctus verba quoque ſubminiſtraret amanuenſibus ſuis cum veritate ac dignitate rerum conſentanea, nec falli eos ullatenus pateretur, tamen ubi verba quæ Scriptori ſacro veniebant in mentem aut à ſermone patrio, aut à lectione deprompta nihil nocebant inſtituto, permittebat ea Spiritus ſanctus organis ſuis, & autoritate interim ſuâ quodam veluti ſigillo cœleſti obſignabat. Unde ſtyli varietas fluxit; hinc Lucæ Atticiſmi, Iohannis Chaldaïſmi, Pauli Ciliciſmi. Non igitur verba Spiritus ſanctus dictabat extrinſecus in aurem: tantùm providebat arcano illapſu ne qua nomenclatura ineptior oboriretur memoriæ, ut nihil non ſanctum eſſet in Scripturâ: cæterum in rebus ipſis manifeſto in lumine intus revelandis potiſſima ejus operatio reſidebat. Quod ſatius equidem arbitror Auguſtini verbis explicare quàm meis. Pia ſunt, aurea ſunt, cedro digna ſunt Auguſtini verba hæc de LXX Interpretibus, quanquam in cauſâ non bonâ, cui non ſuffragari nos ex iis quæ ſupra diximus patet. *Ergo & ipſi LXX nonnulla in eloquio variando & ab eadem voluntate Dei cujus illa dicta erant (nimirum Hebraa) & cui*

verba

Digitized by Google

verba illa ſervire debebant non recedendo nihil aliud demonſtrare voluerunt quàm hoc ipſum quod nunc in Euangeliſtarum quatuor concordi quâdam diverſitate miramur, quâ nobis oſtenditur non eſſe mendacium ſi quiſquam ita diverſo modo aliquid narret, ut ab ejus voluntate cui conſonandum & conſentiendum eſt non recedat. De conſenſu Euangeliſt. lib. II. cap. 66. Tom. IV. Edit. Baſil. pag. 454. Quod Lxx quaſi totidem Prophetas aut Euangeliſtas fecit non probamus: At verba ejus tamen Euangeliſtis & Apoſtolis Prophetarum dicta recitantibus apprimè convenire non dubitamus. Verùm perſequamur ſequentia, quia merentur. *Quod noſſe*, inquit, *& moribus utile eſt propter cavenda & judicanda mendacia, & ipſi fidei, ne putemus quaſi conſecratis ſonis ita muniri veritatem, tanquam Deus nobis quemadmodum ipſam rem, ſic verba quæ propter illam ſunt dicenda commendet, cùm potiùs ita res quæ diſcenda eſt, ſermonibus per quos diſcenda eſt præferatur, ut iſtos omnino quærere non deberemus, ſi eam ſine his noſſe poſſemus, ſicut illam novit Deus & in ipſo Angeli ejus.* Hæc verba utinam seriò tot κυμινοπρίσται expenderent qui vel pædagogico ritu ſacras tractant litteras, vel nos ex iis αὐτολεξεὶ demonſtrare fidei noſtræ dogmata jubent, vel magnum ſcandalum exiſtimant, ſi quis Apoſtolus Prophetæ mentem aliis verbis exprimat, nempe quia præſcribit, *ut impleretur quod ſcriptum eſt.* Quaſi verba non res implerentur. Illa jam revolve mihi loca, quæ ſuprà commemoravimus & in iis verba quidem diverſa, ſenſum tamen eundem agnoſces; nec in iis modò in quibus Apoſtoli LXX ſequuntur, non Hebræos; ſed in iis etiam in quibus ſequuntur neutros.

VI. Si ſemper Scriptores Novi Teſtamenti ſequerentur τοὺς Lxx, nec unquam diſcederent ab iis, aliquid eſſet in objectione roboris. Iam verò cùm non rarò Hebræo textui adhæreant, ſpretâ Lxx virûm verſione, liquidò hinc efficitur, quòd noſtri ſequuntur interdum Lxx etiam diſcrepantes ab Hebræo, non inde profectum eſſe, quod pro divinâ Lxx verſionem agnoverint, quam ſtrenuè deſerunt, quoties id res poſtulat, ſed quòd ubi ſenſus ac veritatis ratio patiebatur, noluerint aut intempeſtivè rixari aut ſcrupulum creare infirmioribus. Cùm verò ſenſu diſcrepant nec verbis tantùm ab Hebræo Lxx, Euangeliſtæ ad Hebræum fontem confugiunt, nec ita vel conſuetudini ſerviunt, vel Judæis Græcanicâ utentibus linguâ morigerantur, ut aliquod hinc detrimentum veritas patiatur. Sed quà licet & fas eſt, per ſanctam οἰκονομίαν & indulgentiam, nolunt mutare quod mutatum offenderet, cùm præſertim etiam non mutatum rem conficiat. Quando autem non tantùm incommoda ſed veritati parùm opportuna viſa eſt Lxx interpretatio, Euangeliſtæ ac Apoſtoli prætulerunt Hebræam originem ut Zachar. 12. 10. ἐπιβλέψονται πρός με ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο. Ita Lxx. Verùm Ioh. XIX. 37. & Apoc. I. 7. ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. juxta Hebræum, in quo legimus דָּקָרוּ *transfixerunt*, non ut Lxx רָקְדוּ *ſaltarunt.* Sic Oſeæ XI. 1. ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου. Ita eſt in Hebræo, at Lxx τὰ τέκνα αὐτοῦ. Matthæus autem cap. II. 2. non hoc ſequitur ſed illud, quod eſt longè luculentius, & ad Chriſtum aptius, ac εὐαγγελικώτερον. Sic Eſa. XX. 8. κατα-

πόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος ut eſt in Hebræo, ita recitat Paulus 1 Cor. xv. 54. non ut LXX κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας admodum alieno ac depravato ſenſu. & quæ ſimilia obſervari poſſunt, longè tamen iis pauciora in quibus τ LXX editionem ſequuntur Novi Teſtamenti ſcriptores, Apoſtolicâ libertate. V. Si cui durum dictu videatur Hebræum codicem hodiernum ab eo diſcrepare, quo LXX uſi ſunt, is certè agnoſcat, LXX verſionem hodiernam non parùm ab illâ diſcrepare, quâ Euangeliſtæ ac Apoſtoli uſi ſunt, & quam tam longo temporis tractu variè fuiſſe interpolatam probavimus. Quocirca quæ nobis nunc videntur à LXX diſcrepare, fortè minùs diſcrepabant olim, cùm ſincerior eſſet illa verſio. Sed in eo videtur nobis acquieſcendum, quòd nec LXX verbatim Hebræum textum converterunt, quod intereà debuerant: certè non videntur extra culpam quòd ſæpiùs periphraſticè διάνοιαν expreſſerint, non autem τὸ ῥητόν. Quippe non ea fuerunt autoritate, ut jure quodam ſuo alia pro aliis verba ſubſtituere potuerint. Apoſtolorum alia ratio fuit, qui pro ea quâ pollebant autoritate, voluerunt ad iſtas minutias & formulas deſcendere, ac verbis non iiſdem ſed eundem ſenſum reddentibus, non converterunt, ſed commentario illuſtrarunt ac declararunt veterum Prophetarum oracula. Nec enim verſionem ut LXX, ſed explanationem, applicationem, ac demonſtrationem inſtituerunt. Quapropter nihil opus erat eos in verbis hærere, adeóque non hærere opus erat, ut planiorem facerent interpretationem, dum ſenſum eundem aliis verbis referunt, ut hic locum habeat illud, *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.* Aliud enim eſt fidi officium interpretis, cujuſmodi fuére LXX, aliud ἐξηγητȣ͂ maximè ſupremâ ἐξȣσίᾳ præditi, cujuſmodi fuerunt Euangeliſtæ ac Apoſtoli.

Ad VI. RESP. Magno quidem in pretio ſemper habitos LXX & apud Iudæos & apud Chriſtiani nominis proceres illos, quia Hebræi fontes ignorabantur, ut antè diximus: qui jam noti non ſuo haberentur loco ſi τοῖς LXX poſthaberentur, aut ſi LXX illis æquarentur. Ad Iudæorum ſolemnem illam feſtivitatem quam Philo narrat quod attinet, aut Iudæi duûm ordinum ſtatuendi ſunt, quemadmodum ante jecimus, quorum alii Hebraïcè ſcientes deteſtarentur, alii linguæ ſuæ ignari, & Græca utentes τ LXX editionem complecterentur: aut dicendum narrationem illam ideò ſuſpectam videri, quod Angaria dicitur inſtituta in eam rem cum jejunio, ſiquidem angariæ non alio fine inſtituerentur, quàm ut vel ira Dei placaretur, vel aliqua calamitas averteretur. Quippe tum Legem adeò in linguam transfundi alienam pro flagitio Iudæis erat ut Eccleſ. III. 7. tempus *lacerandi* de iis intelligerent, qui ſacras litteras peregrinâ donabant linguâ. Conſule Scaligerum in Animadverſionibus Euſebianis ad An. 1234 qui non abs re ſcribit, non eo pacto quo Helleniſtæ nugantur interpretationem fuiſſe factam, ſed cùm coëgiſſent Ptolomæi Iudæos τȣ͂ς ἐν τῇ διασπορᾷ Græcè contractus & alia ejuſmodi exarare, atque annos à Philadelpho putare paulatim eis Græciſſandi neceſſi-

neceſſitatem impoſitam fuiſſe, adeoque in ſacris Græca utendi lingua. Unde factum eſt ut Philadelpho imputarint quam verſionem, eo non quidem directe jubente, at ſub eo tamen, eoque ſuis edictis adigente, adornarunt, ut fieri amat. Nihil veriſimilius. Hæc intereà verſio per 800 fermè annos in veteribus ſynagogis Helleniſtarum non Hebræorum uſurpata eſt.

QVÆSTIO VI.

An Vulgata Latina Verſio ſit Authentica?

VIdetur ita eſſe I. quia diutiſſime Latina Eccleſia tùm antè tùm poſt Hieronymum Latinâ verſione uſa eſt. Sicut igitur Hebræa Eccleſia Hebræam, Græca Græcam, quidni & Latina Latinam authenticam habuerit, cùm tres illæ ſint principes linguæ, ipſo crucis titulo conſecratæ?

II. Quia malè proviſum eſſet Eccleſiæ, Scholaſticis, Conciliis generalibus, ubi ſæpe pauci, aliquando nulli ſciunt Hebraïcè: veritatem igitur à Rabbinis iniquioribus cogerentur emendicare. Quod argumentum eſt Cani & Bellarmini, næ parùm honeſtum. Qui & afferunt quod Ruffinus habet lib. x. cap. 21. Ex ſexies centum Epiſcopis qui ad Concilium Ariminenſe convenerant fuiſſe neminem qui ſciret quid ſibi vellet ὁμοούσιος, & proptereà cùm Ariani ſubdolè proponerent Synodo, an Chriſtum optaret an ὁμοούσιον, feſtivè conclamaſſe cunctos, nolle ſe ὁμοούσιον, optare Chriſtum.

Sed contrà Hieronymus Epiſtolâ ad Vitalem ſcribit ad Hebraïcam veritatem confugiendum eſſe tanquam ad arcem & præſidium, idemque ad Iudæos provocat quò verſioni ſuæ autoritatem circundet, quod imprudenter faceret, imò non faceret ſiquidem authenticam putaret. Item Auguſtinus ad Hieronymum Epiſtolâ VIII. *Ut veterum voluminum fides de Hebraïs voluminibus examinanda eſt, ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat.*

STATUS QUÆSTIONIS, non utrum conducat & aliquot locis apprimè veritatem reddat, quod nemo diffitetur. Nam quod antè notavimus de Græca, de Latina idem dici poteſt, nonnullas in eâ culpas notari, quaſi vel contra juſti Leges Interpretis, vel contra Latinitatem peccarit, à quibus eam facile ſit abſolvere, ſi quis paulo diligentius reputet: plus enim habet interdum in receſſu quàm in promptu. Noſtrorum etiam Interpretum nonnullos uideo ſapienter è vulgata lucem quæſiviſſe, ac ejus verba, cùm vel defendi poterant, vel interpretationi luculentæ locum dabant, in rem ſuam convertiſſe. Verùm hoc jam quæritur, utrum Latina verſio ſit à Deo inſpirata, quod nonnulli contendere non erubeſcunt, & myſterii plena, cujus autor Propheta fuerit, vel certè Authentica & optima, ut melior dari non poſſit, & nemo eam quovis prætextu rejicere debeat, quod Concilium Tridentinum ſanxit. Verba verò illa, *quovis prætextu* latiſſimè patent: *Ergo nec prætextu Hebraïci ſcripti*, quod apertè

Digitized by Google

pronuntiavit Hartus Colloquio cum Rainoldo: Alii tamen adjuvant interpretamento mitiori, ut Vega, qui ſeſe id accepiſſe refert à Cardinali ſanctæ Crucis eo ad quem Spiritus ſanctus ad conventum Tridentinum in perâ diſpoſitis equis per veredarium vulgò dicebatur advehi. Ajunt iſti, cùm Authenticam Synodus pronuntiavit, hoc ſibi voluiſſe, nullo eam errore imbui à quo pernicies fidei vel moribus immineret. Certè contentis animis hæc fuit agitata quæſtio ut patet ex Hiſtoria Concilii Tridentini à Paulo Sarpio Veneto (nam verum hoc Autori nomen fuit, cùm quod vulgo præfert Pauli Servitæ Polani, anagramma fuerit) conſcripta. Hinc opinor factum eſt ut tale decretum quod Catanæus cum aliis parum probabat, ajebatque adeò Cajetanum dicere ſolitum qui Latinum ſolummodò textum intelligeret, eum dici non poſſe infallibile Dei verbum intelligere, anathemate nullo armatum fuerit. Intereà Canus, Gregorius de Valentiâ, Villalpandus, Suarezius, alii, diſtrictè dicunt hanc Synodo mentem fuiſſe, ut authenticam omnino etiam in levioribus faceret, ac omnibus editionibus, cujuſcunque fuerint idiomatis, præferret. Neque fidem à ſodalibus impetrat Mariana, cùm libro de Verſione vulgatâ eam non minoris ait eſſe autoritatis quàm fontes ubi cum fontibus convenit, alioqui excuſandam eſſe, ideoque verba hæc, *ubi cùm fontibus convenit*, Hiſpanorum inquiſitorum Index expurgatorius induxit, & acutiſſimè Ludovicus de Tena: *Si vulgata*, inquit, *eſſet authentica quatenus cum fontibus convenit & quando diſcrepat vitioſa: ergo abſolutè non eſſet authentica, neque per decretum Tridentinum majorem quoad nos recipit certitudinem quàm ante habebat, quando etiam antè decretum hoc obtinebat ſub prædictâ conditione nimirum convenientia cum fontibus: Ergo Concilium Tridentinum ita ſi decrevit nihil de novo definiit, ſed lis manſit ut anteà.* Iſag. ad ſcript. lib. I. diſtinct. 6. ſect. 3. Unde concludit in omnibus quantumvis levioribus Vulgatam nullo teneri errore. Alii non pauci hac meliorem nullam dari poſſe aſtruunt & ex eâ primigenios Codices ut pote corruptos emendari debere. Sixtus V. Præfat. ad ſacram Bibliorum editionem (quæ δὶς διὰ πασῶν ab ea Clementis 8 diſſidet, ait Latinam editionem quæ pro authenticâ recepta eſt à Concilio Tridentino, ſine ullâ dubitatione aut controverſiâ cenſendam eſſe hanc ipſam. Ximenius Cardinalis præfatione ad Biblia Complutenſia proteſtatur ſe Latinam poſuiſſe mediam inter Hebraïcam & Græcam *tanquam duos hinc inde latrones, medium autem Jeſum hoc eſt Romanam ſive Latinam Eccleſiam.* Reverà cùm ego rem attentè conſidero idem prope fuiſſe Latinæ vulgatæ, quod Græcæ LXX Verſioni fatum animadverto. Nec eo tantùm quod ſicut Græca maximo fuit in pretio apud eos qui legere non poterant Hebraïca, ſic & Latina fuerit apud eos authentica facta; qui vix legere certe intelligere nec Hebraïca poterant nec Græca. Nam imperitia mortalium caput huic rei fuit. Hebraïcè docti ſemper LXX verſionem in ordinem coëgerunt: Hebraïcè ac Græcè docti ut Cajetatus & alii Vulgatum ſuo loco pariter habuerunt. Sed eo vel maximè ſimilis apparet utriuſque ſors verſionis Græcæ ac Latinæ, quòd ſicut Ptolomæus ad

Græ-

Digitized by Google

Græciſſandum coëgit Judæos in Imperio ſuo atque hinc exorta eſt LXX Verſio, quod ſuprà retulimus ex Scaligero, pari planè pacto Romanus Pontifex omnes ſacris operari voluerit Romana linguâ in imperio ſuo. Plûrimum enim refert ad id ut ſubditi contineantur in officio, ut in eos lingua etiam Principis transfundatur. Quod accuratè Politici obſervant, Pontifex autem Romanus quo nihil πολιτικώτερον, callidè uſurpat. Unde Ximenius, cui naſus erat, Latinam tanquam Jeſum in medio conſecratam, Latino Pontifici Cardinalis gratum facturus, aſſerebat.

RESPOND. QUÆSTIONI, nonnullius operæ pretium eſſe hîc, ut antè fecimus in Græcis, Latinas editiones percurrere, ut uno velut ictu oculi perluſtrentur. Antè Hieronymi tempora tot exemplaria fuiſſe quot Codices, & innumerabiles interpretationes, ſed ex Græco factas, autor eſt & Hieronymus Præfat. in Joſuè, & Auguſtinus de Doctrina Chriſtianâ lib. II. cap. 11. è quibus præ cæteris bona & fidelis erat quæ dicebatur Itala ſive Vulgata. Hieronymus demùm libera per vacuum veſtigia poſuit, & ex Hebræo Latinam Verſionem princeps inſtituit; novi quippe Teſtamenti verſionem ad fidem Græcæ originis duntaxat emendavit, à Judæis magnâ vi pecuniæ doctus, inter quos Barracinam nominat cujus nocturnâ utebatur operâ, & qui Nicodemum ei quendam præſtabat ut ſuæ gentis declinaret invidiam. Hæc Hieronymi verſio, quâ parte novum emendârat, placuit: quâ parte Vetus ex Hebræo LXX omiſſis, tranſtulerat, cùm aliis tùm Auguſtino diſplicuit. Qui ſanè immodico LXX-virûm amore perculſus nihil eſſe ſollicitandum apud eos exiſtimabat, hoc utens dilemmate: *Aut obſcura fuerunt, quæ LXX vertêrunt, aut fuerunt manifeſta: ſi obſcura, te quoque in illis falli potuiſſe credendum eſt: Sin manifeſta, illos in illis non falli potuiſſe manifeſtum eſt.* Retorquet Hieronymus: *Tuo tibi ſermone reſpondeo,* inquit; *Omnes veteres tractatores qui nos in Domino præceſſerunt aut obſcura interpretati ſunt aut manifeſta: Si obſcura, tùm quomodo poſt illos auſus es diſſerere quod illi explanare non potuêrunt? ſin manifeſta ſuperfluum eſt te voluiſſe diſſerere, quod illos latere non potuit, præſertim in explanatione Pſalmorum, in quam è Græcis jam ſex Viri præſtantes incubuerunt,* (quorum reddit nomina) *è Latinis Hilarius, Euſebius. Reſpondeat mihi prudentia tua: Si obſcuri ſunt Pſalmi, te quoque in illis falli potuiſſe credendum eſt: Si manifeſti, illos in illis falli potuiſſe non credendum eſt, & ſuperflua erit interpretatio tua.* Pſalmos autem videtur nobis Hieronymus potiſſimum tangere, quòd in iis res Auguſtino parùm rectè proceſſerit, ut facile quivis animadvertet. *Si cui legere non placet,* inquit Hieronymus de verſione ſuâ, *nemo compellit invitum: bibat vinum vetus cum ſuavitate & noſtra muſta contemnat.* Deinde ajebat Auguſtinus probari ſibi verſionem ad Græcam fidem quam Hieronymus emendârat, quia plurimi Græcæ linguæ ſcientes judicare poterant. *Facilè* inquit, *Contradictor convincitur Græco prolato libro, ut eſt lingua notiſſima. Non ita in Hebrais quia etiam conſulti Judæi poſſunt aliud reſpondere, ut tu ſolus Hieronyme neceſſarius videaris, qui etiam ipſos poſſis convincere: ſed tamen quid*

 judices.

judices mirum ſi potueris invenire. Hiſtoriam deinde narrat Epiſcopi, qui cùm legiſſet interpretationem Hieronymi, in Eccleſiâ, & apud Jonam aliud longè recitaret quàm quod erat in uſu omnium & memoriâ; tantus factus eſt tumultus in plebe, ut cogeretur Epiſcopus Judæorum teſtimonium flagitare. Sive autem ab imperitiâ ſive malitiâ hoc eſſe in Hebræis codicibus reſpondérunt, quod & Græci & Latini habebant. *Quid plura?* inquit, *coactus eſt homo vel mendoſitatem corrigere valens poſt magnum periculum remanere ſine plebe*. Reſpondet Hieronymus: *Hebræos interroga*: fabulam enim narrationem illam eſſe pertendit, & Judæos qui ſic reſponderunt, aut litteras Hebræas ignorare, aut ad irridendos cucurbitarios voluiſſe mentiri. Quippe apud Jonæ locum Hieronymus ubi LXX cucurbitam, Aquila cum cæteris κισσὸν quod in Hebræo eſt *Cicajon*, hederam reddiderat. *Si Cicajon reddidiſſem*, inquit, *nemo intelligeret: ſi cucurbitam id dicerem quod in Hebræo non habetur: hederam poſui, ut cæteris interpretibus conſentirem*. Ac deinde nonnulla paulò fervidius ac ſtomachoſiùs effundit. Ergo quantumvis à nonnullis approbata Hieronymi verſio, vel æmulantium ſtudio, vel piorum ſollicitiori zelo rejecta fuit nec uſu recepta, donec tractu temporis, invidiâ ſupremo fine perdomitâ, emerſit tandem ac unà cum veteri obtinere cœpit: quarum ex utraque conflata eſt ea quam Tridentinus conventus juſſit eſſe authenticam: Hæc enim non ab Hieronymo, cujus à mente plerumque diſcedit, ſed ab aliis autoribus manavit, fatente Bellarmino, & mendis incredibiliter quàm multis ſcatet. Itaque Sanctes Pagninus Lucenſis anno 1528 Leonis exhortatu & ab eodem præbito pecuniæ ſubſidio Biblia denuò Latinè vertit. Quam verſionem Arias Montanus nonnullis mutatis & Pagnini quandoque verbis in oram rejectis in Biblia Regia contulit. Hunc ſequutus eſt Iſidorus Clarius Epiſcopus anno 1542 qui dum veterem pollicetur emendaturum, vafro aſtu novam dedit. Hinc Munſterus Baſileenſis idiotiſmi Hebræi paulò retinentior Latinè Biblia reddidit. Pellicanus autem Vulgatam interpolare maluit. Poſt horum labores extitére Tigurina Biblia, An. 1543 quæ Leo Iudæ vir Hebraïce doctiſſimus non ſine aliorum adminiculo adornavit. Nam & antequam converteret Apocryphos & Novum Teſtamentum ipſe obiit. Prima editio in quarto ad loca difficilia quædam in margine ſcholia exhibet, potiſſimùm in Prophetis. Hanc editionem Robertus Stephanus Lutetiæ cum Vulgatâ conjunxit in octavo, vel ſuis vel Vatabli annotationibus adjectis quæ ideò Biblia Vatabli nomine veniunt, & fortè Stephani non immeritò dicerentur. Vide Pellicani de vitâ propriâ Hiſtoriam ſub finem. Certè ſi Stephani fuerunt ſcholia, nihil Vatabli fuit in iis: verſio quippe à Tigurinis fluxit. Stephanum ideò nomen ſuum celaſſe, ac Vatablo non ſuum opus transſcripſiſſe crediderim quòd nonnulla eſſent ex Vatabli prælectionibus; nec minùs prudenter quàm modeſtè. Quippe tametſi nomen profeſſus non eſt ſuum non idcirco extra invidiæ jactum fuit. Hac enim de cauſa bono illi viro Roberto inquam Stephano Sorbona negotium faceſſere non deſit, donec ille vexationum injuſtarum

juſtarum pertæſus ſolum vertit, & hîc Genevæ in opere aſſiduus ad ultimum uſque vitæ ſpiritum (non jam noſtris ſed integerrimi Thuani verbis utimur) rei litterariæ adjuvandæ propoſitum conſtanter tenuit. Hunc excepit Caſtalio non obeſæ quidem naris interpres & elegantiæ plus ſatis curioſus, qui proterviens in re ſeriâ Dei verbum Ciceronianæ dictionis flore veſtire inſolenti temeritate molitus eſt, Baſileæ An. 1551 & iterum An. 1556 & tertiò An. 1573. Angelos Genios, baptizare lavare, Verbum carnem factum, corporatum convertit. Alicubi tamen haud infeliciter vertit, nec in totum aſpernandus erat, niſi Majeſtatem verbi cœleſtis eloquentiæ intempeſtivæ lenocinio imminueret. Longè longéque caſtiùs & fructuoſiùs Tremellius ac Iunius conſociatis operis in eandem curam incubuére. Apud quos intereà Druſius aliique multa requirunt. Quibus equidem, niſi quando inclementiùs loquuntur, accedo. Quippe ut virorum optimè de rebus Eccleſiæ meritorum exopto memoriam perpetuâ coli benedictione, ita varias eorum fruſtrationes non poſſum non agnoſcere atque adeò commodiorem interpretationem ſitienter expectare. Quam & illi, quâ erat facilitate ſe fraterno animo deoſculari paratos profitentur. Magnus Eraſmus quàm illò uſque ingenioſiùs Latinitate donavit ſacras litteras. *Ejus lucubrationes*, inquit Leo X in brevi ad Eraſmnm, *valdè nos delectarunt non tàm quòd noſtro nomini dicata, quàm quòd non vulgari ſed novâ & inſigni quadam eruditione* præſtabant, omniumque doctorum calculo plurimùm laudabantur. Paulus IV tamen ſic præſtantes & ſic laudatas retulit in cenſum librorum damnatorum. Denique piæ ac immortalis memoriæ Theodorus Beza noſter animum Græcis ac Latinis litteris penitùs imbutum ad Novi Teſtamenti verſionem attulit, ac cæteris omnibus facilè palmam præripuit. Quanquam & apud hunc non neſcimus à doctis nonnulla deſiderari. Neque nos eum immunem peccati facimus, neque nimium probamus aut quòd ab *humilitatis* vocabulo licet non Latino tamen uſu totius Eccleſiæ receptiſſimo abhorruerit, aut quòd *εὐδοκίαν benevolum affectum*, reddiderit, quæ vox nobis aliud longe ſonat, & quos alibi nævos in pulcherrima facie notabamus. Quæ tamen vertit & annotavit ſummâ laude digna & ſeculis profutura ne ipſa quidem invidia negare ſuſtineat. Sed nos jam Vulgata revocat, cujus flagitia innumerabilia & Eraſmus, & Wittakerus, & Hunnius, & Chamierus, & Amama, & alii corrogarunt non ad ſermonis curam duntaxat pertinentia, unde illi flores nati ſunt, *deſtravit, appropriet, mirificavit, manicavit minoravit*, *pœnitemini*, *voluit me* pro *amavit, inceſſabilis*, *inconfuſibilis*, *vale faciens*, *peſſimare*, &c. ſed & ad rem ſpectantia, & ad rem Romanam facientia, cujuſmodi Gen. III. *Ipſa conteret caput*, de quo anteà. Nec non Rom. IV. ἐξ ἔργων, ubi dicitur Abraham juſtificatus, *ex operibus Legis* redditur, ut fiat locus diſtinctioni operum cæremonialium & moralium, quod & Lovanienſes in ſuis Bibliis pro ſuâ modeſtiâ retinuerunt, ne quid res Pontificiorum publica detrimenti caperet: Sixti tamen Editio emendavit. Sic Hebr. XIII. ut æternæ vitæ meritum adſtruatur pro εὐαρεστεῖται *promeretur*

retur barbarè nec barbarè tantùm, ſed falſò etiam redditur. Denique Tridentinus ipſe conventus, quò probet Eccleſiam diſpenſandi poteſtatem habere in iis quæ pertinent ad ſubſtantiam ſacramentorum abutitur mirificè 1 Cor. IV. quo loco Miniſtri Eccleſiæ vocantur *diſpenſatores Myſteriorum* Dei: Nam prætérquàm quod myſteria pro ſacramentis, ut alibi Vulgata eadem ad Epheſios epiſtolâ, perperam ſumit (niſi volumus non modò matrimonium, ſed etiam eorum immutationem qui ſupererunt in fine ſeculi ſacramentum eſſe, cùm pariter à Paulo dicatur myſterium) prætereà fraus manifeſta fit ſub homonymia vocis hujus *diſpenſare*. Quæ cùm varia ſignificet, nihil minùs quàm quod Tridentini Patres callidiùs quàm indoctiùs arbitrantur, ſignificat hoc loco. Duplici nomine vocat Apoſtolus *οἰκονόμους provisores* myſteriorum, tùm quia debent omnia omnibus fieri per ſanctam indulgentiam & *συγκατάβασιν*, quod Græci vocant *οἰκονομεῖν*, Galli non alienâ nomenclaturâ *ſe ménager*; tùm quia non debent omnia præbere omnibus promiſcuè, ſed quibus, & quando, & quemadmodum oportet, ut habet Nazianzenus, per ſanctam prudentiam cum delectu & vario diſcrimine alimenta ſpiritualia & pharmaca præſcribere ac miniſtrare, Legem ſuperbis, Euangelium afflictis, laſcivientibus in carne juſtitiam & *τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ*, luctantibus cum deſperatione gratiam & *ἱλαστήριον τοῦ Χριστοῦ*. Rectiſſimè Philoſophus: *Aliud eſt ſanare hominem, aliud ſanare Socratem.*

Ad Argumenta Reſp. Ad I. longo uſu nihil authenticum fieri. Alioqui vetus illa, quæ nunc rejecta eſt, antequam Hieronymiana obtineret, authenticam fuiſſe oportuerit. Vetus adeò nihil eſt, quod non aliquando fuerit novum: quod ſi novum cùm eſſet, authenticum non fuit, *αὐθεντίαν* veteraſcendo colligere non potuit. Alioqui & Lovanienſis aliquando fiet authentica, nempe cùm erit vetuſta. Deinde is non fuit uſus Eccleſiæ totius, ſed Latinæ tantùm, neque Latinæ ſemper, ſed à Gregorii duntaxat ævo. Nec Latina lingua univerſalis unquam fuit, in Oriente alibique ignorata. Nec ulla hodiè natio Latinè loquitur. Neque pari conditione fruitur Eccleſia Latina cum Hebræâ & Græcâ in circumſtantiis, quæ nihil ad religionis eſſentiam pertinent. Alioqui & Græca vetus, & Iudaïca novum Fœdus idiomate ſibi ſuo vindicare pari jure poterit. Neque Græcis modò novum Fœdus Græcè datum eſt, ſed quibuſvis gentibus etiam Latinis, ut patet ex Epiſtolâ ad Romanos ſive Latinos Græcè tamen ſcripta, quia *Græca*, ut inquit ille, *legebantur in omnibus gentibus, Latina ſuis finibus exiguis ſanè continebantur.*

Ad II. RESP. Ruffini dictum non eſſe prorſus indubitatæ fidei, eumque *virtutem verbi* non verbum ipſum ignoratum dixiſſe. Deinde Hieronymus adverſus Luciferianos ait eos non ex ignorantiâ vocis, ſed ut gratificarentur iis quos novitate ſuâ ſcandalizabat rejeciſſe *ὁμοούσιον*, ſcilicet ut quæſito colore ac nomine pacis concordiam prætexerent, quia *ὁμοουσίου* vox turbabat, Chriſti nomine in ejus vicem ſuffecto pacem fieri poſſe incautè

cautè crediderunt. Sed eſto: Græcæ principia linguæ Concilium illud ignoraverit. Quid inde conficitur niſi quòd ait Auguſtinus linguæ *Latinæ homines duabus aliis opus habere ad Scripturarum cognitionem Hebræâ ſcilicet & Græcâ, ne laqueos nobis in vocibus nečti patiamur?*

PARS III.

DE PERFECTIONE Scripturæ, quæ VI. Quæſtionibus abſoluitur.

I. *Vtrum Scripturam eſſe ſine Traditionibus perfectam, & ſufficientem è Scripturâ probari poſſit?*

II. *Vtrum rationibus?*

III. *Vtrum ex Patribus?*

IV. *An perſpicuitas, altera Scripturæ perfectio poſſit è Scripturâ demonſtrari?*

V. *An rationibus?*

VI. *An ex Patribus?*

Digitized by Google

HActenus de Scripturæ tùm *Autoritate* tùm *Integritate* diximus primâ & ſecundâ hujuſce libri parte; ſupereſt ut de *Perfectione* dicamus, quod hac tertiâ & poſtremâ parte facturos nos eſſe recepimus. Quanquam enim ad Perfectionem integritas videtur pertinere, tamen alia nunc quæſtio agitur quàm quæ fuit ſuprà. Quærebatur nempe utrum Scripturæ liber aliquis periiſſet, ac utrum qui ſuperſunt ita contaminati forent, ut ex iis certò & liquidò ſalus hauriri non poſſet. Jam verò quæritur An Scriptura Canonica, quam integram eſſe demonſtravimus, per ſe ſufficiat, & ita perfecta ſit, ut nihil indigeat præſidio Traditionum, hoc eſt an Canon ille, quem *κατὰ τὸ ποιὸν, & κατὰ τὸ ποσὸν* integrum eſſe probavimus, nec aliquâ parte ſui defectum, nec aliquo inſigni vitio infectum & afflatum, ſit ſufficiens & perfecta credendorum & faciendorum regula, quod eſſe diverſum Quæſtionis genus nemo non videt. Geminam verò Perfectionem facimus, unam quâ *ſufficientia* Scripturæ, alteram quâ *perſpicuitas* deſignatur. Nam ſi non ſufficiat, perfecta utique non erit. Nec erit ſufficiens niſi perſpicua eadem fuerit. Perfectio prior abſoluta eſt, atque ad plenitudinem Scripturæ pertinet, ita ut completa ſit & *αὐτάρκης* in ſeſe, auxiliares Traditionum copias non requirat. Poſterior eſt relativa & ad uſus noſtros pertinet, ita ut perfecta ſit & ſufficiens *nobis*; Aliud enim eſt *bonum*, aliud *bonum mihi*, ut Ariſtoteles diſtinxit. Quantumvis enim partibus integra, qualitatibus incorrupta, omnibus denique numeris abſoluta, *Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga Patrum* & abſque Traditionibus humanis perfecta Scriptura, ſi tamen obſcura eſſet, nihil prodeſſet non intellecta, non certè magis, quàm ſi vel mutila & manca, vel mendoſa & inquinata, vel inſufficiens & incompleta eſſet. Ut igitur noſtra nunc relegamus veſtigia, Fruſtrà Scripturam effecimus auctoritate divinâ præditam, tùm *in ſeſe* tùm *quoàd nos* in parte primâ, niſi extaret nobis tota & quoàd partes Integra: nam ſi periiſſet injuriâ temporum, nihil ejus ad nos pertineret autoritas, & fruſtrà confeciſſemus haberi quoàd partes integram, ſi violata eſſet corpore toto & mendis obſita, & niſi Canon incorruptus, in neceſſariis potiſſimùm, ad nos perveniſſet: quod utrumque probavimus in parte alterâ. Fruſtrà pariter oſtenſa eſſet Scripturæ tùm autoritas, tùm integritas, niſi ſufficiens ac perfecta ſine Traditionibus eſſet: Nam licet à nobis haberetur tota, niſi totam ſalutis doctrinam complecteretur, & auctoritatem ſuam divideret cum Traditionibus, & abſque illis quamvis incorrupta & integra, tamen incompleta videretur: Ac demùm niſi perſpicua eadem foret, nihil juvaret nos ejus vel auctoritas & poteſtas, vel integritas & puritas, vel ſufficientia & plenitudo, utpote ignota & incomperta, & ab Eccleſiæ nutibus pendendum nobis eſſet. Quocirca plenitudinem ac ſufficientiam primò, deinde lucem ac perſpicuitatem, quæ duplex eſt Scripturæ perfectio, demonſtraturi ſumus in hac poſtremâ parte, cum bono Deo.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO I.

Utrum Scripturam ſine Traditionibus perfectam eſſe ac ſufficientem è Scripturâ probari poſſit?

Videtur contrarium probari, *Primò* ex Joan. XVI. 12. *Nondum poteſtis ferre*, tùm XXI. 25. *Mundus ipſe libros non caperet.*

Secundò ex 1 Cor. 11. 20. *Sicut tradidi vobis* & 34. quid enim diſpoſuerit ſcriptum nullibi reperias; & 2 Theſſ. II. 5. *Tenete traditiones*, inter quas & hanc eſſe volunt, quando ſit venturus Antichriſtus, quod in Scriptura minimè legitur.

Tertiò 2 Theſſ. III. 6. Subducatis vos ab omni fratre, qui ſe non gerit κατὰ παράδοσιν.

Quartò denique 1 Tim. VI. 20. & 2 Tim. I. 14. vox *depoſiti* ſollicitè urgeri ſolet & 2 Tim. II. 2. *Quæ audiviſti, commenda fidelibus*, non *Quæ ſcripta ſunt* aut, *quæ legiſti commenda librariis.*

SED contrà Pſal. XIX. 8. *Lex Jehovæ perfecta.* Nam quod ajunt *immaculata* ſubjici, & *perfectum* de qualitate non de partibus accipi, planè nulli rei eſt, quando תם & תמים etiam cùm de qualitatibus dicuntur integritatem partium hominis novi & quandam veluti virtutum Chriſtianarum univerſitatem ſignificant inter ſeſe conſentientium. Cùm verò de hominibus ſermo eſt, qui ſpiritus modò primitias acceperunt, carnis autem reliquias circumferunt, neceſſe eſt ἄμωμον intelligi & *ſincerum*: at in Legem Dei quæ ſpiritualis & planè divina eſt, nulla ejuſmodi cadit infirmitas. Quod ſi Davidis tempore Lex perfecta erat, quantò perfectior erit, Lex vitæ, Lex libertatis, Lex Regia ſub Euangelio? Si verò nec perfecta eſt ſine Traditione Scriptura, nec ſine Scripturâ Traditio, pariter dicere liceat, *Traditio hominum perfecta.*

STATUS QUÆSTIONIS non eſt de Traditione quâvis: nam *traditio* etiam in Scripturâ quoties uſurpatur ſolitariè, probo ſenſu accipitur, & à nobis admittitur, ſed quoties cum epithero aliquo conjungitur, ut *traditiones Patrum* Gal. I. 14. alibi *hominum, ſeniorum, Phariſæorum* traditiones tanquam venena devitandæ ſunt: planè ut *meriti* nomen quod in Eccleſia receptum eſt olim pro *obtinere*, ſenſu legitimo, à noſtris tamen exulat Eccleſiis propter abuſionem; ita ferè traditio: quanquam ſine traditione non ſcriptâ omit-

Digitized by Google

pro concione ad populum, & ſine ritibus nonnullis nulla poteſt Eccleſia contineri.

RESPONDEO QUÆST. magnam vim ſuppetere nobis locorum Scripturæ quibus ipſa ſuam ſibi perfectionem aſſerit & ſufficientiam. *E veteri Teſtamento* Deut. IV. 2. & XII. 32. Quid reſpondebunt? An dixiſſe *à verbo quod loquor* non *à verbo ſcripto*? Sed contrarium patet Deuter. XXV. 9. An multa fuiſſe addita, Prophetas, Euangelium? Sed hæc pro variis ætatibus Eccleſiæ ſunt commodè dividenda: nam quæ infantiæ ſufficiunt, grandioris ætatis uſum non abſolvunt, ſuntque de Deo non de hominibus intelligenda: nam quæcunque adjecta ſunt Dominus adjecit. An hîc vetare Deum ne violentur negativa, neve affirmativa omittantur præcepta? Sed quis ita loquitur ut aliquid minui vel auferri cùm omittitur, ei verò addi vel augeri cùm violatur dicat? Certè id affirmare ſatis non fuit, nec omitti probâtio debuit. An quod Bellarminus ait, cautum voluiſſe Deum, ne quid mutaretur ex iis, quæ tùm præcipiebat, nihil autem de iis ſtatuere quæ tempore alio præcepturus erat? Sed quis non videt ut mandata obſervari jubentur, ita doceri debere cùm non alio fine doceantur? itaque Apoc. XXII. ſub finem exerta fit *doctrinæ* mentio, qui locus tamen ad hunc Deuteronomii alludit. Deinde non aliquid ſingulare tunc Dominus jubebat, ſed de totâ Lege præcipiebat, quæ ſi debet ita ſanctè haberi ut nihil immutetur, quidni & Lex *perfecta*, Euangelium eâdem religione ſuſcipietur? An Deum interdicere modò flagitia, quibus Scripturæ ab exſcriptoribus falſantur? At locus non de ſcriptione ſed de impletione Legis loquitur. Adde quod non alio fine vetari potuit, ne quicquam Legi adderetur aut ab eâ demeretur, quam ut pariter obſervaretur abſque ullâ vel diminutione mandatorum Dei, vel additione doctrinarum, quas homines pro ingenii ſui libidine confingunt. An prohiberi modò quæ contrà non quæ ſuprà, ubi על Hebræorum urgetur, quod utrumque ſignificat? Sed fatemur ita ſumi vocem על interdum, non tamen ubi particula מן ei adverſatur ut hoc loco, neque ubi ſit additionis mentio, quod eſt longè aliud quàm ire contra Legem, ſive Legem abrogare aut evertere, quod qui Legi addit aliquid nullus facit. *E Novo Teſtamento*, quod pro eâ quâ pollet lucis copiâ teſtimonia ſuppeditat nobis haud paulò luculentiora, Gal. I. 8. ubi fruſtra idem quod ſuperiùs excipiunt, nempe ὑπὲρ non *præter* ſed *contrà* eſſe. Nos idem reſpondemus quod ſuperiùs, ac inſuper adjicimus quod præter aut ſupra Legem Dei eſt, & eſſe contra Dei Legem: Nam quod eſt redditum Legi quæ cavit nequid adderetur, ei contrarium rectè dicitur, præſertim ubi Legiſlator unus eſt Iac. IV. 2. & unus Dominus: Quis enim ſervum non quidem contra juſſa Domini ſed aliud longè facientem ferat? Legatur Gellius lib. I. Noctium cap. XIII. Ita uxor ſi dicat ſe nihil adverſus maritum facere, quòd amicos adulteros non adverſarios maritali thoro adjiciat, & conjungat, quis ludicram defenſionem admittat? Non poteſt addi ſponſus ſponſo, Euangelium Euangelio, Mediator Mediatori, ſacrificium ſacrificio, caput capiti Eccleſiæ aliud niſi contrarium. Neque vim loci frangit,

Digitized by Google

frangit, quòd *Euangelizatum eſt*, non *ſcriptum eſt* dixit Apoſtolus: Nam hic locus & Galatas reſpicit, & univerſam Eccleſiam, licet alio atque alio modo: Galatas, quatenus ipſi judicare poterant de doctrinâ, quam præſentes à præſentium Apoſtolorum ore acceperant. Univerſam Eccleſiam, quatenus ea non equidem audivit, ſed legere poſſit & explorare omnia ut quod bonum eſt retineat. Nititur enim nobile Pauli dictum hac ſuppoſitione, aliquam eſſe certam regulam ad quam Euangelii ſinceritas exigi debeat, quæ nihil commune habeat cum autoritate docentium licet Angelicâ vel Apoſtolicâ. Cujuſmodi fuit Galatis Euangelizatum verbum, nobis autem ſcripto conſignatum, normam ut fidei conſtituat. Qui locus igitur traditiones evertebat olim quæ aliquid verbo annunciato adderent, idem nunc & eas evertit, quæ aliquid ſcripto adjiciunt. Chryſoſtomus legitor in hunc locum, cui geminus germanus occurrit 1 Corinth. IV. 6. Ad hunc autem reſponderi ſolet præceptum eo ſingulare contineri de ſuperbiâ declinandâ, quod ut verum eſſet, non tamen ratio noſtra nihil valeret. Quippe non alio fundamento poteſt inniti Paulinum argumentum, quo dehortatur à ſuperbia, quia ſapiendum nō eſt ſupra quod ſcriptum eſt quàm hoc, nempe quòd in omnibus quæ pertinent ad fidem, nec non vitam & mores, quæ ſcripta ſunt perfectæ normæ inſtar habent. Nam ſiquidem hac ratione uſus eſſet Paulus hîc duntaxat, ubi ad humilitatem hortatur, in promptu erat reſpondere: Quid nos urges tantopere ob ea quæ ſcripta ſunt Paule ſanctiſſime, cùm in cæterâ vitâ & doctrinâ non pendeamus à Scripturis? At neque id verum eſt quod ajunt de humilitate modò Apoſtolum loqui. Næ parùm Epiſtolæ ſcopum & Eccleſiæ ſtatum Corinthiæ advertunt, qui ſic ſtatuunt eum de ſuperbiâ modò verba facere quæ naſcitur ex indole difficili & glorioſis moribus, non autem vel potiſſimùm de ea quæ ſolet ex ſublimitate ſapientiæ ac doctrinæ oriri: nec unquam niſi ſupinè legerunt cap. I. 9. & II. 18. Sed veniamus ad illuſtrem locum 2 Tim. III. 15. &c. quem copioſius pertractatum ab illuſtribus viris, nos carptim & ſtrictim explanatum & vindicatum damus. Excipitur primò non deſcriptis Novi ſed Veteris Teſtamenti, quas unas à puero litteras Timotheus didicerat, loquutum eſſe Paulum. Sed nos jam prædiximus non fuiſſe ſub Lege neceſſaria eadem quæ ſub Euangelio fidei capita, ſemperque Scripturam credendorum *pro tunc* normam fuiſſe. Porrò ſi Vetus ſuffecit abſque Novo quidni cum Novo ſatis erit? Addit Apoſtolum dixiſſe non *tota* ὅλη, ſed πᾶσα *omnis* diſtributivè non collectivè, ſingulaſque Scripturæ partes hîc intelligendas venire quibus tamen ſingulis perfectionem abſolutam nemo auſit attribuere. Atque hæc illi. Nos autem viciſſim regerimus hæc quoque: Si partes exiguæ, commata, capitaque utilia ſunt ad docendum, &c. quidni totum corpus ex tot capitibus conflatum? Parùm igitur circumſpectè reſpondent, & ſe ſuo ſibi gladio jugulant. Neque tamen ita Paulum interpretari animus eſt: nec enim de ſingulis partibus verum eſt quod ſubjicit perfectum reddere Virum Dei; neque ſemper vox πᾶσα diſtributivè accipitur non certè Matth. II. 3. Act. II. 33.

Digitized by Google

Nec hoc loco, ut circumſtantiæ innuunt, & Dionyſius Carthuſianus Scripturarum non improbus plerúmque interpres fatetur. *Omnis*, inquit, id eſt *tota*. Stapletonus fruſtra objicit octo tantùm locis inveniri hancce nomenclaturam, cùm in uno Scripturæ libro puta Ioſuæ crebriùs quàm octies occurrat. Sic Ariſtoteles, Plato, & Ocellus de Univerſi naturâ *τὸ πᾶν* uſurpant, & Cicero *totum* reddit. Sic Cæſar *omnem* Galliam dixit. At nondum Scriptura tota edita erat, inquiunt, & Iohannis Euangelium, & Apocalypſis deſiderabantur. Quid tùm, inquam, poſteà? Nonne totum Chriſti corpus, tota Eccleſia dicitur ejus animari ſpiritu Eph. IV. 16. cùm tamen permulti adhuc electi naſcituri ſint? Atque ut ſimile adhibeamus Chryſoſtomi decimâ in Geneſin homiliâ, ut ſtatim ab orbe condito terræ fructibus, quantum ſatis erat, homines alebantur, qui tamen conceſſo eſu animantium pleniùs uberiúſque nutriuntur: ita ſufficiebant veteris & novi Fœderis libri, quanquam nonnulli deërant: ex omnibus tamen poſt conſignatum Canonem doctrina ſalutis hauritur luculentiùs. Aliò jam ſe recipiunt, ajuntque perfectè inſtruere Scripturam, quia expreſſè continet multa, cætera verò quæ non continet, unde ſint petenda monſtrat & commonefacit. Scilicet hoc pacto perfectam Philoſophiam doctus erit alumnus, qui cùm pauca præcepta vix delibaverit, cætera doctorum indigitabit Magiſtrum, qui conſulatur ejus admonitu. Enimverò bellam Scripturæ perfectionem, oſtendere nutu ac ſignificare, unde perfici poſſit, quod ipſa perficere non valet! Annon hæc imperfectionis clara eſſet profeſſio? Si vellemus ita calculum inire, Lex quoque Moſaïca, cujus erant infirma & paupertina rudimenta, quæque nihil perficit, autore ad Hebræos Apoſtolo, tamen perfecta dicenda foret, Chriſtum enim commonſtravit, ad eumque deduxit, ſed ab illo demùm perficiendos. Unde *perfecti*, nec modò ſancti dicuntur Chriſtiani. Prætereà ſic ſatis erat hæc duo verba ſcribi, *Dic Eccleſiæ*, quandoquidem hinc eruere ſatagunt Eccleſiam in omnibus audiendam, ſeu ſcripta fuerint, ſeu ſecus. Ad hæc addunt *σοφίσαι* ſimpliciter eſſe *inſtituere*, cæterum alias eſſe *initiantes* inſtitutiones, *conſummantes* alias: priores hîc Timotheo attribui nempe initiantes & partiales uti loquuntur. Verùm obſtat huic interpretamento id quod immediatè ſequitur nec divellendum fuit, *ut Vir Dei perfectus reddatur*: hîc ergo doctrinis conſummantibus locus erat: Nam quem *Virum Dei* vocat Apoſtolus non eſt quivis è plebe Chriſtianâ, ſed Propheta Novi Teſtamenti, doctor Euangelii, deſumptâ ex Oriente formulâ, id eſt ſervus Dei, quemadmodum audiunt Euangelii præcones notione quadam ſingulari. Sic *viri Saulis* dicuntur ſervi Saulis, quod & idiomatis noſtratium ratio patitur, ubi de miniſtris Regum ſermo eſt. Quòd ſi Scriptura ſufficit erudiendo tali Dei viro eadem populo inſtruendo & gregi fidelium quidni ſufficiat? Deinde obſtant & uſus multifarii quos Paulus memorat & inter alios τοῦ ἐλέγχου, quod in tyrones ac nuper initiatos vix cadit. Quanquam igitur *σοφίσαι* largiter apud ſcriptores τοὺς ἔξω uſurpatur: in Scripturâ tamen ſapientiam plerumque ſonat habitumque perfectum. Poſtremò utilem ait eſſe Scripturam Peronius,

Digitized by Google

ronius,non tamen ſufficientem. Sic *ἄριστον μὲν ὕδωρ* , & utiles divitiæ felicitati, non tamen ſufficiunt. At oro te,quid cauſæ fuit cur vocem illam *poſſe* retinuerit, quæ ſanè in exemplis allatis non habet locum: Nemo enim dixerit aquam poſſe vitam tueri aut divitias poſſe felicitatem abſoluere: Paulus tamen poſſe ſacras litteras *σοφίσαι*, quod nihil aliud eſt quam eas utiles eſſe quatuor illis, quos attexit uſibus. Fines quoque diſtinguendi veniunt, alii *proprii, per ſe, immediati*, alii *remotiores & per accidens*, non tàm ex ſcopo naturæ quàm ex hominum conſuetudine profecti: Nam *quod natum eſt id commodat uſum*, inquit juxta impius & elegans Poëta Lucretius. Sanè priori ſenſu quicquid eſt ita perfectum, ut poſſit aſſequi finem ſuum, effectumque dare, idem ſufficiens erit. Sic ignis calefacit, aqua refrigerium ſufficienter parit, non tamen ſufficit alterutrum, ſed nec utrumque vitæ tolerandæ,qui finis eſt remotior. Sic libri Phyſici ſufficienter docent naturam rerum, qui finis eſt proximus & immediatus, tamen in re Medicâ non ſufficiunt,qui finis eſt ulterior. Eſt etiam perfectio *debita ineſſe* diſtinguenda diligenter à perfectione *indebitâ* ſive diverſi generis. Nec enim diſtinctionem refutamus, quâ in Colloquio Ratisbonenſi nonnemo vociferatur ſe perfectionem Scripturæ debitam largiri, nec eſſe hominem imperfectum quòd alis deſtituatur aut cornibus. Eſto: ſed quam nos aſſerimus, illi autem derogant, perfecto. Scripturæ debita eſt, cùm nihil afferatur ſcitu neceſſarium quod non oſtendamus è Scripturâ peti. Nos igitur benè diſtinctionem hanc adverſus eos regerimus, cùm falſò prætendunt nos uſum Commentariorum,præſidia librorum, operam Doctorum abrogare: Scripturam enim ſciſcimus in ſuo genere perfectam, ſeu perfectione debitâ præditam, nec ei diverſi generis perfectionem attribuimus. Ut montes noſtri & paſcua noſtris ſufficiunt armentis, quæ non ideò tamen minùs ductore indigent. Neque ſi candelæ lux ſatis eſt illuſtrando cubiculo, ideò minùs requiritur candelabri ſubſidium. Fruſtrà igitur Stapletonus exclamat vivam Eccleſiæ vocem ac ſpiritum requiri præter doctrinam litteralem. Denique Iobi xx. 30. 31. Luculentus eſt locus, cui reſponderi ſolet vocem *ἵνα* ſignificare deſtinationem cujuſl:bet medii ad finem, nec non *ταῦτα* referendum eſſe ad miracula ipſo fatente Calvino. Sed noſtri rectè dicunt noſtrum ex talibus voculis non confieri argumentum, ſed à Iohannis mente deſumi, quæ non alia eſt, quàm obviam ire huic ſcrupulo; deeſſe multa Euangelio: ille autem concedit non fuiſſe ſcripta permulta geſtorum Chriſti: ſed idem aſſerit quæ ſcripta ſunt ea fini eſſe ſcripta *Ut credamus & vivamus*. Unde patet non modò ad miracula,ſed ad miracula cum dogmatis comprehenſa id eſt uniuerſam Iohannis doctrinam vocem *ταῦτα* referendam eſſe. Non enim cauſa eſt, cur ſollicitus fuerit Iohannes ad id reſpondendi quod objici poterat ex miraculorum nonnullorum ſilentio, non autem ſollicitus fuerit reſpondendi ad id quod ex doctrinarum prætermiſſione plurimarum longè plauſibiliùs objici poterat.

RESPONDEO ad Arg. I. Ioh.xvi.

12.

Digitized by Google

12. Agi de Apoſtolis nondum Spiritus illapſu ſolemni die Pentecoſtes colluſtratis: poſt illa enim & prædicare valuerunt & ſcribere quæ ferendo non erant anteà. Conſule Ioh.xv.15. Ad illud autem quod affertur ex Ioh. xxi. 25. Agi non de dogmatis, ſed vel de ſermonibus Chriſti variis, vel de miraculis, quæ ſine ſalutis noxâ poſſunt non latere, patet ex iis quæ prædiximus.

Ad II. RESP. de Cæremoniis locum intelligendum eſſe, aut ſi de dogmatis neceſſariis hanc Paulo mentem fuiſſe, unâ ad Corinthios epiſtolâ omnia non fuiſſe perſcripta, ſed id eos vel ex Scripturâ cæterâ, vel ex ipſo Pauli ore coram docendos. Ad 2 Theſſ. II. 15. pariter dicimus nondum conſignatum eſſe Canonem, næ ad Theſſalonicenſes omnia ſcripta, quæ in ſacro Codice continentur. Interea curæ pretium eſt hîc obſervare Traditiones à Paulo non ſumi ſenſu Pontificio pro verbo non ſcripto; cùm de traditionibus per epiſtolam loquatur. De Anti-chriſto quod affertur nive Gallica frigidius eſt: nihil enim ad ſalutem; cum hodiéque neſciatur.

Ad III. Per Traditionem 2 Theſſ. II. 6. Intelligi tacitam vim exempli, & efficacem doctrinam vitæ ſanctæ quæ proponitur ad imitandum, & perpetuæ prædicationis inſtar eſt, quam Petrus 1 Pet. III. 1. ἀναστροφὴν ἄνευ λόγου κερδηθησομένην dixit. Hortatur igitur eos, ut ſint imitatores ſui, quemadmodum ipſe Chriſti Chryſoſt. παράδοσιν τὴν διὰ τῶν ἔργων φησὶ καὶ Κύριος ταύτην δὲ εἰ λέγει παράδοσιν Schol. Græc. ἣν διὰ τῶν ἔργων ὑμῖν παρέδωκα τύπος γενόμενος ὑμῖν. Ne dubitemus faciunt quæ ſequuntur Verba αὐτοὶ γὰρ οἴδατε πῶς δεῖ μιμεῖσθαι ἡμᾶς. Vitam igitur ſuam vocat Traditionem divinâ quadam elegantiâ, unde petere jubet eos exemplum ſibi.

Ad IV. Vocem depoſiti quod ſpectat theſaurum intelligitur nempe vel Euangelium Paulo concreditum, & exinde Timotheo vel Eccleſiæ, animarumque curatura Timothei ἐπισκοπῇ commiſſa, vel certè ſenſus & interpretatio Scripturæ & ſaniorum verborum forma 2 Tim. I. 13. quam non è traditione, ſed è Pauli hauriebat doctrina, vel ex ipſo fonte Scripturarum. Ad 2 Tim. II. Neceſſe non eſſe prædicari aliud, aliud ſcribi, cùm Verbum ſcriptum à prędicato reapſe non diſſidcat. Sane Tertullianus adverſus eos qui dicebant Apoſtolos quædam ſecreto & paucis demandaſſe, quia depoſiti verbo uſus eſt Paulus. Reſpondet vocem hanc intelligendam de iis quæ tunc temporis ſcribebat ut mens ſit, *Hæc quæ audiviſti & quæ jam perſcribo ad te, crede fidelibus*, &c. Qui vero teſtes? Lex & Prophetæ, & plerique, meliùs Eccleſia apud quam idem prædicaret Paulus, quod jam ſcripto commendabat.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

An rationibus oſtendi poſſit Scripturam non eſſe abſque Traditione perfectam?

VIdetur demonſtrari *Primò*, quia hoc ipſum credendum eſt pro Articulo fidei Scripturam eſſe perfectam & aliquos eſſe libros divinos & quos habemus in manibus eſſe tales quod Scriptura nuſquam docet.

Secundò, Credendum eſt Beatam virginem ſemper fuiſſe virginem, quia qui contra ſcripſerunt hæretici fuerunt, hoc autem non habetur in Scriptura.

Tertiò, Animi immortalitas, reſurrectio, judicium, paradiſus, inferi creatio & diſtinctio Angelorum & Diaboli deſiderantur in veteri, tranſlatio Sabbathi, Baptiſmi non iteratio, Spiritus à Filio proceſſio deſiderantur in tota Scriptura, & Pædo-baptiſmus.

SED contra Pſal. XIX. 8. 2 Tim. III. 15. 16. 17.

STATUS QUÆST. eſt non utrum perfecta ſit Scriptura eſſentiali Perfectione quæ rebus omnibus competit vel accidentali quæ integritate partium abſolvitur. Nam hæ quæſtiones in præcedentibus de Authoritate & de Canone Scripturæ controverſiis jam diſcuſſæ fuerunt ſed an Scriptura perfecta ſit ratione finis & effectuum ideſt an deducere poſſit ad vitam æternam & perficere Chriſtianum ad ſalutem abſque ſupplemento traditionum vel quod eódem exit utrum ſit adæquata fidei vitæque regula? Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. Cum Scripturis Traditiones tanquam vel ore tenus à Chriſto, vel à Spiritu S. dictatas & perpetuâ ſucceſſione in Eccleſia conſervatas *pari pietatis affectu* & reverentia ſuſcipit ac veneratur, quæ verba ſane horribilia *pari pietatis affectu & reverentiâ* cum Jacobus Nachlantes Clugienſes Epiſcopus in Concilio Tridentino ſibi dura videri dixiſſet; nihil enim eſſe quod cũ Euangelio conferri poſſit, propter hoc unum à Legatis juſſus eſt Tridento diſcedere, nec non Romam ad exorandum Pontificem ſuppliciter abire, commemorante Vergerio in Epiſtolâ Regem Poloniæ. Andradius traditiones definit, *Quæ nullo Scripturæ teſtimonio probari poſſunt.* Gregorius de Valentiâ, *Scripturam non eſſe ſufficientem fidei regulam* diſtrictè pronuntiat in Analyſi. Bellarminus de Verbo Dei lib. IV. cap. 3. præter Verbum Dei ſcriptum requiri etiam aliud *non ſcriptum affirmat.* Nos omnia quæ faciunt ſive ad dogmata fidei, ſive ad vitam & mores, in Scripturâ perfectè contineri docemus hiſce cautionibus adhibitis. I. Ut de illo quod fluxit à Moſis ævo ad Apoſtolorum tempora ſpatio non diſputemus: Nam certum eſt viguiſſe traditiones antè Moſem. II. Neque de temporibus Apoſtolicis: Nam quis ita væcors ut quod ore docebant Apoſtoli ac tradebant minus eſſe verum quàm quod ſcripto commendabant exiſtimet? Sed poſt conſignatum Canonem, cujus rei liber Apocalypſeos indubia ſigna præfert, oritur demùm hæc Quæſtio III. Fidei articulos notandum eſt non eſſe totidem quot ſunt res in Scripturâ revelatæ, verbi

gratiâ Paulum ter navem fregiſſe, ter cæſum eſſe, non ſunt articuli fidei, quanquam id utrumque. Neceſſariò credendum eſt, quia omnia quæ ſunt in Scripturis veriſſima eſſe fidei articulus eſt, ne quis nunc etiam ſuaviter objiciat, ut ille quondam, Tobiam Canem habuiſſe, noſtræ fidei articulum eſſe. IV Affirmativa præcepta ſunt à negativis diſtinguenda. Quippe affirmativâ quæ ſunt pabulum & & potus animæ, affatim & exertè petuntur ex Scripturis, negativa nihil neceſſe eſt in iis contineri, quando rectum & ſui eſt, & obliqui norunt. Certè in molem infinitam divinum volumen exurgeret, ſi omnes omnium ſeculorum hæreſes, quarum numerus eſt innumerus, denotaret. Quæ cum ſint animæ quædam veluti venena, debent hactenus tradi ut evitentur, non autem ut penitiùs cognoſcantur. Hęc igitur dogmata vel in Scripturis apertè damnantur, ut juſtificatio per Legem, idololatria &c. invictâ conſequentiâ jugulantur, quod ſatis eſt; nec enim omnes opinor hæreſes διαῤῥήδην in Conciliorum decretis vel traditionibus damnantur, quotquot fuerunt aut ſunt aut futuræ ſunt. Enimverò non aliter Pontificii vel Pontificem ſuum vel purgatorium, vel alia ejuſmodi è Scripturâ quàm longâ & ambitioſâ improborum argumentorum ſerie deducunt.

RESP. QUÆSTIONI variis rationibus demonſtrari contrarium poſſe. Ac primò quòd illa perfecta ſit fidei vitæque regula in hoc ſeculo juxta quam judicabuntur in futuro qui fidem aut ſanctitatem aſpernantur: At Scriptura talis eſt Joan. XII.48. & 2 Theſſ. I.8. & perfecta quidem: non enim regula æquo brevior & anguſtior & non adæquata cum objecto ſuo regula dici meretur. Neque verò quenquam ita depuduit, ut propter aliquam traditionem ſpretam eum qui verbum Dei cum obedientia ſuſceperit damnandum renuntiet: cùm præſertim non omnibus revelentur, ſed apud ſapientes occulantur. Per abſurdum verò eſt ut Eccleſia tota fidem Traditionibus debeat. Quas Apoſtoli clàm paucos perfectos docuerunt, & hi reliquis deinceps commandarunt, & ita continenter, ut nunquam invulgatæ fuerint, ſed à Petro ad Linum, à Lino ad Cletum, à Cleto ad Clementem depoſiti arcani in morem tranſierint, cùm præſertim non modò falli & fallere potuerint utpote homines non Apoſtoli quidem tradentes ſed eorum diſcipuli accipientes, ſive auribus deponerentur ſive mandarentur ſcripto; Fieri enim potuit memoriæ lubrico, multa ut oblivioni traderentur, & factum eſt injuriâ temporum, exſcriptorum oſcitantiâ, hæreticorum proterviâ multa ut ſcripta vel perierint vel interpolata fuerint. Verùm & ex ipſorum ſententiâ Ponrificiorum qui ἀναμαρτησίαν vel Pontifici ſuo vel Concilio coacto reſervant non ſingulis Epiſcopis largiuntur, At quibus Traditiones datæ ſunt nec Pontifices ſinguli, nec in Concilium coacti omnes fuerunt. Quid quòd falſos eſſe ac fefelliſſe inficiari non poſſemus niſi fidem adhibemus Clementi Romano in Conſtitutionibus Apoſtolicis ſanciente à lectione librorum Gentilium in totum abſtinendum eſſe, Sacerdotes pecuniam quam inviti accipiunt debere non ad cibos quibus veſcantur ſed ad ignem carboneſque impendere,

dere, necnon abfuiſſe Judam cum Chriſtus Cœnam celebraret; vel Irenæo ſcribenti pro traditione Apoſtolicâ quam dicit à Johanne acceptam Dominum Jeſum ad annos L provixiſſe. Porrò ſi traditiones Scripturæ perfectionem abſolvunt, cum non illæ ut hæ pariter omnibus Prædicantur Rom. x. 14. Cur non ex illis ut ex his fideles informantur, infideles refelluntur, ſed ex Scripturis tantùm Luc. 24.27. Act. 26.24? Cur Chriſtus nunquam, nunquam Prophetæ aut Apoſtoli adverſarios ſuos ex Traditione oppugnant, cùm id ſæpenumero ſplendidè potuerint, niſi quia tàm peritos Architectos aliam quàm Scripturæ adhibere normam non decebat? Præterea hoccine credibile eſt paſſum eſſe Dei numen, ut verbi ſui pars aliqua interiret? Interierunt autem traditiones, perpetuò ſtante Scripturâ, quas tamen Verbum Dei non ſcriptum vocitant, atque adeò Dei verbum in Scripturam & Traditiones partiuntur, ut habetur in Catechiſ. Concil. Trident. Nam quæ Moſem volunt Joſuæ tradidiſſe arcana nos fugiunt; & quas Euſebius memorat Hegeſippum quinque libris exequutum Traditiones Apoſtolicas, interciderunt; & quas Clemens Alexandrinus ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, ut inquit ipſi, acceptas ſcripto mandaverat, nuſquam comparent. Tùm, omne Teſtamentum plenam Teſtatoris, ſi ſapientiſſimus idem ac Filiorum amantiſſimus eſt, voluntatem ac mentem continere debet, ut nemini liceat ἐπιδιατάσσεσθαι Gal. III. 15. Libri verò ſacri hoc nomine vocantur 2 Cor. III. 14. Denique nullâ neceſſitate traditiones in Eccleſiam importantur. Si ſunt enim neceſſariæ, cur non ſcriptæ ſunt? Quia myſteria, inquiunt, non erant populo nudanda. Scilicet. Quaſi verò Euangelium revelatum non altiora longè myſteria contineat, vel quaſi magnum illud myſterium *Deus in carne manifeſtatus*, &c. 1 Tim. III. 16. doctrina non ſit multò ſublimior, quàm quæ de quadrageſimali jejunio, de perpetuâ Mariæ virginitate, de Chriſti ad annum quadrageſimum productâ vitâ, &c. traditionibus narratur illis, quæ nobis pro Apoſtolicis obtruduntur; vel quaſi ad Scripturam Pontificii populum Chriſtianum admitterent, & traditiones duntaxat ſuas eum celarent. Nonne & Scripturam ſolâ propemodum prædicatione uſurpant, ejuſque lectionem vulgo invident? Quorſum igitur attinet hîc myſteria traditionum reconditiora quædam venditare, quaſi præ illis Scripturæ ſint faciles ad intelligendum? Sed quid hac hominum gente facias, qui ad Scripturam quoties provocatur, obſcuram quiritantur & myſteriorum plenam, eandemque ubi de traditionibus agitur, præ illis doctrinam continere minimè arduam profitentur? Mirum profectò eſt horum ingenium, quo hactenus proficiunt, ut nec Scripturam nec traditiones patefaciant, & utraſque ſub ſipario abſcondentes fraudem populis faciant. Quanquam profectò traditiones eas, quas ideò ſtatuunt ab Apoſtolis non fuiſſe ſcriptas, ne vileſcerent, ipſi tamen, immemores rerum ſuarum, ſuis in commentariis paſſim proponunt, & iis totas paginas opplent ac inſerciunt: quod Apoſtolos interea non auſos attentare agnoſcunt. Ita præpoſterâ veſaniâ ſua myſteria vulgant ἀπειρόκαλοι, neque cauſam dicere poſſunt, quin rei peragantur myſteriorum.

Digitized by Google

riorum proditorum. Nolimus tamen ſilentio tranſire quas ipſi diſtinctiones adhibent affirmando placito ſuo, licet ejuſmodi ſint, ut eas qui protulerit, etiam refutârit. Ajunt trium eſſe generum traditiones: alias *divinas*, quæ ſunt ab ipſo Chriſto, Apoſtolo docente, acceptæ, ut forma & materia Sacramentorum, quam quidem nos reſpectu binorum, nec enim agnoſcimus plura, petimus è Scripturâ, de cæteris parùm ſolliciti, adeóque ipſe Bellarminus credo ſui oblitus, etiam reſpectu cæterorum in Scripturis anquirit: alias *Apoſtolicas* quæ ab Apoſtolis inſtitutæ non ſine numine ac præſidio Spiritus ſancti tamen in eorum ſcriptis deſiderantur ut quadrageſimale jejunium de quo tamen Auguſtinus Epiſtola 86 ad Caſulanum ſeſe nihil invenire definitum ab Apoſtolis teſtatur denique alias *Eccleſiaſticas*, antiquas nimirum conſuetudines, vel à Prælatis inchoatas vel à populis primùm, deinde ut fit conſenſu tacito populorum approbatas, quæ tandem vim legis habuerunt, ut in Rep. vis eadem conſuetudinis eſt & legis ſcriptæ: Verùm in rep. Chriſtianâ rem pariter ſeſe habere demonſtrandum fuit, in quâ uſus nunquam ſcripto præjudicat: quippe ut rectè Florentiſſimus licet Afer ſcriptor *Deus non ſe conſuetudinem ſed veritatem vocat*. Prætereà ſic traditiones diſtinguunt, ut alias dicant eſſe *de fide*, alias *de moribus*, alias *perpetuas* alias *temporales*, alias *univerſales*, *particulares* alias, *neceſſarias* alias, alias *liberas*; Verùm hæc nihil ad propoſitum, quando quæcunque demùm ſint, vel neceſſariæ ſunt, & ſic habentur in Scripturis, vel neceſſariæ non ſunt, & ſic de iis non diſputatur. Ut ſit finis, nos Traditionem quamlibet ambabus ulnis amplexuros recipimus hac lege atque omine, *primò* ut nihil contineat, quod cum traditione ſcriptâ parùm conſentiat, *ſecundò* ut ab Apoſtolis ad nos continenter fluxiſſe aliquo argumento liqueat.

Ad Argumenta Reſp. Ad I. Inter Chriſtianos divinitatem Scripturæ tanquam principium ſupponitur. Deinde, non ex Eccleſiæ modò traditione librorum divinorum cœleſtis origo percipitur, ſed ex qualitatibus divinis quas præ ſe ferunt, quæque Spiritus illuminantis efficaciâ revelantur piis, quod ſatis conſpicuè in primâ parte docuimus.

Ad II. Qui Virginem ſemper Virginem ſtatuunt, eorum alii è Scripturâ hoc deduci putant: itaque Traditioni jam non adhæreſcunt: Alii è Scripturis deduci non poſſe ſcribunt, & hi dogma fidei eſſe non putant ideóque fruſtra hîc adducuntur, ubi de fidei dogmatibus duntaxat diſputatur. Hieronymus contra Helvidium: *Ut quæ ſcripta ſunt non negamus ita ea quæ non ſcripta ſunt rejicimus. Natum eſſe Deum de Virgine credimus quia legimus, Mariam nupſiſſe poſt partum non credimus, quia non legimus.* Cui per ſimile eſt quod ſolet objici de die celebrandi Paſchatis. Hoc enim ſanè ingentes in Eccleſiâ turbas dedit, nec à Scripturâ deciditur. Nempe quia non pro dogmate fidei, ſed pro ritu Eccleſiæ habitum & habendum eſt, & ita rem totam Concilium definiit. Narrat Athanaſius, qui Concilio interfuit, in negotio Paſchatis Patres hanc clauſulam appoſuiſſe, *Viſum eſt ut omnes obtemperarent*; De Fide verò non ſcripſerunt *Viſum eſt*, ſed, *ſic credit Eccleſia Catholica*. Tamen,

Digitized by Google

men, inquies, poſtquam id Eccleſia definiit, jam neceſſarium creditu eſt. Nego. atqui, rurſum dices, Quartumdecimani qui die non Dominicâ ſed lunâ dicimaquartâ, in quamcunque incideret hebdomados diem, hanc Feſtivitatem celebrarunt, hæretici numerantur. Cur ita? niſi quia poſt Eccleſiæ decretum hoc faciebant. Minimè verò, inquam, ſed quia ſic faciendum eſſe neceſſariò pertendebant. Audiebant igitur hæretici, quia libertatem Chriſtianam oppreſſum ibant, dum ſeſe ſuperſtitioſè obligabant obſervando ritui feſtorum Judaïco, quod non modò cum traditione ſed cum ipſâ Scripturâ pugnat. Non igitur obſervare diem Paſchatis lunâ decimâ quartâ fuit hæreſis, ſed ita obſervare, ut conſcientiæ laqueum nectas, nec aliter obſervantes feras, ſed anathemate ferias, & omninò aliter obſervari non debere aſſeveratè pronunties, atque adeò Eccleſiam in partes diſſipari totamque conturbari mavelis, quam è ſententia dimoveri. Conſule Col. II. 16. 17.

Ad III. de Animæ immortalitate dicimus pleriſque fuiſſe perſuaſum vel abſque cœleſti Scripturæ lumine: hauriri verò ex Scripturâ poſſe hoc dogma, cùm ipſe Dominus ex inſtrumento Veteri adverſus Sadducæos reſurrectionem, & quod inde ſequitur immortalitatem animæ non ex traditione demonſtrarit. Quanquam enim objicitur neminem potuiſſe niſi Chriſtum tale argumentum in verbis illis, *Ego ſum Deus Abrahami*, &c. deprehendere, neminem deprehendiſſe, quod & Judæos Doctores novitate ſuâ perculit, & in ſtuporem dedit, vanum eſt. Quippe fatemur pleniorem lucem à Domino illatam: ſed hoc tamen in ſummâ rei non ignoratum fuiſſe à Davide oſtendunt verba Pſal. XXXI. 13. &c. & Pſal. XLIX. 16. At, inquies non aliter intelligebant Deum Abrahami Deum eſſe quàm ſicut uxor mortui Ruth dicebatur, cujus uxor eſſe deſierat. Veriſimile hoc eſſet, niſi ſe Deus Deum Abrahami oppoſitu Creaturarum diceret, quæ cum virtutem ſuam nonniſi pro modulo naturæ impartiantur, finita duntaxat & imperfecta bona communicant, cùm Deus communicando ſeipſum, pro eo ac Deum decet, nonniſi æterna & ſe digna hoc eſt infinita munera donare potuerit. Hæc autem ſunt Verba ſupremi & noviſſimi Fœderis, cùm Deus dicitur eſſe Deus alicujus, non juxta œconomiam *naturæ*, largo ſignificatu, quemadmodum Rom. III. Deus eſſe dicitur Deus Gentium, nec juxta œconomiam *legalem*, ſenſu reſtricto ad populum Dei, ut in Decalogo Deus dicitur eſſe Iſraëlis Deus; ſed juxta œconomiam *gratiæ* ac Fœderis æterni ſeu novi, ſummo & altiſſimo ſenſu, quemadmodum Deus dicitur Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, propterea potiſſimùm quòd eum è mortuis excitavit. Non eſt autem Deus mortuorum Deus, inquit Dominus, quod Iudæis erat in Proverbio, *Deum non eſſe viventium Deum ſed mortuorum*, quod in Magiſtrorum commentariis traditur, ut alibi notamus, hoc eſt non ſui communione, dignari, aut beneficiis ſuis maximis proſequi viventes ſed mortuos. Dominus ut ſolet caſtigat eorum temerè dicta. Dicitis vos Deum non eſſe Deum viventium: Ego autem dico vobis, Deum non eſſe Deum mortuorum. Nam quis ut Pater, Sponſus,

 amicus,

Digitized by Google

amicus, qui Filium, Sponſam, vel amicum in morte relinqueret, ſiquidem vitam ei poſſet reddere? At hæc omnia & aliquid longè ſuperius continentur illâ loquendi formâ, *Ego ſum Deus tuus.* Hæc enim ſunt Euangelici Fœderis concepta verba: *Primò* autem Fœdus illud non cũ animâ ſed cum homine percuſſum eſt; quippe non animâ modò ſed etiam corpore peccaverat Adam: nec animæ cultus modò ſed etiam corporis obſequium Deus illo Fœdere poſtulat, utriuſq; redemptor, ut in utroque glorificetur. *Secundò* Fœdus hoc initum primò cum Abrahamo Pater credentium arctiſſimam cum Deo communionem includit, non qualem Adamo Deus indulſit, quia dona Dei non Deum habuit, radios non ſolem, aquam non fontem: non mirum igitur ſi dona illa perierunt, radii extincti ſunt, aqua exaruit. Sub Euangelio Deus ita Deus noſter eſt, ut non tantùm dona ſua nobis largiatur ſed ſeipſum: hoc eſt dona ſua nobis non permittat velut à ſeipſo ſejuncta, ſicut fecit Adamo, ſed ipſe cum donis ſuis ad nos veniat, ut ea tueatur, nec perire ſinat ampliùs arbitrio noſtro ut anteà. Itaque Pſaltes ubi dicit *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, præſtruit, *Sol & clypeus noſter Dominus Deus eſt*. Longè autem diſertiùs Dominus ubi Samaritanam compellat, *Aqua quam tibi dabo fiet in te fluvius ſaliens in vitam æternam.* Certè ſi Deus nobis aquam daret modò, id eſt, dona ſua, nec aliter Deus noſter eſſet quàm fuit Adami Deus, non poſſet ex verbis illis reſurrectio legitimè deduci. Habuit enim Adamus unde poſſet vivere, non habuit unde poſſet in vitam ſeipſum reſtituere. Quod cùm ſit unius Dei proprium, non poteſt hoc beneficio gaudere, qui non habet Deum, nec poteſt hoc beneficio carere qui Deum habet pro Deo ſuo, id eſt qui conjunctus eſt arctiſſimè cum Deo, apud quem vitæ fons eſt. Cùm igitur Deus non modò aquam vitæ, ſed fluvium ſalientem in æternam vitam, nec vitæ modò fructum ſed ſemen Dei, ut loquitur Iohannes, unde vita renovetur ac denuò germinet, iis omnibus dederit quorum Deus eſt in Chriſto, fieri non poteſt ut ſint mortui, vel ut eorum corpora æternùm in morte maneant, juxta illud, *Factus eſt primus homo in animam viventem: at ſecundus Adam in Spiritum vivificantem* corpora, 1 Cor. xv. ubi de reſurrectione loquitur Apoſtolus: Nam *ſi Spiritus ejus qui excitavit Chriſtum è mortuis*, quia Deus eſt Chriſti, *habitat in nobis, vivificabit etiam mortalia corpora noſtra propter eundem Spiritum*, quia Deus noſter eſt. Rom. VIII. Nempe Deus noſter eſt per Spiritum ſuum, ſicut nos Dei ſumus per fidem, quæ duo ſunt vincula Fœderis. At Spiritus ille Dei vivificantis mortuos non modò dat vitam, ſed reddit amiſſam, ut nunc animæ per regenerationem ita corpori aliquando per reſurrectionem. Nam ſicut anima quæ ſeminaverit Spiritui, metet ex Spiritu vitam æternam Gal. III. ita corpus quod ſeminatur in infirmitate reſurget in gloriâ 1 Corinth. xv. *Tertiò* illa verba *Ero Deus tuus* ſignificant *liberationem ab hoſtibus* ex uſu Scripturæ. Quocirca vi Fœderis Euangelici liberatio à morte deſignabitur, quæ maximus idemque poſtremus eſt hoſtium noſtrorum. Cùm igitur Deus quorum Deus eſt, eos eripiat de manu hoſtium, non poteſt eſſe Deus eorum, quibus mors eſt ſuperior,

Digitized by Google

rior, ſed neceſſe eſt eos omnes, quorum Deus eſt Deus, abſorptâ morte triumphabundos Epinicium illud canere, *ô mors ubi eſt victoria tua?* *Quartò* ſignificant verba illa communicationem bonorum omnium inter quæ vel præcipuum eſt vita. Hinc illud, *homo homini Deus*, cùm vitam proximi tuetur, aut genus humanum inſigni aliquo beneficio adjuvat. Hoc igitur, *Deus homini Deus*, illam Dei virtutem deſignabit, quâ vitam reſtituit; Nam conſervare vitam, hominis opus forte videretur, ſed amiſſam redintegrare plane divinum eſt. Quid eſt autem vita niſi unio animæ cum corpore ſicut mors ejuſdem ſeparatio? *Quintò* denique verba illa denotant depulſionem malorum omnium Deo vindice. Mala verò duo ſunt omninò, peccatum & mors, & hoc propter illud. Sicut igitur Deum eſſe peccatorum Deum nemo dixerit, ita nec Deum mortuorum. Denique cùm Abraham, Iſaac, & Iacob variis in vita brevi & malâ ærumnis exerciti fuerint, nunquam promiſſam Canaan adepti, & in terra peregrini manentem civitatem non habuerint, non fuerit Deus ipſorum Deus, hoc eſt, benefactor liberator, & ſervator, niſi reſtituat eos in vitam, ut promiſſa ſua ſuper eos impleat in cœleſti gloriâ, & probet ſe Deum eorum eſſe, cùm erit omnia in omnibus. Omnia, ergo reſurrectio & vita. Non enim antè reſurrectionem aut reſpectu animarum cœlo receptarum, ſed tùm demùm dicitur Deus fore omnia in omnibus, & in totis, cùm animæ ſive redditæ corporibus glorificabunt Deum. Deus igitur non eſt Deus niſi viventium, tùm quia ipſa vita eſt, & quicquid ſuum eſt, ſimile ſibi reddit: tùm quia qui Deum poſſident, poſſident omnia Dei: Mors autem ac vita penes Deum eſt. Quomodo poſſunt ergo ſub morte detineri, qui mortem habent in poteſtate? *Sive vita ſive mors*, inquit Paulus, *ſive præſentia ſive futura, omnia noſtra ſunt, nos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Sed è diverticulo in viam. Animæ immortalitatem loca pariter hæc inſinuant Num. XXIII. 10. Gen. XLVII. 9. Iob. XIX. 26. quanquam in hoc poſtremo viri ſanè graves diſſentiunt. Chryſoſtomus & Auguſtinus vix agnoſcunt antè Chriſtum fuiſſe ſatis compertum reſurrectionis myſterium. Quod non abs re miramur, cùm Sadducæi reſurrectionem dicantur negaſſe, quod non leve argumentum eſt à cæteris agnitam fuiſſe. De Iudicio in Paradiſo, Inferis demiramur dubitari poſſe an Veteribus cognita fuerint, cùm hæc talia religiones omnes præſupponant, etſi τὰ καθ' ἕκαστα non innotuerint eo tempore, quo tempore ſciri neceſſarium non erat. Tranſlatio Sabbathi mera cæremonia eſt quoàd determinationem ſtatæ cujuſdam diei, ferè ut precatio ad Orientem à Chriſtianis uſurpata, cùm Iudæi ad Occidentem inter orandum contra quàm Ethnici, ſeſe converterent. Dogma de non iterando Baptiſmo ab Ethnicis celebrato non eſt pariter abſolutè ſimpliciterque ſaluti neceſſarium, quando Cyprianus ille fortiſſimus Athleta Domini ad extremum vitæ anhelitum ejus opinionis retinentiſſimus fuit, ſed illæſâ Pace, cùm ex adverſo Stephanus verum ſentiens immoderato zelo plus Eccleſiæ nocuerit, quàm cum errore illo ſuo pacifica Cypriani

Digitized by Google

priani anima. Neque Concilium in eam rem coactum traditione aliquâ, ſed argumentis ex Euangelio petitis controverſiam diremit. Legatur Auguſtinus lib. I. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. Spiritus à Filio proceſſionem, quæ inter Græcos & Latinos divortium fecit, quanquam in eâ probandâ Patres anxiè ac enucleatè ſubtiliterque verſantur, ac præ cæteris Baſilius, non putamus eſſe tantæ ad ſalutem neceſſitatis, ut propterea debuerit, optima rerum pax in Eccleſiâ diſſilire. Certè qui vel olim, vel ætate noſtrâ hoc argumentum exequuti ſunt Viri famâ percelebres non aliunde quàm è Scripturis argumenta ſua deprompſére, ac præ cæteris ipſum Concilium Florentinum. Ad Pædobaptiſmum quod pertinet, legitimâ & valdè bonâ conſequentia deducitur ex Scripturâ nobilibus locis Ioan. III. Matth. XIX. non igitur in merâ traditione fundatur. Ipſe adeò Bellarminus lib. de Baptiſmo cap. VIII. ex Scripturis argumenta deſumit Pædobaptiſmo affirmando, quem cap. IX. ſatis apertè ait ex Scripturis colligi. Sed alter ille purpuratus Perronius minimè huic ſuffragatur, & non ſufficienter in Scripturis tradi exiſtimat. Quid autem illud eſt *non ſufficienter*? Vel enim, non ſatis crebrò, ſignificat, vel non ſatis clarè: ſed ſi ſemel tantùm occurrat, modò evidenter, id ſatis & abundè eſt. Si verò cauſatur obſcuritatem, jam ſtatus quæſtionis mutatur: hic enim de perfectione Scripturarum agimus quæ ſita eſt in plenitudine, non in evidentiâ dogmatum, & hoc aggreſſuri poſtquam quid de Traditione ſenſerint veteris Eccleſiæ Patres Quæſtione ſequenti explicarimus.

QVÆSTIO III.

An Veteres Eccleſiæ Doctores Traditiones admiſerint?

VIdentur admiſiſſe, *Primò* Græci quidem in Concilio Nicæno primo & Nicæno ſecundo. In primo Arius ex doctrinâ non ſcripta fuit damnatus, autore Theodoreto.

Secundò, Bellarminus ignatium producit, qui hortatur omnes Apoſtolorum traditionibus tenaciùs adhærere ex Euſebio lib. III. cap. 35. ſubjicitque idem Bellarminus ſe tres in Epiſtolis Ignatii reperiſſe traditiones, de quibus mentio in Scripturis nulla, nempe diem Dominicum, Ordines minores, & Quadrageſimam.

Tertiò, Iuſtinus Martyr in fide Apologiæ multa tradit à Chriſtianis obſervata quæ non habentur in Scripturis, quæ dicit ab ipſo Chriſto & Apoſtolis tradita, ut quod die Dominicâ conveniant, quòd Euchariſtiam niſi baptiſatis non tradant, quòd vinum in Cœnâ Domini aquâ temperare ſoleant.

Quartò, Irenæus ſcribit: *Si Apoſtoli Scripturas non reliquiſſent, oporterent ſequi ordinem Traditionis. Multi Barbari ſine atramento ſcriptam habent in cordibus ſuis ſalutem*, lib. III. cap. 4. Quibus non abſimilia docet Clemens lib. de Paſchate.

Quintò, Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 27. Dogmata quæ in Eccleſiâ ſervantur ac prædicantur ait partim ex ſcriptâ doctrinâ

Digitized by Google

doctrinâ nos habere, partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata recipere. Nazianzenus Orat. v. de Theologiâ φιλίαν τοῦ γράμματος eſſe pallium impietatis aſſeruit. Chryſoſtomus homil. iv. in 2 Theſſ. iv. multa ſine ſcriptis Apoſtolos tradidiſſe ait, & ea quoque ἀξιόπιστα & fide digna eſſe. Nunc ad *Latinos* veniamus.

Primò Tertullianus: *Non ergo ad ſcripturas provocandum, nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla eſt aut incerta victoria.* Tùm, *Nonnullas*, inquit, *obſervationes ſine ullius Scripturæ inſtrumento ſolius traditionis titulo, deinde conſuetudinis patrocinio vindicamus: Harum diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætenditur autrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix*, libro de Coronâ militis.

Secundò Cyprianus Epiſt. xii. lib. i. *Ungi neceſſe eſt eum qui baptizatus eſt.* De tali autem unctione Scriptura tacuit.

Tertiò Ambroſius de Sacramentis lib. I. cap. 1. docet Quadrageſimam à Chriſto præceptam, & Symbolum Apoſtolicum ab Apoſtolis non eſſe ſcriptum.

Quartò denique Auguſtinus, haud paulò, ut videtur luculentiùs Epiſt. cxviii. *Illa*, inquit, *quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum in Eccleſiâ ſaluberrima autoritas, commendata retineri, ſicut quòd Domini paſſio reſurrectio & aſcenſio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus ſancti anniverſariâ ſolennitate celebratur.* Idemque 2. lib. de Baptiſm. cap. 7. alibique docet hanc eſſe doctrinam ex Apoſtolicâ traditione venientem, Baptiſmum hæreticorum non eſſe repetendum.

SED contrà, Irenæus lib. iv. cap. 69. Scripturas vocat κάνονα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ, Cyrillus pariter eas ait eſſe fidei Canonem rectum atque perfectum: Chryſoſtomus ἁπάντων ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ γνώμονα Auguſtinus II contra Donatiſtas cap. 7. *divinam ſtateram*, & quæ plura jam jam ſubjiciemus in reſponſione ad Quæſtionem.

STATUS QUÆSTIONIS non utrum Patres aliquandò hac voce uſi ſint: nihil enim apud eos crebriùs, ſed quo ſenſu traditionis vocem πολύσημον adhibuerint? Ut ergo ritè conſtituatur Quæſtio, hæc obſervanda ſunt. I. Traditionem apud Patres non ſemper opponi Scripturæ, ſed interdum promiſcuè uſurpari, ut apud Cyprianum Epiſt. lxxiv ad Pompejum: *Si in Evangelio præcipitur aut in Apoſtolorum Epiſtolis aut Actibus invenitur, obſervetur etiam hæc ſancta Traditio*: loquebatur autem de Baptiſmi repetitione. Sic Irenæus apud Euſebium lib. iv. cap. 14. Polycarpum ait ea docuiſſe, quæ ab Apoſtolis acceperat, & quæ tanquam ſola vera Eccleſiæ tradidit. Quis verò tàm difficilis eſt, ut has traditiones non admittat? Ajunt quidem Pontificii Polycarpum alia multa tradidiſſe, verùm id nullâ ratione. Commodum enim extant Polycarpi Epiſtolæ, in quibus de Incarnatione, Reſurrectione, aliiſque myſteriis permulta, de ritibus & cæremoniis nonnulla, de dogmate antè non ſcripto ad fidemque neceſſario planè nihil invenias: Sed quid opus eſt verbis? Quæcunque

Digitized by Google

ſcripta ſunt à Polycarpo fuiſſe σύφωνα ταῖς γραφαῖς inquit Irenæus. De traditionibus autem quæ cum Scripturis conſpirant, vel quæ aliquo Scripturarum teſtimonio probari poſſunt nulla inter nos inſtituitur diſputatio. II. Traditio interdum in uſu Eccleſiaſtico ſumitur oppoſitu ad Scripturas, adeóque pro doctrinâ non ſcriptâ, nempe αὐτολεξεὶ & verbatim. Baſilius de Spiritu ſancto cap. 27 ipſam fidei profeſſionem quâ credimus in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum è Scripturis haberi poſſe negat. Symbolum intelligit, cujus articuli tamen quòad ſenſum habentur in Scripturis. Quædam enim ſunt & dicuntur in Scripturis: quædam verò ſunt, tametſi non dicuntur, inquit Nazianzenus, ut cùm dico bis quinque non dico decem, ſi tamen ex bis quinque decem colligo, rectè facio. Eſſentia, ὁμοούσιος, perſona, ſymperichoreſis, hypoſtaſis, Trinitas, in Scripturâ non occurrunt: eorum tamen ſemina & æquivalentia & ſynonima occurrunt, fatente Bellarmino, ut eſt parùm ſui memor, & leges ſuas migrante, cùm adverſus Tranſſylvanos diſputat. III. Traditione non ſcriptâ Patres utuntur, non quòd ea quæ probaturi ſunt, minus habeantur in Scripturâ, ſed quòd hæretici quibus cum diſputant Scripturas non admittant. Quod autem non admittunt, clara eſt ſignificatio eorum errores hoc vivo Dei gladio fuiſſe jugulatos; Nam, ut rectè Irenæus, *Cùm ex Scripturis ſe revinci ſentiunt, in occupationem convertuntur Scripturarum.* Tertullianus. *Iſta hæreſis ſi Scripturas aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit, & tantùm veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum corruptor ſtylus.* Diſputat igitur ex conſenſu traditionis cum Scripturâ velut ἐκ περιόντος, ferè ut nos jam è Patribus diſputamus uti vocantur, quanquam cœleſtis doctrinæ Patres in alios quàm Chriſtum & Apoſtolos agnoſcimus. Adde quòd ea Veteres traditione utebantur, quæ petebatur ex integro fonte, vel ex rivulis non procul à fonte ſcaturientibus, nimirum Eccleſiis, quas Apoſtoli fundârant, quæ nondum ſinceræ doctrinæ traducem amiſerant, ſicut poſtea contigit, ubi canalibus tubiſque diffractis hæretici ſordes varias convexerunt. Alia igitur noſtrorum eſt ratio temporum, quanquam, ſi res dicenda eſt, jam olim & in Eccleſiæ virginis adhuc illibato flore fraudem Traditio fecit. Autor Euſebius lib. III. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 33. Papiam qui Joannis auditor fuerat ſciſcitari ſolitum, quid Petrus & Andræas, cùm in vivis agerent, commemorare ſoliti eſſent, atque iis ex rebus quas fando accipiebat varias exſtruxiſſe fabulas, quas propter antiquitatem aut ut dicam melìùs erroris vetuſtatem Irenæo, Juſtino, & aliis impoſuerunt, quanquam quod ait Euſebius traditum eſſe ab eo nonnihil de regno Chriſti millenos per annos humano & corporeo more, fidem impetrat à doctioribus hodiè quamplurimis, dextro adhibitis Interpretamento, ſi de caſtâ & ſpirituali quâdam felicitate intelligatur. Suavior Clemens Alexandrinus qui ex glorioſâ & venerandâ traditione proferre ſe ait, Græcos philoſophiâ juſtificari potuiſſe, Apoſtolos poſt mortem iis prædicaſſe qui Euangelium totâ vitâ non audierant.

dierant. Mirum ergo jam non eſt poſt ſecula XVI & quod excurrit varia monſtra errorum Eccleſiam infeſtare, traditionumque continenter acceptarum ſeriem variis in locis interjungi, & hiare, ac velut vitium facere. IV. Patres ubi traditiones uſurpant non ſemper *de jure*, ſæpe *de facto* diſputant, ut cùm Auguſtinus ab Hæreticis venientes non eſſe denuò baptizandos contra Creſconium lib. I. cap. 33. docet ex eo quod univerſæ ita jam placuerit Eccleſiæ, cùm exemplum proferri non poſſit ex Scripturis Canonicis de veniente ab hæreticis rebaptizato, adeóque confitetur in neutram partem exemplum è Scripturâ peti poſſe. Idem verò cùm de jure jam diſputat non conſuetudini non Traditioni ſtare vult lib. I. de Bapt. contra Donat. cap. 7. *Ne videar*, inquit, *humanis argumentis agere, ex Euangelio profero certa documenta*, quod & facit lib. I. cap. 14. & alibi. V. Traditio Patribus eſt illud Providentiæ divinæ miraculum, de quo ſuprà, quo nunquam interruptâ ſerie temporum & perpetuâ ſucceſſione libri ſacri ſunt ab Eccleſiâ conſervati, & ad poſteros traditi: hanc enim παράδοσιν Origenes & Euſebius appellant. Sed hæc traditio Fidem divinam non ingenerat, ſed incentivum eſt modò & ſignificatio, cujus admonitu ad Scripturam deducamur. At, inquiunt, vel ubique admittenda eſt traditio vel ubique contemnenda; Si recipere hanc libet, cur non & cæteras. Primò quia hæ ſunt inter Eccleſiæ primitivæ teſtimonia: cæteræ ſunt Eccleſiæ Romanæ commenta. Secundò Patres ipſi non ſuo aut ſuæ tempeſtatis, ſed ſuperioris ævi hoſtiumque ſuorum Judæorum & aliorum Sectariorum teſtimonio utuntur, qui hos libros eſſe cœleſtes contendunt: longè aliter Pontificii, qui ſuo ſibi teſtimonio & Eccleſiæ præſentis ſeculi nos fidem arbitrari jubent; alioqui cauſam non dicimus, quin Traditiones omnes admittantur, ſi fortè demonſtrari poteſt ab Apoſtolicis eas temporibus fluxiſſe. Tertiò, Patres ita Scripturam nobis commendant, ut omnia cætera dicant ad hanc libellam exigenda, Hieron. in Agg. cap. 1. *Gladius Dei qui eſt ſermo Dei vivus, percutit illa quæ abſque authoritate ac teſtimoniis Scripturarum quaſi traditione Apoſtolicâ homines ſponte reperiunt & confingunt.* Ac demùm negamus ex Scripturis haberi non poſſe quòd libri ſint divinitùs inſpirati, quòd ſint incorrupti, & quis verus eorum ſenſus: Hæc enim tria Beza ex Traditione hauriendâ pugnat: quippe ut ante docuimus in totâ Scripturæ facie. Patris & autoris ſui ductus & lineamenta conſpicuè apparent: hæc eſt manus Spiritus ſancti, & digitus Dei: quod fatetur imprudens Bellarminus de Verb. Dei lib. I. cap. 2, & eleganter Mantuanus lib. III. de Patientiâ cap. 32: *Unde perſuaſi ſumus eam à prima veritate profluxiſſe: unde niſi ab ipſa: nec enim vidimus nos Deum concionantem, ſcribentem, docentem: tamen ac ſi vidiſſemus credimus: habet enim omnis veritas vim inclinativam, & major majorem, & maxima maximam.* Sextò, Patribus & Scripturæ traditio ſumitur pro exemplari vitæ, ac traditione quâdam, veluti practicâ, quæ poſteris proponitur ad imitandum, de quâ prædiximus. Septimò, Traditio Patribus eſt doctrina rituum & cæremoniarum, quæ ſi Apoſtolicæ ſunt, & ad religionis functionis pertinent, omninò reti-

Digitized by Google

nendæ ſunt: ut quod de Cœnâ traditur 1 Corinth. 11: de miniſterio Act. 14: de Sabbatho Actor. 20. 1 Corinth. 16. & Apoc. 1: quæ ſunt autem de genere indifferentium Eccleſia Chriſtiana pro ſua libertate mutare poteſt: ut conſtitutionem de ſuffocâto ac ſanguine mutavit, & alterius ſexus velato capite orandi morem, trinamque immerſionem. Si verò pro Traditionibus Apoſtolicis obtruduntur vanæ ſuperſtitiones & humanarum mentium (ut inqnit ille) ludibria; ſi meriti & neceſſitatis opinio invehitur; ſi denique multitudo rituum excreſcit in jugum intolerabile, hanc omninò Traditionem repudiamus. Octavò, Traditio in uſu Eccleſiaſtico ſumitur pro conſenſione veterum Eccleſiæ Doctorum, quæ ſi non modò inter ipſos Patres, verum & in Scripturâ eſſe deprehenditur, admittenda eſt: nec ipſi aliter jubent Aug. de Bon. Perſev. cap. xxi: *Quamvis neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in his in quibus me non errare perſpexerit: nam propterea facio libros Retractationum, ut nec me ipſum in omnibus me ſecutum eſſe demonſtrem*. Conſulatur idem contra duas epiſtolas Pelag. lib. iv cap. 8. & epiſt. xix. ad Hieron. Nonò, Patribus Traditio, eſt ſenſus & Interpretatio nonnullorum Scripturæ locorum, quam à majoribus acceptam non ſine veneratione antiquitatis modeſtà retinebant, quia ſcilicet cum Scriptura omnino conſpirabant. Itaque cùm hæretici aſpernabantur Scripturam, Orthodoxi eos perſequebantur ulteriùs, atque adeò ne Traditiones quidem quas errori tamen ſuo magno niſu prætendebant favere ipſis demonſtratum ibant, ut iis omnem declinandi anſam eriperent. Huc facit quod Irenæus ſcribit hæreticos Scripturam non ſicut in apertis & manifeſtis locis ſonat, ſed ex figuris & parabolis, & obſcurioribus locis explicare ſolitos: Patres autem hic non ad Scripturam fateor, (quia ex principiis diſputandum eſt conceſſis,) ſed ad veram Eccleſiæ primitivæ Traditionem provocant. Quàm neque nos defugimus, cum pro eo ac debemus & contra quam inſimulamur, veteres & Eccleſiaſticas interpretationes ubi non pugnant cum manifeſtis Scripturæ locis reverenter amplectamur: adeóque hactenus enumerata novem Traditionum genera (neque plura in Scripturis Patrum legas) lubentes amplectimur. Decimam duntaxat ſpeciem. quam Pontificii uſurpant, Patres in Eccleſia puriore prorſus ignorarunt, rejicimus. Hìc ergo non de Traditione *ſcriptâ*, nec de Traditione *nominis*, nec de Traditione *Cæremoniæ*, nec de Traditione *dogmatis non neceſſarii*, nec de Traditione *Patrum inter ſeſe conſentientium & cum Scripturis*, nec de Traditione *ad exemplum datâ*, nec de Traditione *de facto*, nec de Traditione *librorum ſacrorum per manus Eccleſiæ*, nec de Traditione *ſenſus & interpretationis quorundam locorum à primitivâ Eccleſiâ*, nec de Traditione *συγχωρητικῶς adhibitâ & ad hominem*, qui fidem Scripturæ derogabat, quæritur. Quæritur inter nos & Pontificios de Traditionibus, non ſcriptis rerum, ac dogmatum Fundamentalium ac neceſſariorum à Patribus duntaxat, non à Scripturâ petitorum: imò quæ nullo Scripturæ teſtimonio probari poſſunt: non de facto, non de exemplo, ſed de jure ac de credendis quæritur: nec de ſenſu Scripturæ, ſed

de

de rebus quæ non continentur in Scripturâ, neque quoad ſenſum, neque quoad vera, nec adverſus homines Scripturam negantes, ſed Chriſtianos diſputatur.

RESPONDEO QUÆSTIONI diſertè locutos Patres tum Græcos tum Latinos: ac primò Irenæum adverſus Hæreticos lib III. cap. 1. *Non per alios*, inquit, *diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos per quos Euangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconiaverunt: poſteà verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt columnam & fundamentum fidei noſtræ futurum.* Excipit Perronius loqui eum de hiſtoria Euangelicâ: falſò: loquitur enim de Euangelio ubi doctrina cum hiſtoriâ conjungitur & adverſus hæreticos diſputat: quid non de factis & hiſtoriis, verùm de doctrinarum capitibus lites intendebant: Deinde ait, fundamentum & columnam Eloquentiæ juxta Quintilianum eſſe Grammaticam, &c: ſed idem quas voces nunc tam extenuat & deterit cùm Eccleſiæ aptabit ſuæ, ut ejus ἀναμαρτησίαν afferat, haud paulò eaſdem voces magnificentius intonabit. Deinde ducitur ex ſcopo Irenæi argumentum, cui mens erat eos refellere, qui veritatem inveniri non poſſe ſtatuebant ab ignorantibus Traditiones: ejus enim verba ſunt: *Cùm à Scripturis arguuntur, convertuntur in accuſationem Scripturarum*, &c. & *veritatem ait non libris traditam ſed vivâ voce.* Fruſtrà hìc iterùm diſtinguuntur Apocryphæ ab Apoſtolicis traditionibus. Traditiones nam ſi hac ratione impugnavit illas, cui cuimodi fuerint, traditiones. Irenæus, quòd Euangelium ſit columna, &c. frigidè rem gerit, & latus apertum præbet: cum in promptu eſſet reſponſare, ab Irenæo recipi tamen Apoſtolicas traditiones, & ſuas hæretici pro Apoſtolicis venditabant, quos Irenæus primò inde refutat, quod in Scripturâ non habeantur: nempe Apoſtolicæ traditiones, quantumvis vivâ voce traditæ in Scripturis contineri vel fundari debet: quod eſt inprimis obſervandum: Una enim eademque doctrina tùm in fluviis Scripturæ limpidiſſimis devolvitur, tum per tubos hominum vivâque voce percolata derivatur. Secundò id ipſum probat Irenæus, quod non inveniantur iſtiuſmodi hæreticorum Traditiones apud Eccleſias Apoſtolorum, & eorum qui in Apoſtolorum veſtigia ſucceſſerunt. Thren. lib. III. cap. 30. quæ ratio firma erat, Irenæi præſertim ævo, ubi facilè temporum decurſus notari ac putari poterant. Traditiones autem Irenæo eſſe doctrinas Scripturâ proditas, patet ex ejus loco laudato, verbis, ubi Corinthiorum Traditionem vocat annuntiantem verum Deum, factorem cœli & terræ, qui eduxerit populum, &c. Cum Irenæo facit & Tertullianus, qui & eodem ſeculo vixit, quemque fruſtra Montaniſtam. Sæpè agere ſuis in ſcriptis cauſificantur: hoc enim, ut verum ſit, locum hìc habere non poteſt, cùm ab Orthodoxis Montaniſtæ non de doctrinâ, ſed de diſciplinâ inimicitias exercerent: hoc ergo in argumento Tertullianus quantumvis alioqui Montaniſta, Orthodoxus exiſtimandus eſt: ſunt ejus autem verba luculenta de præſcript. adverſus hæret. *Nobis*, inquit, *curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Euangelium: cùm credimus, nihil deſideramus ultrà credere: hoc enim priùs credimus, non eſſe*

 quod

quod ultra credere debeamus: quo quid dici manifeſtiùs poteſt? niſi fortè illud adverſus Hermogenem, *Adoro Scripturæ plenitudinem*, &c: *ex ſubjacenti materia facta eſſe omnia nuſquam adhuc legi: ſcriptum eſſe doceat Hermogenis* officina, *ſi non eſt ſcriptum, timeat væ! illud adjicientibus aut detrahentibus deſtinatum.* Abſurdum enim eſt eum de parte duntaxat Scripturę alloqui: hoc enim ſtare non poteſt cum illis verbis, *ſi ſcriptum eſt, doceat ſcriptum eſſe*, quæ totam Scripturam comprehendunt, Cyprianus: *Et ſunt quæ Patres intra Canonem concluſerunt, ex quibus* fidei *noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt.* in Symb. Apoſtolico: & ad Pompei. contra Epiſtolam Steph. *Unde Traditio hæc, utrumnè de Dominicâ authoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis & Epiſtolis veniens? ea enim eſſe facienda quæ ſcripta ſunt demùm teſtatur*, &c. Hic Bellarminus Cyprianum contendit errorem de Baptiſmi repetitione tueri, ac perperam ratiocinari: verum hic non quærimus quid benè, aut ſecus Cyprianus exiſtimârit; quærimus ex quo principio velut ex quadam propoſitione majori diſputarit: Ajebat Stephanus nihil innovandum, ſequendam eſſe modò traditionem: regerit Cyprianus *ùnde eſt iſta Traditio*?&c: hoc fundamento nixus, pro verâ traditione nihil eſſe habendum quod in Euangelicis & Apoſtolicis libris deſideratur: Et ille qui Cyprianum refutavit Auguſtinus, de hoc principio nullus litem movet: ſed non eſſe iterandum Baptiſmum deductis è Scriptura teſtimoniis affirmat. Huc & faciunt verba Conſtantini pro Synodo Nicæna, quæ ſunt à nobis alibi reddita Conſule & Baſil. in Moral. reg. 80. & Chryſoſt. Homil. 8. in Epiſt. ad Hebræos. Hieron. in Pſalm. 38. *Omne quod loqui debemus affirmare de Scripturis ſanctis.* Ambroſius de vocat. Gent. lib. II. c. 3. Scripturis non loquentibus, quis loquitur? Theodoretus Dial. II. Se non adeò perditè ait confidentem eſſe, ut auſit aliquid affirmare quod ſacra Scriptura ſilentio prætereat. Theoph. Alexandr. in 2. Paſchal. *Diabolici ſpiritus eſt extra Scripturarum authoritatem divinam aliquid putare.* Damaſcenus Orthodox. Fid. lib. I. cap. 1. *Cuncta quæ tradita ſunt per Legem, Prophetas, Apoſtolos & Euangeliſtas, ſuſcipimus, cognoſcimus, veneramur*, οὐδὲν περαιτέρω τούτων ἐπιζητοῦντες: *nam bonus*, inquit, *cum ſit Deus & omniſcius, quodcunque conducit nobis ipſe revelavit. Hæc igitur nos amenus* μὴ μεταίροντες ὅρια αἰώνια, μηδὲ ὑπερβαίνοντες τὴν θείαν παράδοσιν: ubi manifeſtum eſt eum per divinam Traditionem Scripturam intellexiſſe. Ad Auguſtinum veniamus, qui diſertus in eam rem ſexcentis locis Tom. 4. de Bono viduit. 1. *Sancta Scriptura doctrinæ regulam figit: non ſit ergo mihi aliud te docere quam verba Doctoris exponere.* Tom. 7. de Unit. Eccleſ. cap. 3. *Auferantur de medio quæ adverſus nos invicem, non ex divinis Canonicis libris, ſed aliunde recitamus: quia*, inquit poſtmodum:, *nolo humanis documentis ſed divinis oraculis Eccleſiam demonſtrari.* Hilarius verò Conſtantium ſic alloquitur lib. ad eum: *Ego te beatæ religioſæque voluntatis admiror: fidem tantùm ſecundum ea quæ ſcripta ſunt deſiderantem*: Et quod mireris, Thomas Aquin. quæſt. diſp. de Fide Artic. 10. *Apoſtolorum Succeſſoribus non credimus, niſi in quantum nobis*

annuntiant

annuntiant ea quæ illi in ſcriptis reliquerunt. Scotus in prolog. ſentent. quæſt. 3 *Theologia noſtra de facto non eſt niſi de his quæ continentur in Scriptura, & de his quæ poſſunt elici ex ipſis.* Denique Gregorius decimus tertius Pont. Max. in Ep. limin. ad Philippum Regem Hiſpaniarum in Bibliis regiis Antverpiæ cuſis, *Quod ad Theologiam attinet, quæ eſt ſumma Philoſophia hiſce libris omnia noſtræ religionis & divinitatis myſteria explicantur*, &c.

Ad Argum. I. Concil. Nicæ. 2. nihili pendimus: ab eo enim fuit reſtitutus imaginum cultus ex Traditione contra Scripturam. Quò ad primum, fuit equidem in eo damnatus Arius, at ex Scripturis: vox equidem ὁμοούσιον in eis legitur: quod Theodoreto ſcribendi locum dedit Arianos ex non ſcriptis vocibus, piè tamen excogitatis damnatos eſſe: non ſcripſit autem, quod ait Bellarminus verbis ejus ad victoriam non ſine vafritie detortis, ex non ſcriptâ doctrinâ damnatos fuiſſe: ſed neque Alexander Epiſcopus Alexandrinus, qui ut videre eſt in Conc. Nicæn. Arianorum dogmata non Traditioni ſed Scripturis adverſari, ſeque adeo eos ex Scripturis conviciſſe gloriatur. Nec Conſtantinus, qui cum quæſtionem illam poſſe decidi ſacris litteris commemorat, non id facit opinor contra mentem Catholicorum, quos omni dubio procul in hoc argumento conſuluerat: ut mirum ſit eum pro Catechumeno & pro majore Imperatore quam doctore Chriſtiano traduci: nec Athanaſius, qui orat. 2. Arianos ſacrarum literarum argumentis lapidandos pronuntiat: nam ut habet Auguſtinus ep. CLXXIV. quid eſt contentioſius quam ubi de re conſtat litigare de nomine? Hilarius: *nomen nihil habet criminis quod non perturbat ſenſum religionis.*

Ad *ſecundum*, apud Euſebium fit mentio παραδόσεως τ̃ ἀποστόλων quæ doctrina eſt Apoſtolica. Dies Dominicus nititur praxi Apoſtolorum: Quadrageſimæ obſervatio & ordinum minorum ad externam Politiam pertinent: nec Epiſtolæ Ignatii quæ circumferuntur probi ſunt eſſe commatis, quod variis rationibus alibi demonſtramus.

Ad Juſtinum: Euchariſtiam non eſſe dandam niſi baptizato; ut nec margarita objicienda canibus, ex Scripturis deducitur. Aquæ cum vino commixtio ritus fuit regionum proprius illarum, in quibus nimius vini generoſi fervor ita poſcebat.

Ad Irenæum: per Apoſtolicas Traditiones intelligendum eſſe, non occulta myſteria quædam, quod hodierni volunt inſtitutores Traditionum: intelligendum eſſe doctrinam Euangelicam omnibus prædicatam, & in Scripturis fundatam. Exemplum non profert harum Traditionum Irenæus, non Imaginum cultum, non Miſſæ ſacrificium, &c. ſed *Deum omnipotentem factorem cæli & terræ, Patrem eſſe Domini noſtri Jeſu Chriſti*, hoc Eccleſiæ Traditionem vocat. Porrò Scripturæ doctrinam poſſunt à miniſtris acceptam in corde cuſtodire, quam nunquam in charta vel ſcriptam legerunt: quod unum voluit Irenæus. *Cuſtodientes*, inquit, *veterem Traditionem, credentes in unum Deum*, &c.

Ad Baſilium: Primò Traditiones à Baſilio

Baſilio eo loco redditas ne Pontificiis quidem judicibus retinendas eſſe cujuſmodi Traditio eſt de immerſione Trinâ, de ritu precandi facie ad Orientem obverſâ, quem Antiochena Eccleſia quantumvis Petrum fundatorem ſortita derelictui habuit: In eâ enim altare non ad Orientem ſed ad Occaſum Solem ſpectavit: Quanquam ſi verum fateri volumus non videtur profectò liber hic eſſe Baſilii, ſed fœtum eſſe ὑποβολιμαῖον Eraſmus rectè conjectavit. Hic autem Bellarminus ita facilè ſolvi poſſe argumenta omnia narrat, qui tum ipſe non dubitat eâdem ingredi nobiſcum viâ in argumento perſimili de amiſſ. grat. lib. 1. cap. 13. ut noſtrorum tela exeat quæ petuntur è Baſilii Aſchaticis, quorum fidem non mediocriter elevat. Viderint autem quorum intereſt quo pacto Baronium Annal. Tom. 3. An. 361. ſect. 51. Bellarmino ſubiratum placare poſſint: ait enim *ſummam ſtultitiam eſſe, adeóque qui primo Aſcetica vocarunt, in dubium hoc temere effutiviſſe:* nos interea cauſam non dicimus quin Baſilium feramus judicem in iis libris qui ſuſpicione vacant. Conſule ſis Homil. de Confeſſ. fidei & Ep. 80. ad Euſtath.

Ad Nazianzenum: Dogma eum quod ibi tractat de divinitate Spiritus, ex Scripturâ multis probare, at eos duntaxat reprehendere qui ſyllabas religioſiùs aucupantur, & totidem verbis ſcriptum poſtulant, *Spiritus eſt Deus.*

Ad Chryſoſtomum: Ex eo tantum hoc poſſe confici, nondum fuiſſe Canonem conſignatum, ubi ſcripſit Paulus ad Theſſal. Quod igitur ait, *Traditio eſt: nihil quæras amplius*; niſi de Traditione intelligatur Apoſtolicâ, & de quâ conſtet eam eſſe de genere hoc, à Patribus cæteris refutatur qui nos in Traditiones inquirere jubent: viſatur Cyprian. lib. 2. epiſt. 3.

Ad Tertullianum: Eum ad hominem locutum eſſe, cùm à Scripturis ad Traditionem provocat: res ei enim erat cum hoſtibus qui Scripturam *non rectè habere, non eſſe & authoritate, variè dictam eſſe, & ex eâ non poſſe inveniri veritatem* pugnabant. Vox namque ſemper hæreticorum fuit veritatem ex Scripturis inveniri non poſſe, niſi Traditionibus adjuventur. Ad locum *de coronâ militis*, quæſtionem fuiſſe de re minimè ad fidem aut mores pertinente, nempe de impoſitione coronæ: tùm & quæſtionem fuiſſe de Traditionibus quæ in Scripturis fundamentum nanciſcuntur. ut ipſiſſima Tertull. verba ponunt extra dubium. Miles enim religioſus cum in manibus coronam attineret, ſuoque imponere capiti detrectaret, inſurgere adverſus eum cæteri Chriſtiani, eumque adeò inſimulare quamobrem ludicram perſecutorum rabiem proritaret, contendere non eſſe vetitum à Scripturâ ne quis caput corona impediret, ire obviàm reſponſioni quæ peti à Traditione poterat: nimirum à geſtatione coronæ Chriſtianum ſibi temperaſſe, quòd eas in ſacrificiis ſuis profana Gentilitas adhiberet: Tertullianum autem concludere ut ejus verba manifeſtè ſonant, nihil proficere Traditionem, niſi quæ fundetur in Scripturâ.

Ad Auguſtini demùm loca quod attinet;

Digitized by Google

tinet; quòd Traditione cuſtodiri docuit paſſionis aſcenſionis, &c. ſolemnitates anniverſarias; dicimus primò, hæc ad ritus externos referenda eſſe: deinde dubitaſſe illum an harum feſtivitatum obſervatio ab Apoſtolis an à Conciliis dimanarint: non igitur eſſe dogmata Fidei credidit: Baptiſmum Hæreticorum non eſſe repetendum quod idem conſuetudinem ex Apoſtolica traditione venientem vocavit, fecit primò, quia res eſt ſaluti non neceſſaria, nec ejuſmodi, ut ſe ceſſionem ab Eccleſia invehere debuerit: quod perpetuò Donatiſtis Auguſtinus, qui Cyprianum, mitem animam hîc parum ſequebantur, objicit.

Secundò, non haberi *de facto* in Scripturis hoc; aut non repetiti Baptiſmi exemplum è Scripturadepromi nullum poſſe: *de jure* autem invenitur in Scripturis, Et Auguſtinus diligenter probat lib. I. contra Donatum cap. 7. ubi hoc argumentum exequitur: *Ne videar*, inquit, *humanis argumentis niti, affero ex Euangelio certa documenta*: fruſtra Bellarmino regerente poſt Concilii decreta demum ex Scripturis hæc argumenta prolata fuiſſe: quaſi verò, quovis prolata tempore fuerint, ſi cum ratione prolata ſunt non ſemper in Scriptura fuerint: aut quaſi Concilium aliquod eſſe denuò in Scripturis, quod antea non erat, effecerit: Non enim quærimus an hæc Traditio nunc aut olim fuerit animadverſa in Scripturis. Quærimus utrum in Scripturis habeatur? Nam de perſpicuitate aut obſcuritate Scripturarum ſequens docebit Quæſtio, quam idcirco perfectioni Scripturarum conjungimus, quod quantumvis in ſe perfecta Scriptura niſi perſpicua eadem fuerit, certè reſpectu noſtri perfecta dici neutiquam poteſt.

QVÆSTIO IV.

An ex Scripturâ probetur Scripturam non eſſe perſpicuam?

VIdetur primò ex Joan. XVI. 18. *Neſcimus quid dicat*: & Joan. II. 21. 22. Nec non *Candaces Eunuchus* offerri poteſt, Act. VIII. 30. 31. & *Nicodemi exemplum*, Joan. III. 4.

Secundò, ex 2 Corinth. cap. IV. 3. ubi *Euangelium* dicitur *obſcurum & tectum* pereuntibus.

Tertiò, ex 2 Pet. cap. III. 15. 16. *In Epiſtolis Pauli difficilia quædam*.

SED contrà in Apocalypſi qui obſcuriſſimus eſt totius Scripturæ liber *benedictus* dicitur *qui legit & audit*.

STATUS QUÆSTIONIS, non utrum ſua ſint Scripturæ adyta: fatemur ultrò eſſe nonnulla quæ in futuro ſeculo docebimur: habet enim ſuas Scriptura veluti delicias, præter cibum potumque: margarita ſua, & gemmas & aurum habet altè defoſſum, & arte ſumma eruendum: nec ubique pariter lucet: ſed ut cœlum ſtellis veluti quibuſdam, in quibus major lucis copia, diſtinguitur. Luna vetus, ſol novum inſtrumen-

Digitized by Google

tum dicitur, vetus lampas in quâ lux, ſed in ellychnio fumigante, accendebatur: Novum ſol, gloria, ἀπαύγασμα ſolis Juſtitiæ, qui noctem pepulit, & ſudum adduxit: non tamen ejus radios præſentes uſurpamus ut in Judicio futuro: nunc enim abeſt, & cœli Templo magni veluti objectu veli tegitur Col. III. 3: Sed quæritur utrum ſit talis & tanta Scripturæ obſcuritas, ut eam populus nec legere poſſit cum fructu, nec debeat ſine permiſſu?

Secundò, utrum hæc talis & tanta obſcuritas non poſſit melius pelli quam ſi Eccleſia lumen de ſuo lumine accenſum prætendat.

Tertiò, Non quæritur de verbis Græcis aut Hebræis, ſed de ſenſu in verſionibus reddito eóque litterali aut myſtico: myſticus enim ſenſus omnis & ſpiritualis alicubi literaliter continetur.

Quartò, Non de obſcuritate *ſubjecti* ſive ignoratione perſonarum, ſed de obſcuritate *in objecto*, ſeu Scripturarum.

Quintò, Non de obſcuritate rerum quas obſcuras eſſe damus: primò propter Scripturarum divinitatem, qua fit, ut nunquam, ne in cœlis quidam, res tantas noſtra ſit exæquatura cognitio: Deinde propter ſublimitatem fulgore ſuo perſtringentem oculos Adami veteris, quos ſenſualitas afficit: *vehemens enim ſenſibile ſenſorium lædit:* Novi autem hominis oculos quia ſunt Spirituales à ſpiritu redditi oblectantur: *vehemens enim intelligibile intellectum perficit:* ſed fideles utramque ſortem carnis & ſpiritus participant: hoc ex conſortio ſæpè naſcitur obſcuritas: Hic autem quæſtio eſt de obſcuritate non rerum ſed modi quo res traduntur, ſtyli, methodi, cæterorum id genus: quæ ſi quis non videt in Scriptura, eſſe mirabili συγκαταβάσει præſertim à Domino Jeſu temperata, planè nihil videt.

Sextò, Non de obſcuritate illa quæritur, cui pellendæ neceſſaria concionatorum interpretumque præſidia, ſed de illa quæ plebem arcet à Scripturarum fonte illimi, cogit ad Traditionum rivos lutulentum fluentes.

Hoc ergo demum quæritur, An modus docendi res ſaluti neceſſarias quoad ſenſum literalem, ita ſit ubique in Scriptura obſcurus, ut non debeat legi, neque poſſit verus à falſo diſcerni quantavis diligentia ſtudio animi, attentione, precibus ad Deum ſine ope Traditionis & Eccleſiæ? Pontificii affirmant, uſque eò ut Pius Carmenſis epiſt. ad Eraſmum, & Sixt. Senenſ. lib. 6. Bibliothecæ anno 192, dicere non dubitent, cum Sutori, fulloni, coriario Scriptura legenda objicitur, ſanctum porcis objici.

RESPONDEO QUÆSTIONI, variis ex locis perſpicuitatem Scripturæ confici Pſalm. cxix. *Lampas, lux quæ ut oculi videant efficit*, x1x. verſ. 8. *Præceptum lucidum*, & 2 Pet. 1. 19. quæ de moralibus præceptis qui pugnant intelligenda, ſuaviter nugantur: hæc enim utramque paginam in Scriptura faciunt, & ritè capi non poſſunt, niſi perceptis dogma-

tis,

Digitized by Google

tis, cùm pietas omnis à veritate apta pendeat: Neque minùs frigidum eſt. Quod Bellarminus ait intellectum dare Scripturam, poſtquam intellecta fuerit: quanquam facilè non intelligitur: quippe idem hoc eſt ac ſi dicas, lucem niſi viſa fuerit oculos non illuminare: nec opus eſt ſoli ad id ut illuminet alia luce ordinis ejuſdem quæ fulgeat extrinſecus: quanquam opus eſt interno lumine oculi, è cujus applicita ad externam lucem viſio exiſtit: ita Scripturæ nihil opus eſt alia luce objectivâ (nempe in ſuo genere) quanquam opus eſt iis oculis quos Spiritus ſanctus intus creat.

Huc accedit, quod Deuteron. xxx. 11. legitur: de facilitate implendi ajunt intelligendum: ſed conferatur quod Apoſtolus ſcribit Rom. x. & facilè patebit nihil rectè impleri niſi rectè intelligatur poſſe, & ad ſolum Decalogum non reſpexiſſe Deum indidem patebit: nec non Deut. xxx. 10. 16. 19.

Id ipſum probamus à fine Scripturæ Rom. xv. 4. & Ioan. xx. 31. Denique luculentiſſimo ex loco 2 Corinth. iv. 3. quem non de toto Euangelio ſed de parte quadam intelligi debere nonnulli ſcribunt. Sed cum Apoſtolus eo loco miniſterio Moſis opponat miniſterium ſuum, deque veritate loquatur quæ cordibus Apoſtolorum affulſerat, & à qua ſe commendabat in conſcientiis omnium hominum coram Deo, eum quoque locutum eſſe neceſſe eſt. Hac de re, ubi ſubjecit *Euangelium apertum eſſe fidelibus*: totum enim Euangelium ſub Apoſtolorum miniſterio & cœleſti veritate continetur: Neque minus eſt dilutum quod alii reſpondent de prædicato non de ſcripto Euangelio Paulum loqui. Nam 2 Corinth. 11. ſe affirmat eundem fuiſſe per epiſtolas abſentem, quem coràm: nec erat pro moribus Apoſtoli iiſdem in Epiſtolis quibus Euangelium ſuum celabat, ſcilicet; profiteri ſe minimè illud tectum velle: Adde quod illius contentionis ratio quam inſtituit Paulus vetus inter & novum Teſtamentum, requirit manifeſtò, ut pariter utrumque ſcriptum intelligatur. Et quod ex Moſis velo, colligit manere velum non in ſcriptione ſed ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει veteris Teſtamenti, patet eum æquè colligere debuiſſe quod Apoſtoli nullo velo faciem tegerent ſuam: inde patere nullum eſſe velum ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει, in lectione, neque modò in Scriptura Novi Teſtamenti.

Ad *Argumentum primum*, Beata Virgo, Ioſeph, Apoſtoli, paſſionem reſurrectionem aſcenſionem neſciverunt, quia rerum harum revelatio poſt reſurrectionem demùm contigit: ſufficit autem unicuique cognitio pro modo ſtatus in quo verſatur & doctrinæ quæ revelatur. Eunucho utilis erat opera interpretis: neceſſaria lux Spiritus, quia ipſe rudis tantarum rerum & cœcus erat: non igitur hinc Scripturæ obſcuritas ſed ingenii efficitur. & nimis multi ſunt qui oculis derepente capti, ut illa ſtolida mulier apud Senecam obtenebrari ſolem quiritantur. Itaque Dominus Nicodemum in ruborem, dare voluit cum Doctoris nomen opprobrat.

Digitized by Google

Ad *ſecundum*, Evangelium obſcurum eſt propter cæcitatem qua laborant: ut ex prædictis patet.

Ad *tertium*, Petrum dixiſſe in Epiſtolis Pauli eſſe δυσνοητά τινα, non ανοητὰ παντα: deinde loqui eum de iis qui ſunt αμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι: cujuſmodi non ſunt fideles; de iis qui στρεβλοῦσι τὰς γραφάς. Ac demùm Petrum hoc iis vitio dare manifeſtò enim eos, cùm ſic loquitur, notatos voluit: quod non faceret ſi non magis penes ipſos (Reſpectu aliquarum rerum difficilium ad intelligendum non ubique, ſed in ſcriptis Pauli, (rerum, inquam, relativum enim omnes non patitur: ad Epiſtolas Pauli, jubet ad res quæ nomine τούτων veniunt Petri dictum revocari): quàm penes Scripturam culpa foret.

QVÆSTIO V.

An Scripturam non eſſe perſpicuam rationibus probetur?

Videtur: ac primò, quia nihil opus eſſet alioqui *ſcrutari*, quod jubemur facere: nempe ſi plana eſſent omnia ac illuſtria.

Atque huc referendum eſt quod objici ſolet: Lutherum biduò ante mortem anno 1546 die Febr. 16 ſua manu ſcripſiſſe, Virgilium in Bucolicis nemo poteſt intelligere, niſi qui fuerit 5 annis paſtor. Secundò, Virgilium in Georgicis nemo poteſt intelligere, niſi quinque annis agricola. Tertiò, Ciceronem in Epiſtolis nemo poteſt intelligere (ſic præcipio) niſi viginti annis ſit verſatus in Republica. Quartò, Scripturas ſanctas ſciat ſe nemo deguſtaſſe ſatis, niſi centum annis cum Prophetis ut Elia, Elizæo, Baptiſta, & Apoſtolis gubernarit.

Secundò, id ipſum inde probatur, quod experientia doceat viloſcere ſacra volumina cum profanis vulgi manibus teruntur: atque hinc fieri ut ſuo loco non habeantur.

Tertiò, & res in Scriptura ſunt difficiles, creatio, Trinitas, Incarnatio, reſurrectio: ſed & modus docendi Scripturæ multa contraria ambigua præpoſtera, imperfecta Hebraïſmum reſipientia, figmenta multa; quæ Bellarmini ratio eſt.

Quartò, denique ſitam perſpicua eſt Scriptura, quorſum tot Commentarii?

Denique nihil eſt abſurdiùs, quam ut Laïci & deliræ anus Scripturam tractent imperioſè: quæ verba ſunt Eckii: & ſalubriter dicimus Laïcos à lectione Scripturæ arceri: ut ex præſcripto Paſtorum & Doctorum Eccleſiæ vitæ curſum moderentur inquit Ioh. Molanus, Theolog. Lovanienſis.

Sed contrà, nulla ratio perſuadet Opt. & Max. Deum Scripturam perſpicuam dare noluiſſe vel nequiſſe.

STATUS QUÆSTIONIS, idem qui ſupra.

RESPON-

Digitized by Google

RESPONDEO QUÆSTONI, varios eſſe lucis Scripturæ gradus: non ſecus ac in libro naturæ mundoque aſpectabili: Solis enim & ſyderum contemplatu gaudent & efficaciam perſentiſcunt quotquot in terris ævum agitant: Solis incurſus, Lunæ labores, & ſyderum varios ortus & occaſus, ii duntaxat qui ſunt Mathematicis imbuti diſciplinis tenent, ac perfectam rerum harum notitiam ne Mathematici quidem adepti ſunt: multa enim eos latent: & nulla eſt doctrina quæ non ἄλυτα quædam contineat, ut ſympathiæ & antipathiæ cauſa eſt, quadratura circuli, &c. Ita dicimus in Scriptura tres eſſe veluti rerum ordines ac primò, Iuſtitiæ ſolem ſeſe omnium oculis velut ingerere hactenus ut eum contueri ac ex ejus radiis & alis convaleſcere queant: alios eſſe nonnullos qui vias ejus accuratiùs teneant, & lucem propius veluti contueantur: quia non τὸ ὅτι duntaxat, ſed & τὸ διότι pernorint: cujuſmodi paſtores & Doctores eſſe debent: Ac demùm nonnulla eſſe in Scripturis quæ Doctores ipſi non ſciunt, commendanda Deo, ut inquit ille, futuróque reſervata ſeculo. Interea in rebus neceſſariis perſpicuam eſſe patet: *Primò*, quia fruſtra per plura fit quod per pauciora fieri potuit: potuit Deus autem vel per Scripturas vel per Traditiones unas Eccleſiæ providere: nam Scriptura ſanè fruſtra eſt, ſi hactenus obſcura, ut nec debeat legi, nec ſine Traditione poſſit intelligi: neque minus oportuit conſervari doctrinam in Traditione, ut ex ea ſubinde omnes difficultates perſolvantur, quàm ſi nulla Scriptura eſſet: quid igitur attinebat Scripturam conjungi, ſi populo invidenda erat? Doctoribus autem Traditio ſufficiebat. *Deinde* ex enumeratione partium: Nihil enim afferri poteſt ſaluti neceſſarium quod non demonſtremus ex Scripturis hauſtum. *Tertiò* ex eventu quod per accidens obſcurum eſt per ſe clarum omninò eſt: At Euangelium 2 Corinth. IV. 3. tale eſt, obſcurum ἑκεῖ occæcante non Euangelio ſed Diabolo, & per ſe clarum eſſe deprehenditur Ioan. III. 19. & I. 5. ubi lux eſſentialis verbi ex ſe fundens lucem inſtrumentalem divinitus deſcribitur: ac demum ex comparatione Veteris & Novi Teſtamenti, Apoc. 5. 5. Novum cum libro aperto confertur: non eſt igitur ſignatum & obſcurum: *in Veteri Novum latet: in Novo vetus patet* Auguſtinus inquit.

AD ARGUMENTA. Ad argumentum *primum*; imò propterea eſſe opus ſcrutinio, quod ſcrutanti perſpicua ſit Scriptura: neque perſpicuam cuivis nos eſſe dicimus, ſed commentanti & animum attendenti. Lutherus de Amplificatione cognitionis & penitiſſimâ intelligentiâ Scripturarum locutus eſt: de qua potuit loqui & majori cum Hyperbole: nam ne centum quidem anni ad perfectam & quę animum prorſus expleat cognitionem ſatis eſſe nobis videntur.

Ad *ſecundum*: Apud prophanos Scripturæ vileſcant; iis ſemper fideles pretium ponent ſuum, quantumvis eas quotidiano uſu terant: quia non pro bellariis ſed inſtar panis cujus eſus quantumvis crebrò uſurpatus faſtidium non creat: ne in ore quidem Diaboli ſuum perdit Scri-

Digitized by Google

ptura decus aut pretium : & ſacrata quanquam omnibus promiſcuè apponuntur φρικτὰ eſſe & horribilia myſteria non deſinunt. Ad *tertium* & *quartum* patet ſolutio.

Ad *ultimum* reſpondeo; Polybius in hiſtoria docet *principia, prætextus, cauſaſque* bellorum ritè diſtingui oportere : id ipſum in bellis Eccleſiæ atque controverſiis ex uſu venire : ac ne divertamus à propoſito in hac pugnâ, quam nunc inimus *pretextus* equidem obſcuritas eſt : *cauſa* longè alia eſt, nempe quòd in ſuis rationibus Romanus Pontifex inprimis conducibile putavit; quid enim, ſi hoc aut illo loco damnetur apertè, jubet illo pharmacus, judicio quemque ſuo diffidere, ut Pontifici credatur in cauſâ Pontificiâ : Deinde cùm pleraque ſuæ religionis capita ex Scripturis ὐθ' ὕπαρ ὐδ' ὄναρ deſignari ſatis animadverterent, multa ex Traditione haurienda eſſe quæ in Scripturis deſiderantur aſſeruit : ac demùm cùm nemo ſanus Scripturam legere poſſit, quin ejus immania placita videat à Scripturis penitus abhorrere, cautè ac pro ſua ſapientia homines à lectione Scripturarum abſterruit; cauſificatus ancipitia & præcipitia loca, ſi quis abſque ductu & auſpiciis Eccleſiæ Scripturam percurreret : unde patet eum non τῇ ἀληθείᾳ θύειν ; ſed ὑποθέσει δουλεύειν. Hic *prætextus*, hæc *cauſa* fuit. *Principium* autem illius tempeſtatis cardo quâ Majores noſtri quos Eccleſiæ Deus Reformatores commodavit ea de Scripturis argumenta depromerent quæ nulla poſſent arte declinari : & ſanè res ipſa clamat, ante horum Dei virorum exortum non fuiſſe Scripturas tam diligenter interdictas : Et ſi minus res ipſa clamaret, veram eſſe quam præmiſimus prætextus, cauſæ, principiique obſervationem, ſatis doceret Epiſcoporum juſſu Pontificis Bononiæ congregatorum anno 1553 conſilium, quod Julio III dederant de ſtabilienda Romanæ Eccleſiæ dignitate, quod & à Vergerio editum eſt. *Inter omnia*, inquiunt, *Conſilia quæ nos dare poſſumus, omnium graviſſimum ad extremum reſervavimus; ut quam minimum Euangelii poterit evulgari ab iis legatur civitatibusquæ ſub tua ditione ſunt : ſufficiatque tantillum illud quod in Miſſa legitur, nec eo amplius cuiquam mortalium legere liceat : quandiu enim pauculo illo homines contenti fuere, tamdiu res tua ex animi ſententia ſucceſſere; eædemque in contrarium labi cœperunt ex quo legi vulgo uſurpatum eſt. Hic ille in ſummâ eſt liber qui præter cæteros haſce nobis tempeſtates ac turbines concitavit, quibus propè abrepti ſumus : Certè ſi quis illum expendat : deinde quæ in noſtris Eccleſiis fieri conſueverunt, ſingula ordine contempletur, videbit plurimum inter ſe diſſidere, atque hanc doctrinam noſtram ab illa prorſus diverſam eſſe, ac ſæpè contrariam : quod ſimul homines intelligunt à docto aliquo adverſariorum ſtimulati, non ante clamandi finem faciunt, quam rem totam vulgarint, noſque omnes inviſos reddiderint : quare occultanda paucula illa chartæ erunt cautione tamen adhibita quadam, ne res majores adhuc turbas concitet.*

Digitized by Google

QVÆSTIO Vltima.

An ex Patribus Scripturæ perſpicuitas poſsit demonſtrari?

VIdetur: primò ex Auguſt. ep. 3. ad Volus: ubi tantam eſſe profunfunditatem ait, ut *quantumvis ſtudioſus ad extremam ſenectam proficiat*: Et lib. 12. Confeſ. cap. 14. *Mira profunditas eloquiorum tuorum: horror eſt intendere in ea: horror honoris, & tremor amoris:* Et in Pſalm. VII. & in x *eſſe arcum*, ait Scriptura, *è quo boni & mali poſſint ſagittas ejaculari*: *nubem à qua juſto ſit pluvia veritatis, & peccatori pluvia laqueorum*: Et epiſt. CCXIX. *in Scripturis*, inquit, *multò plura neſcio quam ſcio.*

Secundò, Hieronymus in Ep. ad Paulin. de ſtudio Scripturæ legi digniſſima & Regis Bibliis præfixâ, docet non poſſe legi Scripturas ſine magiſtro: & Epiſt. ad Romanos, nimiis obſcuritatibus involutam eſſe.

Tertiò, Ambroſium epiſt. XLIII. ad Conſtant. *Mare eſt Scriptura ſacra habens in ſe ſenſus profundos, Altitudinem Propheticorum Ænigmatum.*

Quartò, Chryſoſt. Homil. XL. in Joan. Non dixit legite ſed ſcrutamini divina, ſummâ indigent diligentia: in umbra majoribus non abs re locutus eſt Deus: ideò effodere profundiùs jubet.

Quintò, Rufin. de Baſilio & Nazianzeno lib. I. Hiſt. cap. 9. Ambo nobiles: ambo Athenis eruditi: ambo collegæ per annos 13. omnium Græcorum ſecularium libris remotis, Scripturæ voluminibus operam dabant: *Non propria præſumptione, ſed ex majorum ſcriptis & autoritate.*

Sextò, Origenes lib. VII. contra Celſ. *Dies ac noctes orandum eſſe agnum de tribu Juda, ut veniat & clauſum librum aperire dignetur*, &c.

Septimò, Irenæus lib. II. contra Hæreticos cap. 47. ubi multa in natura difficilia eſſe prædixit: ut putà de origine Nili: de maris æſtu reciproco: *ſimiliter*, inquit, *in Scripturis quædam agnoſcimus, quædam Deo commendamus.*

SED contrà docere poſſumus, omnes illos qui modò laudati ſunt Patres vel ſibi ipſos, vel nobis minimè adverſari: Nam ut eadem relegamus retrò veſtigia, Irenæus is eſt qui lib. II. cap. 46. univerſam Scripturam Propheticam & Euangelicam *in aperto & ſine ambiguitate*, &c. Origenes is eſt, qui 7 contra Celſum, Deum aît *συγκαταβῆναι τῇ ἰδιωτίᾳ τοῦ πλήθους τῶν ἀκουομένων, ἵνα προσκαλέσηται πρὸς ἀκρόασιν τὸ τῶν ἰδιωτῶν πλῆθος δυνάμενον ἐξ εὐχεροῦς*, &c. *Φιλοτιμήσασθαι πρὸς τὸ καὶ βαρύτερα*, &c. *μεταλαβεῖν*: Et Homil. v. in Levit. ſcitè ac eleganter hoſtias quæ comeduntur ſacerdotibus ad edendum non totæ, ſed earum aliqua pars offertur Deo & altaris ignibus traditur: cum Scripturis contendit, quæ nobis intra Tabernaculum traduntur conſumendæ maximam partem, nonnihil

nonnihil interea Deo permittitur & igni altaris. Baſilius & Nazianzenus adducti ex Ruffino ii ſunt, quorum prior in Comment. in Pſalm. ait, Ex Scriptura tanquam ex medicina: medici officinam intelligo ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρεῖω, quemque mortalium pro ſui ratione morbi medelam deligere: quemque ſibi medicum eſſe poſſe: Nec aliter Nazianzenus variis locis. Chryſoſtomus is eſt, quo non alter luculentiùs de Scripturæ perſpicuitate locutus eſt unquam: Hom. III. 1. ad Theſſ. & 3. de Lazar. πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα, &c. πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα, &c. Et Homil. in Ioan. quantum Aquilæ inſtar ſublime fertur: τοσαύτην, inquit, τῆς ἑρμηνείας ἐνεκαλέμιξεν εὐπορίαν, &c. Ut ſublimitas Ioannis ejus facilitati ac perſpicuitati non obſtet. Is eſt Ambroſius, qui Epiſt. VII. de Paulo dicat ita eum *ſemetipſum exponere*, &c. Hieronymus is eſt, qui Epiſt. VII. ad Lætam de Filiola ejus ubi loquitur: *Pro gemmis*, inquit, *& ſerico divino codices*: tum & epiſt. XII. ad Gaudent. de pacatulâ infantula: *cùm virgunculam*, inquit, *rudem & edentulam ſeptimus annus exceperit, & cœperit erubeſcere*, ſcire quid taceat, dubitare, quid *dicat, diſcat memoriter Pſalterium*, &c. Et epiſt. XXX. de Fabiola, *Ieſu bone quo illa fervore quo ſtudio ſacras litteras*, &c. Conferantur quæ ſcripta ſunt Actor. XVII. 11. 12. 2 ad Timoth. III. 15. & in Epiſt. ad Furiam idem: *Poſt Scripturas ſanctas doctorum hominum Tractatus lege.* Denique Auguſtinus is eſt, qui *nihil* dicit *de obſcuritatibus illis erui quod non alibi planiſſimè dictum inveniatur* lib. II. de Doctrina Chriſti cap. 6. & Tractatu 50. in Ioan. *quædam in Scripturis tam manifeſta ſunt*, &c. cui gemina germana docuit Iuſtin. Dialog. cum Tryp. οὐδὲ ἐξηγηθῆναι δέειν ἀλλὰ μόνον ἀκουσθῆναι: Idem Hipponenſ. Epiſcopus XI. Confeſſ. 12. *Neque fruſtra ſcribi voluiſti tot paginarum opaca ſecreta*, &c. alibique ſex centis locis.

STATUS QUÆSTIONIS, non utrum de obſcuritate Scripturarum loquantur: Patres diſertè dicunt eas eſſe *profundas, obſcuras, difficiles.* Iren. lib. II. cap. 46. Auguſtin. de Doctrina Chriſt. lib. II. cap. 6. *abſque doctore non poſſe intelligi* Hieron. Epiſt. 103. *Non omnes ad Scripturas admittendos*, Nazianz. de ord. diſſerendi: *Quò plus in Scripturis proceditur, eò majores occurrere difficultates*, Hieron. in cap. IV. ad Epheſ. *A divina providentia curatur, ut eſſent Scripturæ difficiles*, Auguſtin. II. de Doctrina Chriſt. cap. 6. Cujus cauſas diſpenſationis, nempe cur ita divina Providentia curaverit memorat Aug. loco laudato. Et Pſalm. CIV. Origen. lib. IV. περὶ ἀρχῶν. Cyrill. Alexandr. lib. 6. contra Iulian. Procopius initio Comment. in Eſaiam alii: Nos ad certa capita revocamus. Sic igitur viſum Deo, *primò*, quia res aliter fieri (auſim dicere) non poterat: id eſt enim hominis ingenium, ut non poſſit myſteria tanta ita perſpicuè doceri, ut nihil eum lateat, eaque ſermonis noſtri ratio & natura, ut varias interpretationes crebrò admittat: divino igitur ſermone divina enarranda erant: verum tunc homo nihil planè in iis intelligeret, humano igitur ſermone Deus hoc eſt imperfecto accommodatè ad homines uti voluit.

Secundò

Digitized by Google

Secundò, ut humani faſtum ingenii deprimeret, & doctiſſimos quoſque ne ſuperbirent, tot difficultatibus interjectis admoneret.

Tertiò, ut perſpicuitas Dei bonitatem, obſcuritas hominis imbecillitatem: utriuſque temperatio divinam Dei ſapientiam patefaceret.

Quartò, ut ſtudium Scripturæ nimia facilitate langueſcens, hac ratione ſuſcitaret, faſtidiumque abſtergeret: cum ea quæ ſunt in medio poſita humana indoles tranſvolare & deſpicari ſoleat.

Quintò, ut honeſta ſimul & utilis eſſet hæc exercitatio, quâ ſimul ab inhoneſtis aut ſupervacaneis ſtudiis avocarentur, dum neceſſariis paſcuntur exercentur obſcuris, ibi fames pellitur hîc faſtidium.

Sextò, ut ſuus maneat Scripturæ honos & venerabilis dignitas: dum quæ facilia ſunt & plana ne vileſcant duæ res impediunt: una quod quemadmodum panis etiam quotidiè repræſentatus non parit nauſeam, ita hic cibus cœleſtis quantumvis crebrò repetitus fidelium palato ſemper ſapiat: altera quod cum rebus iis facilibus ad intelligendum aliæ conjungantur nonnullæ in quibus totâ hominis diligentiâ opus eſt, & quæ penitus in hoc ſeculo nemo percipiet.

Ad ARGUMENTUM PRIMUM reſpondeo; Ad primum locum ex epiſtola ad Volus. Aſtu magno mutilum perpetuò reddi: ſubjicitur enim continentur: *Non quod ad ea quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem tantâ perveniatur difficultate*: quæ verba nodum perſolvunt, ac omnem ſcrupulum eximunt. Porrò ne quis de mente Auguſtini addubitet, non modò illud perpendat quod ante laudavimus dictum, *Nihil ferè de difficultatibus illis eruitur quod non alibi planiſſimè dictum reperiatur.* (Scilicet, excipit Bellarminus illud *ferè* non abs re poſuit, quia multa in Scripturis proponuntur obſcurè quæ nuſpiam aliis in locis explicantur: quod nos fatemur ultro. Sed hæc talia ſine ſalutis detrimento ignorari poſſe credimus) verùm & illud adjiciat ex De doctrina Chriſt. lib. II. cap. 19. *In iis quæ apertè in Scripturis poſita ſunt*, &c. quo quid illuſtriùs dici potuit? Eleganter idem lib. xv. de Civitate Dei 12. *Scriptura talibus verbis*, &c. conſule locum: Et de utilitate credendi cap. vi. *Nemo inde haurire non poteſt quod ſibi ſatis eſt, ſi modò ad hauriendum devotè & piè accedat*: Et lib. II. de pœna merit. & remiſſion. cap. 36. poſtquam de origine animæ aliiſque momentoſis rebus verba fecit, *Etſi*, inquit, *quodlibet horum ignorem*, &c. viſe locum. Et epiſt. 3. *Modus ipſe dicendi* (atqui de modo dicendi præſens inſtituitur quæſtio) *quo Scriptura contexitur omnibus acceſſibilis*, &c.

Ad *ſecundum* ex Hieronymo, eâdem Epiſt. ad Paulin. *Manifeſtiſſima*, inquit, *eſt Geneſis*, &c. Nempe hoc habet Hieron. in more poſitum, ut rem ipſam diſtinguat à myſteriis quæ hinc erui & quęſtionibus quæ hinc oriri poſſunt: quod ipſe nos docuit lib. de Inſtit. Monarch. cap. iv. *Totum*, inquit, *quod legimus*, &c.

Ad *Tertium* ex Ambroſio, Aliud eſſe

Profundum, aliud obſcurum: Nam: & τὰ βάθη τοῦ θεοῦ Scriptura illuminante inclareſcunt. Secundò de Prophetis loquitur modò, ut ipſius verba ſonant: ac demùm idem ſubjicit: *in hoc mare plurima introïerunt flumina: ſunt erga flavii dulces & perſpicui*, &c. *diverſi nempe fluenta*, &c.

Ad *quartum*, ex Chryſoſtomo, primò loqui eum de prædictionibus Veteris Teſtamenti: ſecundò non de omnibus, ſed de obſcuris nonnullis: tertiò divina etiamſi non ſint obſcura, ſunt tamen ſcrutanda propter pretium & majeſtatem. Quartò facillima quæque obiter atque oſcitantes legentibus obſcura fiant: unde opus eſt ἐρευνᾶν. Denique perpetuò revocanda eſt in animum quæſtionis conſtitutio, utrum Scripturæ ſint hactenus obſcuræ, ut à Laïcis legi non debeant: quod ſi voluerint ex mandato τοῦ ἐρευνᾶν exculpere, hinc efficiemus nos, ne à doctioribus quidem legi debere, qui diligenter & ipſi legere debent ac ἐρευνᾶν: ſed ut mens Chryſoſtomi ponatur extra dubium, non erit abs re loca hæc cæteris adjicere. Homil. III. de Lazar. *Spiritum ſanctum Scripturas temperaſſe* dicit, &c. Idem Homil. III. in 2 ad Theſſ. ubi eos reprehendit quos pigebat lectionis publicæ in Eccleſia intereſſe, atque ἀναγνωςῶ audire, antequam concionator audiretur, quaſi nullum ex lectione abſque Homiliaſtis interpretantis concione capere fructum poſſent: eos in hæc verba lectionem aſpernantes facit, τί εἰσέρχομαι; εἰ οὐκ ἀκούσω τινὸς ὁμιλοῦντος, &c. quibus reſpondet τοῦτο πάντα ἀπόλωλε, &c: Nunc eant & Chryſoſtomum in ſuas partes, ſi poſſint Pontificii trahant.

Ad *quintum*, ex Ruffino, plura neceſſaria Doctori quam Laïco: qui non ſibi tantum haurire, ſed & potare alios pro ratione muneris debeat: neque nos ii ſumus qui majorum ſcripta & autoritatem flocci faciamus, aut qui ex propria præſcriptione Scripturarum faciamus interpretationem: quas ſine Spiritu Dei tectas eſſe docti ſumus ex Apoſtolo, Et ad quarum intelligentiam lucubrationes interpretum plurimum valere nunquam dubitavimus.

Ad *ſextum*, ex Origene, nihil eſſe ad rhombum: quippe duplex eſt liber: unus in quo verbum legitur: alter in quo ſcribitur, non de charta & membranis, ſed de corde tabuliſque carneis, Origenem locutum eſſe tota ſeries oſtendit.

Ad *ſeptimum*, ex Irenæo, eum dixiſſe quædam non omnia. Secundò ipſo capitis initio mentem ſuam ſatis explicarat: *Habemus inquit regulam ipſam veritatis*, &c.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

_5_1_

Digitized by Google